ELABORATIOR GRAMMATICA HVNGARICA.

AD GENVINAM

PATRII SERMONIS INDOLEM

FIDELITER EXACTA,

AFFINIVMQVE LINGVARVM

ADMINICVLIS

LOCVPLETIVS ILLVSTRATA.

TRIBVS VOLVMINIBVS

COMPREHENSA.

STVDIO, ET OPERA

IOANNIS NICOLAI RÉVAI,

PRESBYTERI SEC. DIOEC. IAVRINENS.

LINGVAE, AC LITERATVRAE HVNGARICAE

PROFESSORIS PVBL. ORD.

IN REGIA SCIENTIARVM VNIVERSITATE

PESTINENSI.

VOLVMEN PRIMVM.

PESTINI,

TYPIS MATHIAE TRATTNER.

M. DCCC. VI.

Medio tempore maxima facta est mutatio a Grammaticis; qui semper, et vbique, ad id sunt nimium procliues: vt, cum linguae analogiam perdiscere, et regulas ex eius vsu eruere deberent; ipsi se contra pro legum latoribus venditent, praescribantque, quomodo quid tenendum sit.

Ioannes Iahn Praef. in Grammaticam Arabicam.

ILLVSTRISSIMO. AC. REVERENDISSIMO
DOMINO
DAVIDI. ZSOLNAI
ELECTO. EPISCOPO. DVLMENSI
ABBATI. B. M. V. DE. VALLE. VESZPRIMIENSI
CATHEDRALIS. ECCLESIAE. VESZPRIMIENSIS
PRAEPOSITO. MAIORI. ET. CANONICO
PROTONOTARIO. APOSTOLICO
PER. DIOECESIM. VESZPRIMIENSEM
VACANTE. SEDE. EPISCOPALI. IN. SPIRITVALIBVS
VICARIO. ET. CAVSARVM. AVDITORI
GENERALI. CAPITVLARI
INCLYTI. COMITATVS. SZALADIENSIS
TABVLAE. IVDICIARIAE. ASSESSORI

VIRO. AMPLISSIMO
SACERDOTI. SINGVLARIS. EXEMPLI
PIO. LABORIOSO. VTILI

IN. PRIMORDIIS. HONORVM
TYRNAVIAE. IN. ARCHIDIOECESI. STRIGONIENSI
TRIBVS. VICARIIS. A. SECRETIS. EPISTOLIS
FIDELI. OPERA. ANNIS. XII. DEXTRE. NAVATA
PROBATISSIMO

DEINDE. A. IOSEPHO. BAJZATH
FELICIS. MEMORIAE. EPISCOPO. VESZPRIMIENSI
AEQVO. VIRTVTVM. AESTIMATORE
AD. DIOECESIS. COMMODVM. ET. ORNAMENTVM
PRIMVM. CANONICI. A. LATERE
MOX. LECTORIS. ET. VICARII. MVNERE
DECORATO.

PER. OMNEM. HANC. ADMINISTRATIONEM
A. RELIGIONIS. STVDIO.
RECTAE. DISCIPLINAE. CVRA. VIGILI. ET. ASSIDVA
RERVM. AGENDARVM. INSIGNI. PERITIA
AFFABILITATE. BENEVOLENTIA. HOSPITALITATE
CELEBRATISSIMO.

PROPENSA. IN. PAVPERES. BENIGNITATE
DONATO. CVMPRIMIS. CENSV. PERPETVO
AD. SEX. NOBILES. ADOLESCENTES. EGENTIORES
GYMNASII. VESZPRIMIENSIS
QVOTANNIS. HONESTE. ALENDOS
COMMEMORABILI

OMNIGENA. ERVDITIONE. PRAECLARE. EXCVLTO
ET. DOCTO. IPSI
DOCTORVMQVE. LABORVM. FAVTORI. MVNIFICO
IN. HIS. CLARI. ORATORIS. STEPHANI. HAJAS
SACRIS. SERMONIBVS. MAGNA. IMPENSA. EDITIS
ANIMARVMQVE. CVRATORIBVS
PER. DIOECESIM. GRATVITO. DISTRIBVTIS.
FACILIS. PRAETEREA. POETAE. IOANNIS. NAGY
CARMINIBVS. IN. LVCEM. PROLATIS
DE. LINGVA. PATRIA. OPTIME. PROMERITO

PIETATE. IN. REGEM. CHARITATE. IN. PATRIAM
COMMVNISQVE. BONI. ARDORE. NOBILI
QVAVIS. OCCASIONE. LONGE. SPECTATISSIMO

TOT. TANTISQVE. MERITIS. SVIS
PRAEPOSITO. MAIORI
OMNIVM. GRATVLATIONE. DENOMINATO
ET. EPISCOPO. DVLMENSI. ELECTO.

REVERENDISSIMO. DOMINO

CASPARO. HERTELENDI

DE. EADEM

ABBATI. B. M. V. DE. PAGRÁNY

PRAEPOSITO. S. MICHAELIS. ARCHANGELI

DE. HANTA

CATHEDRALIS. ECCLESIAE. VESZPRIMIENSIS

CANONICO. ET. ARCHIDIACONO. CATHEDRALI

SACRAE. SEDIS. CONSISTORIALIS

ET. INCLYTI. COMITATVS. SZALADIENSIS

TABVLAE. IVDICIARIAE. ASSESSORI

VIRO. GENERE. NOBILISSIMO

SACERDOTI. PIETATE. ET. EXIMIA. PROBITATE

SPECTATISSIMO

IN. HONORVM. EXORDIIS

IOSEPHO. BAJZÁTH. EPISCOPO. VESZPRIMIENSI

A. CEREMONIIS

DE. OPERA. SVA. EGREGIE. PRAESTITA.

DE. MODESTIA. ET. RARA. ANIMI. BONITATE

MVLTVM. AMATO.

PORRO. IN. PAROECIA. PRIMVM. KAPORNAKIENSI

IN. HAHÓTENSI. POSTEA

VBI. VNA. ET. ARCHIDIACONI. VICE. FVNCTVS. EST

PER. DISTRICTVM. CANISIENSEM.

DEINDE. IN. KESZTHELYIENSI

QVAE. EVNDEM. ET. ABBATEM. VENERATA. EST.

S. MARGARETHAE. VIRGINIS. ET. MARTYRIS

DE. HAHÓT

IN. CVRANDA. ANIMARVM. SALVTE

PASTORI. ET. SACRORVM. ADMINISTRO

FIDELI. PROVIDO. VIGILI. PATIENTI. FACVNDO

SED. DATIS. VIRTVTVM. EXEMPLIS

SVIS. QVAM. MAXIME. VTILI. ET. CHARO

IN. EXPLENDIS. RELIQVIS. OFFICII. PARTIBVS

EXACTO. GRAVI. CIRCVMSPECTO.

INDE. VERO
IN. CANONICORVM. COLLEGIVM. VESZPRIMIENSE
PRO. MERITIS. COOPTATO
ET. GESTA
SEMINARII. S. ANNAE. CLERI. IVNIORIS
PRAEFECTVRA
A. PRVDENTIA. CVRA. PATERNA. COMITATE
LAVDATISSIMO

EFFVSA. IN. PAVPERES. LARGITATE
OMNIBVS. FACILI. BENIGNO. PERHVMANO
OFFICIOSO. HOSPITALI

BONARVM. ARTIVM. ET. SCIENTIARVM. STVDIO
EXCELLENTI. ET. DOCTO. IPSI
DOCTORVMQVE. AMICO. PARITER. AFFABILI
ET. PROTECTORI. MVNIFICIO
CVI. ACCEPTVM. REFERT. IAM. PATRIA
CLAVDII. FLEVRI. CLARVM. OPVS
DE. ISRAELITARVM. RITIBVS. AC. MORIBVS
A. IOSEPHO. KOPÁTSI
EX. GALLICO. IN. HVNGARICVM
FELICITER. TRANSLATVM
TAM. AD. PIAM. CIVIVM. INSTITVTIONEM
QVAM. AD. PROMOVENDAM. LINGVAM. PATRIAM
LIBERALI. EIVS. IMPENSA. EDITVM
PROINDE
ET. DOMESTICAE. LITERATVRAE. NOSTRAE
AMANTISSIMO. PERCVPIDO. CVRIOSO.

REVERENDISSIMO. DOMINO

CAROLO. NEDETZKI

DE. EADEM
ABBATI. B. M. V. DE EGRES
CATHEDRALIS. ECCLESIAE. VESZPRIMIENSIS
CANONICO. ET. ARCHIDIACONO. SIMIGHIENSI
COLLEGII. S. PAVLI
EMERITORVM. PAROCHORVM. PRAEFECTO
SACRAE. SEDIS. CONSISTORIALIS
ET. INCLYTI. COMITATVS. SZALADIENSIS
TABVLAE. IVDICIARIAE. ASSESSORI

VIRO. GENERE. SPLENDIDISSIMO
SACERDOTI. PIO. ET. INTEGERRIMO
CIVI. BONO. ET. VTILI
FIDE. ERGA. REGEM. CHARITATE. IN. PATRIAM
QVAVIS. OCCASIONE. PROBATISSIMO

IN. PRIMO. HONORIS. GRADV
IOSEPHO. BAJZÁTH. EPISCOPO. VESZPRIMIENSI
A. CAERIMONIIS
DE. OPERA. FIDELITER. NAVATA
DE. INGENII. PRAESTANTIA. ANIMI. ALTITVDINE
LONGE. ACCEPTISSIMO

AD. ILLVSTREM. PORRO. ABBATIAM
S. MARGARETHAE. VIRGINIS. ET. MARTYRIS
DE. HAHOT
OB. INSIGNIA. VIRTVTVM. SPECIMINA
DIGNE. EVECTO
IN. CONIVNCTA. PAROECIA. KESZTHELYIENSI
PASTORI. ET. SACRORVM. ADMINISTRO
IN. CVRANDA. ANIMARVM. SALVTE
INDEFESSO. FORTI. SOBRIO. VIGILANTISSIMO
SACRAM. FACVNDIAM
DATO. PROBITATIS. EXEMPLO. PERPETVO
MIRE. CONFIRMANTI
SVIS. PROPTEREA. QVAM. CHARISSIMO

INDE. AVTEM
CATHEDRALIS. ECCLESIAE. VESZPRIMIENSIS
CANONICO. PRO. MERITIS. ELECTO
DELATA. PRAEFECTVRA. COLLEGII. S. PAVLI
DE. PAROCHIS. EMERITIS
AD. IVSTVM. EXANTLATI. LABORIS. SOLATIVM
FRATERNE. SOLLICITO

AD. SVBLEVANDOS. FOVENDOSQVE. EGENOS
PRONO. ET. LARGO
OMNIBVS. AFFABILI. BENIGNO. HOSPITALI

DIVINARVM. HVMANARVMQVE. RERVM. SCIENTIA
EXCELLENTER. ORNATO
DOCTORVMQVE. CONATVVM. PROTECTORI
PRAESENTISSIMO
CVI. GRATA. DEBET. IAM. PATRIA
CLAVDII. FLEVRI. PRAECLARVM. OPVS. GALLICVM
DE. CHRISTIANORVM. RITIBVS. AC. MORIBVS
IOSEPHI. KOPÁTSI
FELICI. STVDIO. REDDITVM. HVNGARICE
AD. EXCITANDAM. CIVIVM. PIETATEM
AD. LINGVAE. PATRIAE. DECVS. ET. INCREMENTVM
EIVS. MVNIFICENTIA. EDITVM
DOMESTICAE. IGITVR. LITERATVRAE
ET. HAC. RECENTI. ET. VETERI. PROPENSIONE. SVA
FAVTORI. AMICISSIMO.

PATRONIS
OPTIMIS
MAECENATIBVS
BENIGNISSIMIS
SACRI. COLLEGII. SVI
LVMINIBVS
PATRIAE. OMNIVM. CHARISSIMAE
CIVIBVS
PIIS. ET. SINCERIS
AD. ORNANDAM. REM. COMMVNEM
ILLVSTRI. EXEMPLO
PVLCHRE. CONSENTIENTIBVS
IOANNES. NICOLAVS. RÉVAI
ELABORATIORIS. GRAMMATICAE. HVNGARICAE
PRIMVM. HOC. VOLVMEN
OB. SVMTVM. LIBERALEM
AD. INCHOANDAM. OPERIS. EDITIONEM
PROMTE. SVPPEDITATVM
OBSERVANTIAE. HONORIS. GRATIQVE. ANIMI
ET. MEMORIAE. SEMPITERNAE. CAVSSA
L. M. Q. CONSECRAT.

Nihil ex omnibus rebus humanis est praeclarius, aut praestantius, quam de re publica bene mereri.

Sic habeto: omnibus, qui patriam conseruarint, adiuuerint, auxerint, certum esse in coelo, ac definitum locum, vbi beati aeuo sempiterno fruantur.

Patria, pro qua mori, et cui nos totos dedere, et in qua nostra omnia ponere, et quasi consecrare debemus.

Cicero Epist. Libr. X. Epist. V.
de Somnio Scipionis. de Legib. Libr. II. Cap. V.

PRAEFATIO.

Iam dudum hoc et ego consilium cum animo agitabam: vt, Gentis meae, aliorumque commodo, qui linguam Hungaricam rectius ediscere cuperent, Grammaticam, pro viribus exactam, in lucem proferrem. Sed ipsum hoc propositum meum longam iniecit operi moram. Nam in eo cum oppido multa, mea quidem sententia meliora, sequi constituissem: vidi hoc me studio longe in alia, quam quae vulgo docentur, sensim abiuisse. Haec porro, quod insolita essent, bene praeuidi in ingenti oppositorum frequentia non multum profectura esse, illa praesertim, quam Grammaticae poscunt, breuitate proposita. Nam ad ea certe, de quibus inter nos nondum conuenit, penitius euoluenda, et, vt quorumque ratio suadet, rectius definienda, multis, et prolixis opus est disceptationibus. Has ego iudicaui praemittendas esse.

Omnem itaque rationem meam, omnia praesidia, quibus mihi in linguae nostrae studio ad

meliora pertigisse videor, ante, quam ipsam darem Grammaticam, istis fundamentis superstructam, in lucem publicam emittere auebam, literati orbis iudicium subitura. Ea ego duplici titulo in plura, in quae nimirum copia sua excreuerunt, volumina diuisi: quorum altera *Antiquitates Literaturae Hungaricae*, Grammaticis Obseruationibus illustratas, continerent: altera *Disquisitiones Grammaticas* complecterentur, ad Grammaticam Hungaricam certius figendam peculiariter conscriptas. Haec me operiosius molientem multum interea retardarunt, et ipsa vtique laboris difficultas, et temporum saepe interueniens iniquitas, sed quam maxime subsidiorum penuria.

Obruor interea et Iussu Altiore: quo mihi concinnanda imponitur Grammatica accuratior, interturbata destinationum mearum serie. Nam ista nunc exposcitur a me, contra ac ego volui, meis illis praesidiis, quibus firmaretur, in serum tempus vtinam non longe iterum reiectis! Suspiro, non sine caussa, multa praemetuens, multa praemeditans.

Ne mihi et apparatus iste aliqua iniquitate penitus reprimeretur; et Grammatica porro mea,

compendio proposita, suo destitueretur pondere: nouo consilio rei vtrique prouidendum esse putaui. Disquisitionum Grammaticarum volumina tria, qua fieri potuit breuitate constricta, transfero in Grammaticam meam elaboratiorem: vt hoc pacto et illae Obseruationes meae supersint loco suo, in eum vsum, in quem sunt conscriptae; et ipsa Grammatica, qualem dare constitui, his apte intersertis, solidius, firmiusque consistat.

Compendium, institutionibus vulgo praescriptum, curae mihi esse non potuit in hoc opere: in quo potius prolixitas necessaria mihi visa est ad conciliandam, et Institutorum, et Scriptorum nostrorum consensionem. Si inter nos bene tandem conuenerit: docendi compendium, vt discentium poscet diuersa aetas, et facultas, ex re, et tempore, faciemus postea leui admodum negotio. Quamquam et ipsis discipulis, vt, quae discunt, iam principio solidis rationibus innixa videant, firmioribusque mature adsuescant, fundamentorum quidem, etiam prolixiorum, omne taedium autumo Institutorum prudentia sollicite eximendum esse. Multo autem magis haec ita proponenda esse censeo Au-

ditoribus Academicis. Et, quaecunque fuerint serius illa compendia, ea equidem nunquam velim, nimium coarctata, et breuia esse: praesertim donec sermonis nostri grauiora vitia, mala consuetudine propagata, vsu meliore non satis in desuetudinem venerint.

Interea de meo hoc opere lubens experiar Virorum, qui haec intelligant, seueriora, et recta iudicia. Probe enim memini, et me hominem esse; qui ad opinionem minus probabilem labi possim. Veritatem ipsam assequi, et meliora edoceri, vltro volo. Certis enimuero, et exploratis, firmum praebeo assensum. Verum ea, quae et ipse mihi videor coniectura tantum assecutus esse, pro veris non obtrudo, sed examinanda propono. Quare, si qua futura sunt, quae mutanda, reiicienda, vel addenda esse videbuntur; ea equidem curis secundis, et, si necessum sit, tertiis etiam, vt cuncta emendata prodeant, quam fidelissime prouidebo (*).

(*) Quae porro sequuntur vsque ad finem, eadem haec verba recurrunt in Prolusione mea, habita in Auspiciis Collegii Hungarici anno MDCCCII. Licuit mihi verbis meis vti saepius etiam, non semel tantum, occupato praesertim, et plerumque morbido.

In hac Grammatica, et in ceteris huius generis lucubrationibus meis, Latino vtor sermone. Et in ipsa quidem Grammatica est haec explanandi ratio vel domi nostrae, mea certe opinione, multo accommodatior.

Nam ipsi ciues nostri, lingua a nobis differentes, si nostram cupiant addiscere, planiorem ingredientur viam Latini sermonis vsu, magis communi, et ipsis fere a pueris frequentato.

Deinde in ipsis etiam Scholis Publicis, Gymnasiis, et Academiis, quarum finis, et occupatio praecipua, nostra quidem consuetudine, est vtique sermo Latinus, aptissimum hactenus, et scientiarum, et negotiorum vehiculum, nostra certe Iuuentus ex diuersis gentibus ad communem institutionem congregata, communi hoc Scholarum sermone, linguae etiam patriae regulas, eodem technicorum terminorum vsu, et maiore cum compendio, et facilius condiscet. Hoc quidem pacto id reuera agitur, quod Viri graues, qui de Grammaticis conscribendis ex instituto disserunt, recte agendum impensius commendant: vt lingua, quae docenda sumitur, vti nostra, multis non nota, paucis tantum obscure percepta, linguae alterius iam notae ad-

miniculo explanetur. Lingua enim non nota, comparata cum alia iam nota, fit expeditior, fit perceptu facilior. Quae vero est lingua in Scholis notior, quae ad singulos aequaliter pertingens, quam Latina?

Sed volo praeterea, quaecunque scribo de lingua nostra, latius patere etiam exterorum caussa. Est enim singulare horum studium, quod collocare solent in pernoscenda linguarum, ad quas pertingere possunt, natura intima, ad illustrandam, et augendam humani sermonis historiam. In praeclarum hunc vsum dudum videntur illi et nostram expetere. Dignos itaque illos puto eo nostro fauore: vt fontes, quibus vtantur, a nobis ipsis, de re vtpote nostra, habeant et aditu faciliores, et magis genuinos, ac sinceros. Quod quidem ego, ea etiam de caussa, multo libentius praesto: vt, quae sunt antea a nonnullis linguae nostrae non recte adspersa, iniuria, et prope ad calumniam; ea sensim deleantur imposterum, iudiciis iam veris, ad laudem, et commendationem.

Pestini, Mense Decembri, Anno MDCCCII.

VICISSITVDINES

VICISSITVDINES
CVRATAE EDITIONIS, ET PRAECIPVA OPERIS RATIO.

* * *

Elaboratior haec Grammatica mea, cuius editio iam anno MDCCCIII. magno conatu ita coepta est, vt anno eodem ad exitum vergente reuera ad finem perducatur, aegre vel nunc prodit perfecta, quarto demum anno, et ea quidem in partibus iam editis non nihil mutata, cetera vero, quanta mole futura erat destinatione prima, eius dimidio certe auctior.

Coeptam editionem morata sunt impedimenta varia: primum occupationes aliae, partim iussu altiore, partim necessitate aliunde nata, mihi saepe impositae; frequens deinde aegrotatio, morbo recidiuo grauata; postremo vero, et quam maxime, sumtuum, quanti requirebantur, molesta, difficilis, et sera impetratio.

Rerum omnium pretia, hac temporum iniquitate enormiter exaggerata, operas etiam typographicas reddiderunt in Patria nostra ad horrorem sumtuosas. Apparatuum meorum Volumina, quae, et Linguae, et Gentis nostrae dignitas, plura a me, et pleraque spissiora exigebat, non possunt secus edi, nisi sumtu omnino magno, et praesente: alia de spissioribus, in exemplaribus M. certe florenis DCCC. et DCC: alia porro, quae sunt aliquanto

tenuiora, florenis DC. et D. Et huius quidem Grammaticae meae duo Volumina, quot ea primum erat datura, requirebant sumtum florenorum MDC. Eadem vero nunc dimidio auctior, iam tria implens Volumina, facit impensam florenorum MMCCC. Sumtum, edendo vni tantum Volumini sufficientem, et integrum, quotus suppeditat tam largae munificentiae Maecenas? Quot sunt porro, qui ad necessarium huiusmodi subsidium saltem partes suas amica consensione plures conferant? Incredibile est, eodem omnino tempore, quo ab annis compluribus ipsa Regni Comitia tanto feruent desiderio promouendae linguae patriae, tantum tamen esse Potentium in eodem Regno torporem, tantam incuriam, in iis studiis, quae huc faciant, serio tandem subleuandis.

Dimisi priuatim supplices libellos amplius triginta pro benigno subsidio: ad quos mihi ne responsa quidem data sunt, ingenti certe conatuum meorum fastidio, et publici desiderii neglectu; quo me vtroque diu necessum erat et rubere, et iusto incendi dolore. Sum vero indignius etiam exceptus a nonnullis; qui, precibus meis, et amicorum interpellatione aliquomodo commoti, inclinabant ad aliquam liberalitatis speciem, angustam sane, mihique vel ipsa recordatione satis adhuc acerbam. Oblati sunt sumtus dimidiati, et minores; integro tamen dedicationis honore vindicato; restricta ad terminos vel huius truncati beneficii perceptione; facta relegatione ad spem lucri, quod ex editorum emtione

futurum asserebant supputatione sua tam amplum, vt impensae reliquae abunde suppetant; datis praeterea pro ope praesente, qua egui, et nunc egeo, obligationum literis de debitis desperatis, quae ego, cupidus honesti otii, abstractus ab occupatione literaria, ingrata lite diu frustra vrgerem. Ad preces iteratas, ad expositas difficultatum rationes, reddita est ab huiusmodi largitoribus, ab ipsis adeo interpellatoribus, amicis nempe meis, vel tantulae, tamque coarctatae munificentiae superba exprobratio. Datae ad haec etiam conditiones iniquae ponendi leges grammaticas: non quas eruissem genuinas ex intima linguae indole; sed quae ipsis placerent ex consuetudine incerta, vel eius, quem doctum indocti mirantur, imperiosa auctoritate.

Non solum decuit, sed oportuit etiam, me aliquot oblationes tam viles, et ingratas, respuere, statimque remittere. Ex operum diuenditione, praesertim grammaticorum, et praeuidi, et expertus sum postea, primis meis conatibus iam vulgatis, quid subsidii redundare possit. Rari sunt, quos philologia oblectet patria, plerosque ea vtique persuasione turgidos, se natos Hungaros, linguae patriae iam gnaros, non egere institutione alia. Et siqui sunt talium lucubrationum ceteris curiosiores: plerique exspectant potius, dum opus, quod pretio redimant, integrum prodeat. Vtraque de caussa raros equidem nactus sum per triennium emtores, et prouentu ita lento, ac minuto: vt hic sensim, ac minutim, diffluxerit etiam in varia horum cona-

A 2

tuum auxilia minora. Deinde, siquid etiam aliquanto copiosius redundaret, quam et hoc totum absorberent vitae sustentandae necessitates quotidianae! Temporis enim hodierni summa iniquitas, Pestini praesertim, vbi degere debeo officii ratione, ita pretia rerum omnium exaggerauit: vt, exhaustis praesidiis ordinariis, annua scilicet pensione florenorum DC. et benigno augmento aeque annuo florenorum CC. reliqua vitae subsidia quotannis anxie mihi conquirenda sint ad florenos minimum CD. partim stipe cum rubore collecta, partim vario labore mercenario, interruptis interea lucubrationibus meis vtilioribus. Illinc largitores dimidiati, ad terminos exiliter liberales, auara supputatione de prouentu incerto prouidi, et donandis rebus iam perditis munifici, tam duriter negent vel hoc, siquod esse posset, tenue vitae praesidium, et solatium, homini ad commune decus, et emolumentum, tam acriter laborioso, hoc praesertim tempore tam iniquo?

Quanto sunt mihi potiores alii, quorum interea vel integra munificentia, vel studio consentiente, sine honoris contentione, per partes collata, subleuandae industriae meae opportune succurrit. Aequum est, me in eos, priuatim, publiceque gratum esse. Quod equidem lubens etiam praesto pro viribus, et memori saepe sermone, et conceptis ad perennem nominis gloriam Inscriptionibus.

Dum sic adhaesi in editione maturanda, cepi nouum interea consilium augendi hoc ipsum Opus

meum Grammaticum, accessione notabili, Exterorum, et Domesticorum gratia. Exteris enim, ad illustrandam humani sermonis historiam in omni lingua egregie curiosis, valde probari coepit, vel primis lucubrationum mearum partibus iam editis, et nostrae linguae tentata per me euolutio genuina, et demonstrata ad euidentiam cum linguis affinibus mira consensio. Sunt eodem conatu meo etiam Populares nostri, ad rectam, et solidam linguae patriae cognitionem, rari licet, cum magna tamen voluptate erecti: sed quos turbulenta quaedam capita, confusa, et inani eruditione sua nimium elata, non tantum clamoribus maleuolis, verum scriptis quoque inuidis, et insulsis, statim peruertere, et a bono proposito auocare contenderunt. Quare ego vt eo magis placerem vtrisque, tam Exteris, quam etiam Bonis istis Ciuibus nostris, et illustrandi, et succurendi studio intensiore: omnino ad linguae nostrae naturam penitius eruendam, atque vna ad eius integritatem a corruptionibus hodiernis plenius vindicandam, partes suscepti Operis potiores sumsi prolixius deducendas; adiectis nouis obseruationibus, non paucis praeterea obiectionum refutationibus, ingratis quidem, sed necessariis ad cohibendos conatus aduersos. Quo factum est, vt Opus, quod antea futurum erat phylirarum septuaginta, et aliquot, id nunc absolutum auctius prodeat in phyliris amplius centum.

Mutanda erat propterea suscepti Operis prima partitio. Nam quod antea bona ratio diuidendum

suasit in duo Volumina fere aequalia; et ista porro, partitione minore, in totidem Tomos distribuenda: id nunc tribus comprehenditur Voluminibus, omissa Tomorum subdiuisione. Volumini primo praemissa est phylira vna cum nouo Titulo, coniunctis Maecenatum Laudibus, antea separatim datis, et aucta Praefatione priore: est praeterea recusa phylira A, adiectis Vicissitudinibus Curatae Editionis, et Praecipua Operis Ratione; item et alia phylira T. pagina 289, denuo impressa, cum inserta Animadversione Necessaria, Pronominum Explanationi praemissa. Volumini secundo nouus itidem Titulus datus, et noua Inscriptio, Excellenti Maecenati pro singulari merito seorsum facta, recusa phylira Mm. adiectae Vindiciciae Iustissimae de Secunda Verborum Forma Indeterminata radice aucta; subiunctus demum Conspectus Operis, et Index Rerum, quae continentur hoc Volumine secundo. Volumen tertium, prioribus par mole, simili imprimitur apparatu.

Bonorum conatuum Aequi Aestimatores vltro peruident auctam hac editione sumtuum rationem, quam sincere iam supra exposui. Itaque nec pretium Operis grauate ferent auctum necessario, moderate tamen, seruata ratione prima, licet iniquiora sint tempora editionis posterius curatae. Qui partes priores habent iam pretio primo redemtas, pendent pretium Voluminis tantum tertii: quibus gratuito dandas constitui etiam priorum Voluminum phyliras, suis locis inserendas, et recusas, et nouiter impressas,

Volumini tertio fideliter adiectas; siquidem Insignes hi Ciues Patriae conatum meum, tot implexum difficultatibus, Opere licet nondum perfecto, promto tamen iuuerint partium iam editarum grata emtione, posteriorum spe non abiecta.

* * *

Multum differt haec Grammatica mea a reliquis, hactenus in lucem prolatis: quod in Praefatione iam satis indicaui generatim, hoc vero loco distincte expono, strictim tamen; vt statim in principio clare cuique pateat Praecipua huius Operis Ratio.

Ego linguam nostram ante omnia ita sumsi explanandam, vt est ipsa in se, et eo prorsus modo, quo se ipsa sensim efformauit. Et hoc quidem vt felicius potuerim praestare: necessum erat, me totam linguam nostram, non hodiernam tantum, sed antiquam etiam, quam altissime repetitam, penitius perscrutari; et perpetuis obseruationibus in ea factis, affiniumque linguarum diligenti collatione, pedetentim ad ipsam eius originem penetrare. Quo conatu meo sane improbo ea sum demum assecutus: quae me rectissime tradere plene confido, tum mea conuictione interna, tum aliorum etiam sententia; quiqui ad euolutiones meas animum adhibent a praeiudiciis liberum, et cognoscendae veritatis vnice studiosum.

Primum itaque, et summum doctrinae meae caput est, inauditum hactenus, ac propterea insolens plerisque, et arduum perceptu: in nostra nempe lingua, vt ipsas vocum radices, ita etiam affixa omnia, quae ad radices accedunt, tam per inflexionem, quam per

deriuationem, et compositionem, voculas esse omnino significantes, de lingua primigenia; quibus numeri, gradus, modi, tempora, personae, et omnes relationes aliae, vocumque genera, et species, per circumscriptionem concinnam, significantium vi accumulata, viuide, et cum efficacia exprimuntur. Hoc linguae nostrae systemate proprio feliciter detecto, et clare explanato, ingentia redundant commodo. Recta enim partium resolutione pertingimus ad prima simplicissimae linguae nostrae exordia: resumta porro earundem combinatione successiua, vti ea sensim facta est, deducimur ad genuinas, et certissimas, inflectendi, deriuandi, et componendi leges; et iam, non sentimus obscure tantum, sed clare, intimeque percipimus partium significantium quacunque accumulatione auctum etiam significatum. Linguae studium sic totum ponitur in luce clarissima: fitque certa omnino scientia, omnem excludens dubiam opinionem, et coniecturam probabilem. His rebus non potest lingua nostra et nobis non esse multo gratior, et exteris ad nostram gloriam tandem aliquando commendabilior, certe ea cumprimis de caussa: quod ad ea illustranda, et euidentius probanda, quae hodie tam egregie scribunt quam maxime Germani de linguarum ortu, et progressu, inter Europaeas nostram possint quam felicissime pro subsidio adhibere. Potest ea multam lucem affundere ad explanandas linguas affines: ad septentrionales quidem sine vlla dubitatione; aliquam vero vt puto, ad ipsas etiam orientales.

Jam vt alias prosequar institutionum mearum differentias, hoc primo studio recte natas: praecipua est in his, inter vocum inflexiones, coniugationum triplex forma, contra errores hodiernos linguae vsu fixo, perpetuo, et vniuersali, ad euidentiam demonstrata, propriis analogiis inter se clare distincta, et legibus quam simplicissimis definita.

Est praeterea in vocum deriuationibus, contra recentia formationum monstra, pugna vt iusta, ita acris etiam, propositis deriuationum legibus sinceris, ex ipso linguae vsu itidem fixo, perpetuo, et vniuersali.

Occurrunt porro quaedam et in syntaxi diuersa ab vsu praepostero, tam antiquo, quam hodierno. Primum quidem in constructione possessiua, antecedente possessore plurali, expresso, eoque proximo, et remoto, vel tacito, pronomen affixum, possessoris relatiuum, aeque plurale ponendum assero, secundum vsum rectum, in analogia nitentem, altero vitioso penitus neglecto, per maiorum nostrorum incogitantiam licet antiquissimo. Deinde inter nomina continuata, ad personam eandem pertinentia; propria nempe, nostra distinctione baptismalia, cognomina, et praedicata; tum appellatiua dignitatum, officiorum, conditionum, opificiorum, cognationum, et similium; ordinem doceo seruandum linguae nostrae vsui antiquo exacte consentientem, contra vsum hodiernum, aliarum gentium imitatione corruptum: vt pluribus communia, et declaranda, postremo ponantur loco, declarantia vero iis praemittantur; ac de his etiam, si plura occurrant, minus declarantibus praeeant magis

declarantia. Distinguo praeterea, secundum linguae indolem, etiam substantiua actionis, orta a verbis actiuis: quae constructionem possessiuam Latine propositam, tunc solum recte talem admittunt, quando agentes sunt possessores; his vero eam actionem patientibus habent illa res patientes, retenta verborum natura, in casu accusatiuo, vel absorpto, vel expresso; aut migrant certe in substantiua passiua, vel in alia absoluta. Resuscito demum, exemplis omnino antiquis, elegantem vsum participiorum, et infinitiui constructi, longa desuetudine iam fere exoletum: quo, si non superantur, aequantur certe Latini sermonis concinna huiusmodi compendia. Praecipua sunt haec discrimina, ad conseruandam linguae integritatem accuratissime euoluta: alia minutiora, quae in ipso opere occurrunt frequentia, non est necessum hoc loco memorare.

Tantum de orthographia moneo, de qua inanis est hodie, et immoderata, nonnullorum dissensio: et huius principium primum, et certissimum, quod pulchre tenent saniores, mea etiam demonsratione clarissima esse etymologiam; quae tamen non omnem negligat euphoniam, communi consensione firmatam, ad vitandum sonum omnino durum, et ingratum; deficiente vero etymologia, qui casus in nostra quidem lingua rarior est, in vocibus tantum primitiuis, alterum succurrere orthographiae principium rectam consuetudinem.

Pestini, Mense Maio, Anno MDCCCVI.

INTRODVCTIO.

Habet et Grammatica, vt artes ceterae, quasdam cognitiones praeuias: quae, principio statim expositae, totius disciplinae interiora primo obtutui generatim obiiciunt: qualia ea sint natura sua, quomodo disposita, quibus fundamentis praecipue innixa, et quibus praeterea adminiculis fulta, et adiuta.

Perperam fieri existimo, quod hae in Grammaticis, praesertim nostris, penitus negligantur. Satis nimirum perceptae esse putantur institutione linguae Latinae, quae nobis prima est, diligentiusque, ac diutine tractari solet. Sed eae, cumprimis a iuuentute, in omni lingua videntur mihi partem potiorem semper cum vtilitate repeti posse: quod, in recentiorem reuocatae memoriam, ediscendae nouae linguae fundamenta reddant firmiora. Praeterea complecti possunt aliqua, ad propositae lingue naturam accommodata; quae in alia non itidem solent occurrere.

Verum vtcunque sint ista, quae me praecipua mouet ratio, haec vna mihi sufficit: vt Grammatica mea, quam omnibus partibus accuratiorem dare contendo, et his praeuiis cognitionibus, parte vtique ad integritatem requisita, plenior, perfectiorque sit. Succurretur hoc pacto et ipsi iuuentuti parte quidem ea, quae illi necessaria est ad linguae

cognitionem recte capiendam. Satisfiet praeterea et illis, quorum aeque magnam habeo rationem: qui, ludum literarium dudum egressi, ac linguae patriae nobiliore incensi studio, ad ea, quae trado, non tam ediscenda, quam penitius examinanda, ipsum etiam apparatum meum, et praecipuam adornati operis rationem, nosse debent. Quare illa, quae vtrorumque gratia huc pertinere arbitror, iam ea explano serie: qua mihi ipsa inter se, alia aliis recte praeire, alia apte succedere, vltro videntur.

CAPVT I.

GRAMMATICAE DEFINITIO, MATERIA, ET PARTITIO.

§. I.

GRAMMATICAE DEFINITIO PRAEMISSIS NOTIONIBVS LINGVAE, ET DIALECTORVM.

A. LINGVAE EXPLANATIO.

Deus, rerum parens, hominem a ceteris animalibus eo maxime separauit: quod ipsum praeditum esse voluerit facultate sonos articulatos edendi, ad ea, quae mente concepisset, horum ope aliis indicanda. Ad hoc vero vsui sunt illi ista coniunctim organa: pulmones, guttur, palatum, lingua, dentes, et labia. Horum adminiculo, dum is per sonos distinctos, qui auditum afficiunt, animi sui motus,

et cogitata exprimit, eaque cum aliis communicat, loqui, et sermonem facere dicitur.

Quia *lingua* praecipuum est loquendi organum, eadem sumitur etiam pro ipso *sermone*, quo totus populus proprio et communi vtitur; idque, vt apud Latinos, sic apud nos quoque Hungaros in vsu est, *nyelv*, lingua, et sermo gentis; item apud nonnullas gentes alias, ex. gr. Illyrios, *jezik*, pariter sermo genti vsitatus, ac lingua ipsa. Germani a loquendi verbo sprechen locutionem dicunt, Sprache.

Linguae partes sunt vtique voces. Iam vero vox ipsa, vt ex iis, quae praemissa sunt vltro intelligitur, est sonus articulatus, ad explicandum animi conceptum, ore productus; vel, vt idem aliter quoque efferam, est rei mente concepte expressio, auditum afficiens. Lingua porro est complexio vocum omnium, quibus gens aliqua vtitur ad exprimendas cogitationes.

Tot sunt linguae, quot dantur populi, seu nationes. Germanus Germanice loquitur, Russus Russice, nos Hungari Hungarice; et sic ceteri omnes sermonem sibi proprium, genti suae cognominem, vsurpant.

Linguae, quas nostra adhuc aetate integrae gentes loquuntur, *viuae*, aut *recentiores* vocantur: illae vero, quae, ab integris populis iam dudum neglectae, in libris tantum supersunt, et ab eruditis laboriose condiscuntur, *mortuae*, vel *antiquae* nominantur. Lingua, quae in regione ipsa, vbi na-

ti, et alti sumus, communiter vsurpatur, *patria* dicitur, etiam *vernacula*; Hungarice *hazai nyelv*, *született nyelv*. Quaedam gentes; vti et Germani, malunt *maternam* vocare, Muttersprache. Hos imitati et nos ita saepe dicimus, *anyai nyelv*. Hungarica igitur lingua est nobis patria, est vernacula, est materna. Anglica, Gallica, Italica, et aliae linguae ipsis quidem Anglis, Gallis, Italis, ceterisque, sunt aeque patriae, vernaculae, maternae; sed eaedem, compatae cum patria tellure nostra, nobis *peregrinae* appellantur.

B. DIALECTI EXPLICATIO.

Nulla est gens, quae in singulis regionibus linguam apud viniuersos eandem habeat, nihil omnino immutatam. Increscente enim populo, familia quaequae, vti sensim in remotiores secessit terras, ita magis magisque deflexit a pristina vocum domesticarum pronunciatione, a primigenia etiam quarundam significatione; quasdam praeterea fidelius retinuit, quasdam vero per incuriam penitus deperdidit, et alias earum in locum vel ad linguae indolem nouas effinxit, vel a vicinis intermixtisque gentibus peregrinas adoptauit; eademque hoc pacto lingua communis, ob mutati climatis, ac temperamenti, quod a climate cumprimis pendere solet, educationisque, et consortii, ac morum diuersitatem, in varias, et diuersas abiit dialectos.

Et *dialectum* quidem sic plerique accuratius definiunt; eam linguae alicuius, secundum maxi-

mam vocabulorum partem communis, immutationem esse peculiarem, eamque leuiorem, et pro diuersis prouinciis, ac populis, illa eadem lingua vtentibus, diuersam. Germani dialectum Mundart dicunt; nos Hungari apte reddimus *szóllás módja*, loquendi modum. Dialectus enim, quae eandam requirit communem linguam, leuibus admodum deflexionibus mutatam, reuera diuersus est tantum modus loquendi, aut scribendi, voces easdem.

Et in nostra quoque lingua Hungarica volunt quidam diuersas obseruari dialectos; si potiores patriae regiones vel obiter percuramus. Differunt enim in multis Transdanubiani a Cisdanubianis; ab his porro satis abludunt et Cistibiscani, et Transtibiscani; maxime vero Transiluani Hungari, et cumprimis Siculi. Quique horum suam praetendunt dialectum ceteris magis sinceram, et eminentiorem, Sed contentionem hanc moderatiorem esse oportebit: si perpenderint singuli, suo quidem sermoni domestico quaedam etiam vitia inesse; quae pro dialectis haberi non possunt. Haec antea, accuratiore linguae studio diu neglecto, vsu praepostero sensim irrepserunt; nunc autem, posteaquam feruentior linguae cura tandem excitata est, eadem, longa vtpote consuetudine firmata, pro genuinis incaute a plerisque obtruduntur, et fixis adeo regulis stabiliuntur. Si quibus aliquis est principatus tribuendus; ad hunc quidem illi accedent propiores: quibus ista vitia quam rarissima adhaeserunt. Accuratiores linguae regulae certius de hoc definient.

C. GRAMMATICAE DEFINITIO.

Sunt autem linguae regulae, Sprachregeln, *nyelv szabásai*, praecepta generalia, ex recto linguae vsu depromta; secundum quae linguae vocabula pronunciantur, inflectuntur, formantur, connectuntur, et scribuntur. Doctrina de linguae regulis *Linguae Institutio* dicitur: Graeco támen nomine notissima est hac significatione *Grammatica*, Sprachlehre, *Nyelv tanítás*.

Hungarica itaque Grammatica est institutio ad capiendam fundatam cognitionem regularum linguae patriae, et ad obtinendam facultatem eam recte et expedite loquendi, scribendi

Id, quod cum regulis, in recto linguae vsu fundatis, bene conuenit, dicitur *linguae consentaneum*, sprachrichtig, *a' nyelvvel meg egyező*; quod vero eas vitiat, id *linguae aduersum* appellatur, vel *linguae error*, et *soloecismus*; sprachwidrig; Sprachfehler; *a' nyelvvel ellenkező*, *nyelv hibája*, *nyelvben való éktelenség*.

§. II.

GRAMMATICAE MATERIA.

A. PRIMA VOCVM ELEMENTA.

Homo, pro insita sibi sonos edendi facultate, profert in his varios certe, ac diuersos; qui simplices primique sunt, et reliquorum sonorum elementa praebent. Et horum quidem alii sunt, ore magis minusque aperto, clare, pureque in gutture sonantes, ex. gr. *a*, *e*, *i*, *o*, *u*, alii vero, ore diuersimode

uersimode formato, organisque varie collisis, cum strepitu extrusi aeris, et aliorum pure sonantium, siue per se vocalium, admixtione expressi, proinde cum his consonantes, ex. gr. *be*, *ce*, *de*, et qui sunt alii de hoc genere, pro gentium diuersitate vel plures, vel pauciores.

Atque hos simplices, primosque sonos, quod naturae dispositione reuera proferantur, eorumque praeterea varia, et multiplici combinatione, ipsae voces, admiranda diuersitate, et copia coalescant, ad omnigenas mentis notiones auditui exhibendas, quidam *literas* vocant *reales*, et *naturales*; wirkliche, natürliche Buchstaben; *valóságos*, *természeti betük*. Istas deinde, inuento sane diuino, industria humana signis variis notauit: vt cogitata, literis naturalibus auditui exhibita, etiam oculis subiicerentur. Et haec iam signa, literas naturales indicantia, vtique arbitraria, et pro diuersitate populorum mire itidem diuersa, sunt *literae artificiales*; künstliche Buchstaben; *mesterséges betük*.

B. VOCVM ACCENTVS, ET TONI.

Facultati sonos articulatos edendi, soli homini congenitae, addidit natura quoddam etiam harmoniae, et energiae studium: vt is, ad maiorem sermonis et suauitatem, et vim, vocum connexarum particulas celerius alias, alias tardius, ac producte proferret; alias praeterea attolleret, alias deprimeret. Hae vocum quaedam quasi modulationes, *accentuum*, ac *tonorum* nomine venire solent.

C. VOCVM DIVERSA GENERA.

Iam si rerum ipsarum, quae mente concipiuntur, diuersitatem contemplemur: plura, et distincta occurrunt nobis earum genera. Et primum quidem de his praecipuae sunt *substantiae*, res vtpote per se subsistentes, et ab aliis separatae: ex. gr. *terra*, *arbor*, *homo*, *equus*, etc. Sequuntur porro *qualitates*, per se non subsistentes, neque separabiles, sed quae semper substantias requirunt, quibus ipsae inhaereant: ex. gr. *aridus*, *viridis*, *bonus*, *malus*, etc. Accedunt praeterea *habitudines* variae, in quibus substantiae positae esse concipiuntur, statum aliquem obtinendo, vel purum, vel agentem, vel patientem: ex. gr. *dormit*, *vigilat*, *odit*, *amat*, etc.

Tria haec rerum genera expressionum quoque, seu vocum, totidem praebuerunt genera: quae sermoni praeciso, et necessario, praesertim in primordiis, vtcunque suffecerunt. Sed, quia mens humana, et qualitates, et habitudines substantiarum, etiam modis diuersis, ac circumstantiis, repraesentare potuit, et reuera repraesentauit; insuper et nexum cogitatorum diligentius curare iam coepit: orta est hinc, ad ista quoque exprimenda, plurium vocum necessitas.

Iam voces omnes ita consideratae, vt eae in sermone cogitatorum nostrorum diuersa genera, modos quoque, et circumstantias, ac nexum exprimunt, *orationis partes* vocantur. Hae vero, quemadmodum in plerisque linguis, ita et in no-

stra octo numerantur: *nomen*, *pronomen*, *verbum*, *participium*, *postpositio*, *aduerbium*, *coniunctio*, *interiectio*.

1. Nomen, Nennwort, *nevező szó*, est vox, quae denominandis rebus inseruit. Nomen, quod substantiam denotat, *substantiuum* appellatur, Hauptwort, *állatot nevező szó*; quod vero qualitatem indicat, *adiectiuum* dicitur, Beywort, *tulajdonságot nevező szó*.

2. Pronomen, Fürwort, *névmása*, est vox, quae in nominis locum substituitur, ad vitandam eiusdem repetitionem. Ex. gr. *Paulus a Petro exegit pecuniam suam, et hic illi eam statim persoluit:* haec constructio ingrata esset, si, neglectis pronominibus, nomina ipsa, quae per illa referuntur, saepius in ea recurrerent: *Paulus a Petro exegit pecuniam Pauli, et Petrus Paulo pecuniam statim persoluit*.

3. Verbum est vox, quae substantiarum habitudinem, seu statum, vel purum, vel agentem, vel patientem, atque vna et tempus indicat, quo ista fiunt. Ex. gr. *amo*, *amaui*, *amabo*, verbum est actionem significans, eamque diuersi temporis, praesentis, praeteriti, et futuri. Verbum Germani, ob inuolutam illi temporis notionem, Zeitwort appellant. Horum imitatione posset idem et nobis apposite dici *időt foglaló szó*; non tamen reiicio vocabulum *ige*, huic significationi a quibusdam iam consecratum.

4. Participium, Mittelwort, *részesülö szó*, est vox a verbo descendens, a quo inuolutam temporis notionem retinet, et vna nominis adiectiui valorem accipit: ex. gr. *amans*, *amatus*, *amaturus*. Palam est id a duplici hac participatione suum trahere nomen.

5. Postpositio, Nachwort, *utóljáró szó*, eadem vox, quae Latinis *praepositio* dicitur, Germanis Vorwort, sed nobis sic potius nominanda: quia ex linguae nostrae indole, contra ac apud Europaeos fit, nominibus, et plerisque pronominibus postponitur, ad indicandum rei vnius ad aliam respectum. Ex. gr. *riuus per hortum defluit; frater tuus, apud quem moratus sum.*

6. Aduerbium, Nebenwort, *határozó szó*, est vox, quae circumstantiam aliquam notat, et significationem potissimum verborum, etiam adiectiuorum, accuratius determinat: ex. gr. *hic canis velociter currit, et valde sagax est.*

7. Coniunctio, Bindewort, *egybe foglaló szó*, est vox, quae inseruit iungendis in sermone tam vocibus singularibus, quam etiam integris sententiis: ex. gr. *pater meus, et mater mea, amant me; quia obsequens, et bene moratus sum.*

8. Interiectio, Empfindungswort, *indulatot jelentö szó*, est vox, quae repentinum animi affectum aliquem exprimit, dolorem puta, laetitiam, admirationem, etc. ex. gr. *eheu! io! papae!*

D. VOCVM INFLEXIO.

Si vel leuior adhibeatur attentio ad singulas orationis alicuius partes: obseruabuntur voces aliae, quotiescunque recurrunt, semper immutatae manere; aliae autem diuersis terminationibus variari, ad indicandas earum relationes, propositae orationis sensui accommodatas. Vocum variatio diuersis terminationibus *inflexio* dicitur. Orationis partes, quae inflexionem assumunt, *flexibiles*; quae vero eam renuunt, *inflexibiles* appellantur. Flexibiles sunt primae quatuor: nomen, pronomen, verbum, participium; quatuor reliquae inflexibiles: postpositio, aduerbium, coniunctio, interiectio.

E. VOCVM FIGVRA.

Voces porro vel *simplices* sunt, vel *compositae*. Simplices vnicam tantum exprimunt notionem: ex. gr. *aurum*, *coma*, *caro*, *vorax*. Compositae, ex duabus, vel pluribus simplicibus coalescunt; quarum singulae, separatim sumtae, iam claram habent notionem; iunctae proinde duplicem, ampilioremque praebent; ex. gr. *auricomus*, *carniuorus*.

F. VOCVM SPECIES.

Simplices deinde voces, vel *primitiuae* sunt, vel *deriuatae*. Primitiuae primae sunt, a nullo ortae; sed de quibus, per varias adiectiones, aliae nascuntur; quare etiam *radices* vocari amant, in nostra praesertim lingua. De his est ex. gr. *sal*. Deriuatae sunt de primis deductae, adnexis variis

adiectionibus, per quas retenta prima vocum notio et aliis secundariis notionibus augetur: ex. gr. *salsus*, *salsedo*.

§. III.
GRAMMATICAE PARTITIO.

Iam et nostra Grammatica, vti quaecunque alia, in tradendis regulis de vocum elementis, ac tono vario, totque generibus, de horum porro inflexione, compositione, deriuatione, de singulorum demum apta ad sermonem connexione, rectum vtique ordinem tenere debet; quo ipsa vltro in certas secernitur partes. Sunt vero et nostrae Grammaticae partes omnino quinque: *orthoepia*, *prosodia*, *orthographia*, *etymologia*, et *syntaxis*.

1. Orthoepia, Rechtlesung, *Helyes olvasás*, est doctrina de recta lectione.

2. Prosodia, Tonmessung, *Hangmérséklés*, est doctrina de recto accentu, ac tono, in pronunciatione vocibus dando.

3. Orthographia, Rechtschreibung, *Helyes írás*, est doctrina de recta scriptione.

4. Etymologia, Wortforschung, *Szóvisgálás*, est doctrina de vocibus recte inflectendis, deriuandis, et componendis.

5. Syntaxis, Wortfügung, *Öszvehelyheztetés*, est doctrina de recta vocum, et sententiarum, constructione.

Harum partium tres primae, orthoepia, prosodia, et orthographia, admodum breues sunt, praesertim duae posteriores.

Pars quarta, seu etymologia, omnium fusissima, vltro tres facit partitiones, vt paulo ante vidimus; vocum inflexionem, deriuationem, et compositionem; singulas certe vel propterea enucleatius tractandas: quod in his posita sit linguae rectius condiscendae, et promtius in vsum deducendae, omnis facultas.

Quinta demum pars, syntaxis nempe, etymologiae superstructa, Grammaticae complementum, extensione satis ampla, pari studio euoluenda, pro diuersis vocum construendarum generibus aeque pluribus sectionibus proponitur.

CAPVT II.

GRAMMATICAE LEGES GENERALES.

Grammatica, praesertim bona, temere, et qualicunque cura leuiore, concinnari non potest. Habet ea fixas quasdam leges generales: quas Grammaticus quisque, nisi errorum fluctibus, vt hodierni pleriqne, sic et ipse iactari velit, cynosurae instar, sedulo, ac fideliter sequi debet.

§. I.

LEGVM GENERALIVM NVMERVS, ET EXPLANATIO.

Generales vero hae leges quatuor sunt: *consuetudo*, *analogia*, *etymologia*, et *euphonia*.

I. Consuetudo quid fere sit, cum etiam de lingua dicitur, ex ipso vocis valore, vltro quidem,

facileque intelligitur. Sed puto, ad maiorem claritatem, eam tamen definiendam esse. Consuetudo itaque, vt hic sumitur, est vocum, tacito, et communi quodam pacto receptarum vsus, communi pariter, et constanti frequentatione firmatus.

Spectat vero hic vsus principio ipsam vtique significationem, vocibus tributam; qua in re summa est eius vis, et arbitrium; deinde modum etiam pronunciandi, inflectendi, deriuandi, et construendi.

Non praetermitto per occasionem monere: consuetudinem, et vsum, morem quoque, vocabula promiscue adhibita, vulgo eandem habere vim.

Multum porro interest consuetudines distinguere: *vniuersalem*, omnium dialectorum, a *particulari*, quarundam nempe, vel vnius tantum dialecti; *antiquam* praeterea, et *perpetuam*, apud maiores olim nostros semper vigentem, a *recentiore*, serius, vel modo tantum inualescente.

II. Analogia, proprie similis ratio, proportio, est certus in lingua ordo: secundum quem similes voces simili modo tractantur. Breuiore Varronis definitione, *analogia est verborum similium declinatio similis.*

Latissime haec patet, et viget quam maxime in inflectendo, ac deriuando. Illic nempe similibus similes terminationes, hic similibus similes adiectiones adduntur. Ex. gr. *hal*, piscis, datiuum habet *halnak*, pisci; etiam simile illi *halál*, mors, eundem casum sic prorsus facit, *halálnak*, morti.

Deinde verbum *ír*, scribit, dat substantiuum actionis *írás*, scriptio; eodem modo de simili *olvas*, legit, formatur *olvasás*, lectio.

Huius ordinis studium, vt in rebus ceteris, sic in lingua quoque, palam est, omnibus gentibus, quandoquidem adest apud omnes, a natura esse inditum, certe leuandi laboris caussa. Iam dudum hoc et Varro praeclare adnotauit (De Lingua Latina Lib. VII.). *Duo sunt omnino verborum principia, impositiorum, et declinatorum: alterum vt fons, alterum vt riuus. Impositia nomina esse voluerunt quam paucissima, quo citius ediscere possent: declinata quam plurima, quae isthoc opere facilius omnes, quibus opus essent, discerent. Ad illud genus, quod prius, historia opus est: ad reliquum genus, quod posterius, ars: ad quam opus est paucis praeceptis, quae sunt breuia. Quae enim recte in vno vocabulo declinare didiceris; in infinito numero nominum vti possis. Itaque nouis nominibus allatis in consuetudinem, sine dubitatione eorum declinatus statim omnis dicit populus.*

Anomalia, Latine dissimilitudo, analogiae opponitur: estque, vt in Grammatica sumitur, similium vocum dissimilis tractatio; seu similium a simili, inflexionis potissimum, ac deriuationis modo deflexio.

Et ista quidem vocum est numero semper minore; quae propterea *exceptiones* dicuntur a communi similium lege.

Singulari certe naturae prouidentia est ea et hic, vt in rebus ceteris, introducta: vt ipsa etiam similium vocum similis ratio, copia sua, et constantia pertinaciore, quodammodo taedio futura, aliqua dissimilitudine, parcius intermixta, esset nobis iucundior. Et omnem quidem, in nostra praesertim lingua, minorem istam in speciebus dissimilitudinem, vel propterea ad delectationem esse patet; quod nuspiam fere secus occurrat, nisi soni suauioris commendata studio; in quo ipso rursum quaedam est, inferiore hac partitione, similium similis ratio.

III. Etymologia, secundum genuinum vocis valorem, est inquisitio in vocum origines, ac proprietates; simulque comprehendit, significationum, ac terminationum, adiectionumque, et compositionum discrimina.

Ad haec posteriora attendi in definitione superiore (Cap. I. §. III.); qua etymologiam, vt partem Grammaticae, exposui. Eadem, vt Grammaticae lex generalis, hic iam plenius erat explananda.

Clarum est, etymologiam illis occupari: quae consuetudo, per analogiam, et anomaliam, in vocibus, ad res significandas tacito pacto stabilitis, quam copiosissima praebet. Et cum ea in vocum origines, proprietatesque, inquirit: terminationum vtique, et adiectionum, compositionumque resolutione vtitur, simpliciora altius repetendo. Hac secernendi facultate est eadem et connectendi, hoc est, inflectendi, deriuandi, et componendi magistra tutissima.

IV. Euphonia, ad verbum sonus suauior, in Grammatica est vocum, facilis, et grata pronunciatio.

Pulchri nempe studium, humanae menti insitum, eo etiam nationes quasque adduxit: vt, in linguis suis, ad oblectandum audiendi sensum, soni quoque suauioris rationem haberent.

Et ista quidem euphonia, si in vlla lingua alia, in nostra certe, quam latissime, mireque dominatur. Nam perpetua est in omni vocum inflexione, ac deriuatione: quarum vocales cumprimis, varie mutando, ad faciliorem, gratioremque sonum accommodat, multas supprimit, reponit iterum, nouas etiam interserit; consonantes aeque non paucas in alias transformat, quasdam occultat quoque, et mox resumit, quasdam geminat, et rursum simplices adhibet; semper tamen certis haec omnia legibus peragit, iisque per singula vocum genera multum analogis.

§. II.
LEGVM GENERALIVM ORDO, ET RECTA IIS VTENDI RATIO.

Iam illud videamus, de quo non modice disputari solet; quaenam sit de his legibus principe loco ponenda, et prae ceteris obseruanda.

Multi ad consuetudinem inclinant: quod nempe summa eius est vis, cum in significatione vocibus danda, tum in adoptanda eas inflectendi, deriuandi, ac pronunciandi ratione; vt proinde et analogia, et anomalia, euphonia quoque, quae in

iis obseruatur, tota ab ipsa pendeat; etiam etymologia, haec expendens, eidem reuera innitatur quam maxime. Vsus is est, quod et Horatius asseuerare non dubitauit, *quem penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi.*

Sed et Varronis sententiam quis neget veram esse? *Consuetudo loquendi*, ait ille, *in motu est: itaque solet fieri ex meliore deterior* (*De Ling. Lat. Lib. VIII.*). Et vero linguam quamcunque, bona consuetudine olim firmatam, posse vitiosa consuetudine ad summam venire deformitatem, satis docent vel Latinae, quondam cultissimae, fata omnino indigna. Eadem certe consuetudo deterior, in nostra quoque lingua Hungarica, seculi proxime elapsi postremis tantum annis ferme triginta admodum longe processit. Nam ea, in dies magis ac magis imperiosa, et ad ipsam tyrannidem arrecta, non pauca loquendi vitia, perperam obtrusa, iam editis adeo legibus firmare contendit, per mancipia sua, infelices Grammaticos, aliosque Scriptores nonnullos. Nimium haec sentiunt viri boni, vetustae, ac sincerae consuetudinis patriae praeclare studiosi. Neque improbari potest, quod identidem ingemunt: magis e re futurum fuisse, si studium illud excolendae linguae patriae, quod adeo efferbuit, nunquam fuisset excitatum. Linguae saltem, minus vitiosae, non fuissent, culturae specie, tot noua vitia adspersa. In his enim detergendis quantus iam est labor, quam difficilis, contagione tam late serpente!

Animos tamen erigunt meliores isti ciues nostri; et tantae illi peccanti turbae, tanto aequius, et sine reprehensione, cumque pietatis quadam potius laude, fortiter obnitendum esse putant. Ad rem est Varronis iterum sententia perquam elegans (*Libro eodem*). *Cum culpandus non sit medicus*, inquit ille, *qui e longinqua mala consuetudine aegrum in meliorem traducit: quare reprehendendus sit, qui orationem, minus valentem propter malam consuetudinem, traducit in meliorem? An cum quis perperam consueuerit quid facere in ciuitate, non modo non patiemur, sed etiam poena afficiemus? Et hi, qui pueros in ludum mittunt, vt discant, quae nesciunt verba, quemadmodum scribant: itidem barbaros* (addo ego, degeneres Grammaticos, et Scriptores nostros), *qui ignorabunt verba, quemadmodum oportuit dici, non docebimus, vt sciant, qua ratione conueniat dici?* Docebimus enimuero, et legum quidem generalium vsu recto.

I. Quae sunt consuetudine deprauata, eadem non sine consuetudine corriguntur. Deterior, ad meliorem reducta, huic obsequi debet. Consuetudo itaque antiqua, diuturna, nunquam a maioribus nostris interrupta, voces eiusdem speciei eidem restituet analogiae; a qua eas consuetudo recens, prisci moris neglectu, et inualescente postea ignoratione, perperam deflexit.

Ea verborum species, quae, et antiquo, et nostro vsu, in tertia praesentis temporis persona singulari, *ik* pronomine paragogico aucta proferun-

tur, ex. gr. *fzün-ik*, cessat, *fzok-ik*, consuescit, *emelked-ik*, semet eleuat, *ágaskod-ik*, semet arrigit, *ditsértet-ik*, laudatur, *takartat-ik*, tegitur, peculiarem, propriamque secuta est olim, ac semper, in singulari numero per personas inflectendi rationem. Idem nempe *ik*, excepto praeterito, in omnibus reliquis temporibus, retentum est ad formandas tertias personas, vocali tantum euphoniae caussa mutata: ad primas *ém* est vbique adhibitum, primae personae in affigendo pronomen, ex *én*, ego; ad secundas *ál*, secundae personae pronomen, tantum in verbis superstes; et hoc vtrumque vocalibus accommode mutatis, et accentu neglecto. Tertia haec verba inflectendi ratio, distincta a reliquis duabus, vulgo actiuis, indeterminata scilicet, et determinata, a plerisque passiua dicta, suae vetustae analogiae, per plura secula, religiose, et constanter obseruatae, vindicanda est a deformitate; quam illi de forma indeterminata adspergit, vitiosa, et imperita hodierna consuetudo.

II. Veterem consuetudinem, diuturnam, non interruptam, meliorem esse recentiore, quae a veteri insolentius deflectit, confirmabit etiam etymologia, ad euoluendam vtramque consuetudinem in auxilium vocata, praesertim in deriuando, in quo hodie, procliuius, liberiusque peccatur.

Verba mandatiua, quae additam habent primis significationibus et alteram, iubendi, vel curandi significationem, deinde etiam verba passiua, omnis veneranda antiquitas ab actiuis verbis semper eo-

dem formauit modo, eadem nempe adiectione verbi antiqui *et*, ac *tet*, facit, huius quoque vocali congruenter mutata. Discrimen adiecit tamen inflectendi per personas rationem, certe in singulari satis conspicuam: passiuis passiuam, mandatiuis actiuam vtramque, indeterminatam, ac determinatam; vbi ista deficiunt discrimina, voluit differentiam ex sensu capi. Ex. gr. verba actiua, *ver*, verberat, *fojt*, suffocat, *kever*, miscet, *talál*, reperit, mandatiua sic praebent: *ver-et*, *fojt-at*, *kever-tet*, *talál-tat*, facit, vt quis verberet, suffocet, misceat, reperiat; passiua vero: *ver-et-ik*, *fojt-at-ik*, *kever-tet-ik*, *talál-tat-ik*, verberatur, suffocatur, miscetur, reperitur. Haec posteriora respuunt hodierni quidam Scriptores, et Grammatici, aliamque introducunt passiuorum formationem: *ver-öd-ik*, *fojt-ód-ik*, *kever-öd-ik*, *talál-ód-ik*; aliqui hanc etiam: *ver-et-öd-ik*, *fojt-at-ód-ik*, *kever-tet-öd-ik*, *talál-tat-ód-ik*. Sed eos prima non apte, altera absurde etiam obtrudere, docebit etymologia, consuetudini vetustae inhaerens; quae similibus significationem passiuam, qualem illa superiora habent, non imposuit.

III. Quae consuetudo diuturna, et vniuersalis, variantia promiscue vsurpat, vt sunt quaedam de inflexis: si etymologia horum altera tantum recta esse euoluat, altera vero vitiosa demonstret; aequissimo eius arbitrio, alteris reiectis, omnino vitiosis, altera recta sola erunt in vsu retinenda.

Occurrunt talia potissimum in constructione nominum ad possessionem indicandam. Promiscue ista, et olim dicta sunt, et hodie dicuntur: *a' vitézeknek szám-a*, et *szám-ok*, militum numerus; *a' szomoruaknak vigasztaló-ja*, et *vigasztaló-jok*, moerentium consolator. Sed etymologia clarissime demonstrat, in his altera illa, *szám-a*, *vigasztaló-ja*, omnino vitiosa esse; altera vero, *szám-ok*, *vigasztaló-jok*, sola sincera. Itaque, si linguae puritas vndique curae est, vt esse debet, consuetudini in his quidem rectis erit vnice deferendum; illa vero deprauata penitus respuenda.'

IV. Quaedam tamen, de variantibus promiscue adhibita, si etymologia vtraque probet: possunt ea vtraque tuto vsurpari, magis tamen altera, quae potiorum consuetudine sunt vulgo frequentiora.

Similium verborum, *taszít*, *segít*, trudit, iuuat, imperatiui variantes et hodie audiuntur: *taszíts*, *segíts*, etiam *taszíjj*, *segíjj*. Vtrosque et olim viguisse veterum docent monumenta. Etymologia vtrorumque formationem, ab euphonia varie moderatam, vltro admittit. Quia nihilominus priorum exempla a potiore parte vsurpantur; ea erunt et nobis magis familiaria. Si qui tamen et alteris vtentur, illi quidem iure suae dialecti tuto gaudeant.

V. Multa de inflexis, ac deriuatis, molli tantum pronunciandi segnitie, cui et indulgens consuetudo plus aequo patrocinatur, quandam euphoniae speciem iam dudum adepta sunt: similium

radices,

radices, hac leuiore de caussa corruptas, etymologia pro iure suo integras restituet; simulque, inflectendi, ac deriuandi rationem, qualis ea reipsa est, facilem, planamque reddet.

Voces, quae sequuntur, et alias istis similes, *ravasság*, astutia, *imátság*, oratio, *annak*, dant, *vattok*, estis, certe magis pigre, quam blande loquentium ore prolatas, passim et libri sic olim scriptas habuerunt. Eas tamen non dubitant hodie omnes fere, ad etymologiam exactas, melius et scribere, et efferre: *ravaſz-ság*, *imád-ság*, *ad nak*, *vagy-tok*.

Sed illud miratu dignum est: qui hoc iam, in his, similibusque recte factitant, eos plerosque non itidem facere velle in *j* consona, post consonas *d*, *l*, *n*, *t*, suae integritati restituenda. Segniter loquentium more pronunciata, *imággya*, adorat, *vádollya*, accusat, *kivánnya*, desiderat, *ſzaggattya*, lacerat, sic prorsus retinent: tametsi, et etymologia quam clarissima, et analogia admodum copiosa, ea melius, breuiusque scribi iubeant; neque euphonia, vt scripta sunt, ita iis, ore facili, et caste prolatis offendatur: *imád-ja*, *vádol-ja*, *kivánja*, *ſzaggat-ja*. Quod emendant in vocibus, in *d* consonam desinentibus, quia radices restituunt: tamen et in hoc peccant pertinacia. Nam praeterea, quod affixi ignorationem prodant, et euphoniae vitium inferunt maius, quam quod nobis obiiciunt. Bonae certe aures nostro *imád-ja* durius esse percipiunt illorum *imád-gya*: vt hoc illi, scribi, et pro-

nunciari volunt, prorsus non ad vulgi consuetudinem, cui se fidelius adhaerere dictitant.

VI. Sed in quibus euphoniam grauior suasit ratio, quarundam vtpote literarum, asperiorem, et ingratum omnino concursum vitandi studium: hanc, diuturna, et vniuersali consuetudine, ad analogiam quoque satis reductam, etymologia explicabit tantum, non euertet.

Literam *j*, imperatiui formatiuam, omnibus verbis communem, verba in *t* desinentia in sibilum mutant varium, pro vario eiusdem *t* cum antecedentibus literis concursu; propter quem saepe et ipsum *t* in sibilum abit. Ex. gr. verba, *ront*, destruit, *költ*, impendit; *mutat*, ostendit, *ſzeret*, amat, sic habent imperatiuum: *ront-s*, *költ-s*, *mutas-s*, *ſzeres-s*. Certe adiectione formatiui *j* sunt haec facta: *ront-j*, *költ-j*, *mutat-j*, *ſzeret-j*. Etymologia tamen non haec ita restituet; sed sibilum, qui inualuit, ab organis sonorum repetet, euphoniaeque rationem probabit.

Atque ex his, ita hactenus expositis, vt sunt ea rectae rationi consentanea, multo iam certius inferri potest: quaenam sit de generalibus his legibus potissima, quaeque praecipue attendi debeat.

Consuetudo dominatum quidem exercet quam latissimum; sed propter motum, quo agitatur, non tamen eadem est semper integritate, neque eadem proinde auctoritate.

Etymologia, consuetudinis multo certior arbitra, et hanc expendit ipso eiusdem vsu, quo ea

firmatur, quo est analogia constituta, quo euphonia.

Analogia porro facem praefert etymologiae; sed et ista famulatur tantum, non praecellit. Siquidem et haec frequenti interturbatur anomalia: cuius rationes iterum etymologia euoluit, et in nostra quidem lingua vt plurimum euphoniae auxilio; quae, vt iam supra indicatum est, sese vbique nimium intermiscet.

Itaque in linguae nostrae studio, si quis solam sequatur consuetudínem, non modo parum admodum profecturus est; verum etiam in errores rapietur quam plurimos. Qui vero etymologiam consuetudini prudenter iunxerit: optimam, et vtilissimam locaturus est operam. Sed prudentem memoro etymologiam: ipsam nempe ingenii sagacitatem, ac perspicaciam, ad eruenda linguae abscondita natura excellentem, acri, ac limato iudicio coniunctam.

CAPVT III.

GRAMMATICAE ADMINICVLA.

Leges generales Grammaticae, iam satis explanatae, vltro videntur quaedam etiam adminicula requirere; ad quae is certe quam maxime adniti debet: qui sibi sumserit Grammaticam Hungaricam feliciore opera concinnandam; aut qui linguam pa-

triam quacunque alia huius generis lucubratione augere exoptet. Haec ego adminicula experientia ipse mea tria didici.

Primum horum est penitior linguae patriae cognitio, cum hodiernae, tum etiam antiquae; et hodierna quidem pernoscenda est, quam latissime extenditur; antiqua vero, quam altissime repeti potest.

Secundum est porro studium linguarum orientalium, cumprimis Hebraeae, et quae isti cognatae sunt, Chaldaicae, Syriacae, et Arabicae.

Tertium denique est diligentior perscrutatio linguarum septentrionalium, nostrae affinium, Lapponicae, Fennicae, et Esthonicae.

§. I.

COGNITIO LINGVAE PATRIAE, HODIERNAE, ET ANTIQVAE.

Et vero de ipsa linguae patriae peritia dubium vtique nullum est. Quomodo enim de iis rebus recte quis dicat, quas probe non nouit, vel magnam adeo partem prorsus ignorat?

Sane penitius cognita esse debet lingua nostra, qualis ea et hodie viget non modo in iis, quae pro cultioribus habentur, regionibus, verum etiam apud illum ipsum, quem delicatuli despiciunt, vulgum nostrum. Iniuria hoc fit, et valde imperite. Nam, qui vlteriora hic spectant, vulgum potius veneratione dignum esse iudicant: quod apud hunc, prisci moris tenacitate magis religiosa, putent augustae

antiquitatis quaedam quasi tabularia, fideliter conseruata, inueniri.

Et haec porro antiquitas, perquirenda, et eruenda est diligentia non mediocri ex superstitibus, quae dari possunt, aetatis cuiusque monumentis. Habet enim illa, praeter delectationem, quam sui studiosis miram adfert, vtilitatem quoque in hoc laboris genere incredibilem.

I. Nam primum, quod de consuetudine diuersa quaeritur, quaenam sit potior, tum de ea multo rectius decerni poterit: cum, et motus eius varii, et constantia, in tanta temporum ad nostra vsque deducta serie, tanquam in tabula, clarius, ac certius distincta proponentur.

II. Memorare debeo porro et linguae thesaurum hoc pacto multum augeri, ac genuinae patrii sermonis integritati praeclare consuli.

Voces enim quam plurimae, posterorum incuria neglectae, et iam exoletae, aliae breuitate concinniores, aliae deriuationis lege sincerae; ipsae praeterea frequentes construendi rationes non peregrinae, sed vere domesticae; non possunt hoc studio non quam auidissime arripi, ac sensim ad vsum reuocari. Maiores certe nostri, linguae vtpote suae originibus multo propiores, neque tam vario, ac diuerso, vt nos iam a pueris facimus, ore locuti, omnia ista, primaeuae linguae genio magis accommodata, et magis casta habuerunt.

III. Addo iam illa, quae homini etymologo, de rectis inflexionum legibus sollicito, ab antiqui-

tate accenduntur lumina, et quae deteguntur semitae.

Terminationes, quae vocibus ad inflexionem accedunt, hodiernae sunt pleraeque contractae, et plurimae sono multum mutatae. De contractis nonnullae, quo altius antiqua repetimus, eo auctiores comparent, et rudi adhuc formatione; hocque suo, vt ita dicam, cultu simplices, decorae tamen a vetustatis lege, vltro sese manifestant; vnde sumtae sint, quid separatae proprie valeant, quid affixae praestent accommoda significatione.

Si a primordiis ad ista vltima, quae hodie vigent, per aetates sensim regrediamur: mira in iis, et varians obseruatur euphonia. Nam ea continenter operosa, vt loquentium erant organa, vt mos inualuit, sonos illarum aliquo interiecto modo auxit, et mutauit; modo eodem interiecto imminuit, duosque in vnum contraxit: dum denique nostra nata est pronunciandi suauitas; quam, consuetudine firmatam, putamus optimam. Si quid prisco more, olim aeque iucundo, proferri audiamus, aut legamus ipsi; vel laedimur illico, vel certe ridemus.

Sed, quia similia sine caussa ita poni ab antiquitate non poterant; satius est ea, cur ita sint, attente rimari; et obseruatas mutationum leges, de illis olim tam nudis, ac manifestis, ad explicandas vocum inflexiones transferre; quo fiant et istae iam certae, neque praebeant imposterum, vt antea praebuerunt, tam frequentem errandi occasionem.

Equidem sic ista sumere iam dudum consueui. Et vero, siquid homo candidus, sine iactantia, de laborum suorum successu memorare potest: quidquid ego, vel in hac ipsa Grammatica mea, de vocum inflexione, clarius, ac melius tradere non vane mihi videor; id quidem a diligentiore antiquitatis nostrae studio ortum duxisse, sensimque postea et aliis adminiculis firmatum esse, aperte profiteor.

§. II.
STVDIVM LINGVARVM ORIENTALIVM, ET SEPTENTRIONALIVM, NOSTRAE HVNGARICAE COGNATARVM.

A. ASSERTI PROBATIO.

Iamque haec ipsa, quae praeterea alia dixi adminicula, explananda mihi sunt: quomodo et illa necessario requirantur.

Linguae cognatae, in soluendis dubiis, legibusque certius figendis, magno discentium commodo, saepe mutuam suppeditant opem. Grammaticorum quidem hunc esse vsum frequentem nullus dubitat. In lingua nostra, praesertim si eius regulae spectentur, quam plurima obscura adhuc, et incerta esse, satis non admonet Grammaticorum nostrorum nondum composita dissensio, Scriptorumque tanta inter se discrepantia. Sola sibi opportuna in his auxilia minime sufficit, non modo vndique cincta, sed etiam intermixta linguis prorsus diuersis, singulari eius genio plane oppositis. Itaque e longinquo inuocandae sunt linguae, cognatione certe, etsi remotiore, mira tamen, et admodum vtili con-

iunctae, illae nempe, quas iam dixi, orientales, et septentrionales.

Ego sane, insolita hactenus scrutatione, quanta in vtrisque inuenerim, quibus lingua nostra et firmatur, et augetur; multa lucubratione mea, modo in lucem emitti possit, copiose aliquando, et luculenter ostendam. Grammatica quidem mea his est adminiculis et clarior, et firmior. Quaedam de plurimis, quae hoc aliquo modo saltem indicent, cursim attingam.

I. In verborum per personas inflexione terminationes, quae addi solent, pronomina esse personalia, quod dudum suspicabar, aliquanto vberius didici antiquitatis nostrae studio, ex personis nonnullis auctioribus, et adhuc rudibus. Nondum vero idem in omnibus tam clare vidi. Sed Hebraeae me Grammaticae hic paulo audaciorem reddiderunt. Distincte enim docent, quae verbis accedunt ad formandas eorum personas, ea reuera pronomina esse personalia. Eadem tradunt et Fennicae.

Quare, adhibita inuestigatione profundiore, nostra cum vtrisque comparans, inueni tandem: in eadem prorsus personas formandi ratione etiam formatiua ipsa plane eadem esse, et nostra, et Hebraica, et Fennica; pronomina scilicet personalia, et nobis cum iis communia, ab eadem prima origine deducta; paucis tantum mutationibus variantia, pro diuersa euphoniae ratione, singulis his gentibus, tam longe, tamque dudum seiunctis, magis accommoda, et propria.

Posteaquam personarum formatiua sic sunt distincta; vltro secernebantur et temporum notae. Intensiore inuestigandi studio, ex orientalibus, et septentrionalibus omnino originibus, patuerunt demum et hae: vnde sint, et quid vel solae significent.

Patuerunt famulae in his vtrisque connectendis literae, et varia soni suauioris ratio.

Atque his omnibus, ita in claram lucem positis, non potuit et coniugationum tota ratio non itidem clara euadere, et certioribus, quam antea, circumscribi regulis.

II. Eadem porro pronomina personalia, hoc studio luculentius euoluta, etiam nominibus adnexa esse, ad indicandam horum possessionem, eaedem me linguae monuerunt, eaedem de his rectiora me docuerunt.

Pronomina, nominibus, seu rebus possessis adhaerentia, ipsa natura sua possessorum sunt relatiua, in quorum vtpote locum substituuntur: et cum his vtique, in quorum sunt loco, quaeque referunt, numero concordare debent. In hac compositione distinctos esse numeros, alios rerum possessarum, alios ipsorum possessorum, vltro intelligitur; sed hos eadem mea haec adminicula distinctius secernunt, solliciteque cauent; ne alteri cum alteris confundantur.

His innititur et mea melior de possessiuis doctrina ad tollendum frequentem illum abusum, quem iam supra breuiter indicaui, quemque loco suo vberius expono.

III. Adnectuntur in lingua nostra pronomina personalia prorsus eadem et postpositionibus ratione, qua ipsis nominibus.

Hoc cur ita fiat, Hebraea docet lingua. Hebraicae etenim praepositiones reuera nomina sunt, quae accommoda significatione et hunc praestant vsum. Hoc admonitu ausus sum et nostras rimari postpositiones, vbi patria defecit lingua, iterum orientalia adhibens adminicula; eandemque euolui et harum naturam.

Volupe hoc est, et valde vtile: quod, omnium particularum vi intima penitus cognita, et sermonis energia clarior est, et construendi ratio quam certissima.

IV. Subiungo quaedam de vocum quoque vera significatione saepe his adminiculis felicius eruenda. De quarum numero tales dumtaxat adducam: quales in lingua nostra recurrunt non paucae, sono similes, significatione tamen diuersae; et quibus explicandis rationes translate loquendi non semper sufficiunt.

a) Exemplum huiusmodi sit istud primum: *nyulat süt*, leporem assat; *el süti az álgyút*, explodit tormentum; *le süti a' ſzemeit*, deiicit oculos suos. In his sententiolis verbi *süt*, eiusdem soni, nisi quod etiam compositum adhibeatur, varia, ac diuersa est significatio, et postrema quidem penitus deflexa, nulla translatione explanabilis. At vero linguarum cognatarum adminiculo discemus: haec, sono similia, origine tamen sua diuersa esse, ac propterea etiam significatione.

Sü, semen primum, et nomen, rem, quam significat, soni imitatione exprimens, *assatio*, *incensio*, etsi hodie exoletum, olim tamen viguisse satis probatur verbis ex eo deriuatis, hodieque superstitibus: altero *sü-l*, assumto *l* verborum formatiuo, *assatur*, *incenditur*; altero *sü-t*, accepto *t*, aeque verborum formatiuo, sed semper actiuorum, *assat*, *incendit*. Sed firmior est probatio, si hanc et cognata lingua aliqua iuuet. Iuuat vero Arabica; in qua שׁוי (*schuj*) est verbum, *assatus fuit*; idem nostris ore rotundo, sed nominis valore, *sü*. Altera significatio, sed iam verbi actiui, nostro prorsus more formati, est in Fennico *syt*, accendit, incendit; *sytyn*, accendo, incendo; prima nempe rudi formatione et nobis *süt-én*. Quare *nyulat süt*, leporem assat, *el süti az álgyút*, pioprie incendit tormentum, Latine explodit, sunt expressa verbo, de primigenio semine *sü* deriuato.

Süt alterum, priori deriuato simile sono, primitiuum est, et quidem Hebraeis שׁוט (*schot*), Chaldaeis vero, et Syris שָׁט (*schat*), *discurrit oculis*, *despexit*, translate *contemsit*. Fuit hoc nostris principio certe *söt*, *o* vocali Hebraicae tanto propius, ad discrimen delicatius, quod postea neglectum est. Et vel solum *söt* fuit sane primigenio valore *oculis discurrit*; cum *le* compositum, *le söt*, fuit *oculis decurrit*, *despicit*. Postea, vocali *ö* in *ü* mutata, *le süt*, ad maiorem differentiam ab altero *süt*, assat, incendit, soni similis verbo, ipsos etiam oculos, quibus despicitur, huic primae signi-

ficationi vtique inuolutos, sibi tamen in accusatiuo expresse adsciuit, *le süti a' ſzemeit*, deiicit oculos, despicit. Euoluta nihilominus vera huius verbi origine, et significatione genuina, quid prohibet eo nos etiam solo vti? Tuto dicemus et proprie, *le süt a' magasról*, despicit ex alto; et translate, *le süt mássokat*, despicit alios.

b) Similiter sonant porro, diuersa licet significatione, *lakik*, habitat; et *lakik*, commessatur, epulatur. Et haec, diuersa origine nata esse, ac nostro tantum ore similiter expressa, itidem orientales, et septentrionales ostendunt linguae.

c) Tale est de nominibus *ok*, caussa; et *ok*, prudentia, ratio, mens; de quo est adiectiuum *okos*, prudens, ratione praeditus; diuersa vtrumque origine, proinde etiam significatione: quod pariter linguae docent cognatae.

d) Auum, et auiam, inter ceteros nominandi modos, et sic dicunt nostri: *ſzép atya*, *ſzép anya*. Haec nos vulgo, blandiendi more, *pulchrum patrem*, *pulchram matrem*, esse putamus, vocabuli *ſzép* hac vnica *pulchri* notione hodie superstite. Sed Hebraea lingua suppeditat significationem aliam, huc certe magis aptam, nobis quoque olim cum iis communem. Nam *ſzép* valet *canum* etiam, de alia vtique radice. Proinde *ſzép atya*, *ſzép anya*, compellatio ex primitiua lingua ad nos propagata, a veneranda canitie desumta, est *canus pater*, *cana mater*; quomodo et hodie dicimus a senio, *öreg atya*, *öreg anya*; et Esthones dicunt, *wanna iſsa*,

wanna emme; quod et nobis fuerit olim, *vén öse*, *vén eme*, senex pater, senex mater.

Sic sunt et alia huius generis non pauca. Sed ista ad propositum puto abunde sufficere.

B. SENTENTIA DE LINGVARVM COGNATIONE CVM HVNGARICA.

Ex linguarum cognationibus solent vulgo et gentium cognationes inferri: atque hoc argumenti genere itur postea ad euoluandas ipsas etiam earum origines.

Sic nimirum factum est: vt et nostrae origines, antea diu a Scythis deductae, recentiore hoc tempore iam ad Fennos referantur. Quidam indigne hoc ferunt; partim, quod humilia putent ista incunabula; partim, quod maiores nostros, reuera ab oriente huc ingressos, tamen cum septentrionalibus iungi, absonum ipsis videatur.

Quare, vt primordia nostra in oriente maneant, idem opponunt argumenti genus, idque multo latius conquisitum, orientalium nempe linguarum cognationem magis diffusam. Verum et hoc aspernantur nonnulli propterea cumprimis: quod ab Hebraeis deduci abhorreant.

Queruntur praeterea alii, hoc studio dignitatem linguae nostrae imminui: quod, qui plurium orientalium gentium similitudines vndique coaceruant, sic eam fere diuersarum linguarum surreptis vocibus coalitam, vt consutum e variis laciniis centonem, exhibeant.

Quae mea sit de his sententia, propterea etiam, quia vtraque iungo, clarius depromere debeo: vt linguae adminicula vtrinque recte esse petita tanto euidentius patescat.

I. Hebraeam linguam, qualis in Sacris Codicibus superest, non esse primigeniam, iam ad euidentiam demonstrauerunt complures viri eruditi; qui, humani sermonis primordia spectantes, et huius voces primitiuas partem maximam ad monosyllabas reuocant; seu radices, vt vocari solent, triliteras ad semina reducunt vtplurimum bilitera, vnico sono expressa. Principio itaque fuit et ipsa simplicior, et de qua haec ortum duxit, ea certe simplicissima. Hanc proximis Noachi posteris altius repetere non licet.

Ex istis alii nati, et multitudine increscente latius diffusi, linguam primam, a maioribus acceptam, sensim mutarunt. Sic nata serius Hebraea, et eius sorores potius, quam filiae, Chaldaea, Syriaca, et Arabica. Eodem prorsus tempore sic natae aliae reliquarum gentium linguae innumerae. Singulae porro, quo longius ab origine prima remotae, eo magis ab ipsa deflexae. Vt nempe gentium fuerant nouae propagines, ita et linguarum noui ortus.

Iam de his quae reperiuntur linguae, non modo fere eadem habere vocabula, pronunciatione tantum mutata; sed similem etiam ea inflectendi, ac deriuandi rationem; syntaxim quoque similem: apertam produnt cognationem, eamque tanto pro-

piorem; quanto in his, quae modo dixi, magis conueniunt. Sed ipsa generatio nondum clara est, proinde neque origo certa.

Aetatis quaedam tamen indicia in nostra sese manifestant, si cum Hebraea conferatur. Nostra enim vocum simpliciore forma, illa certe primigenia, Hebraeae et hodie praecellit: vt miratu digna sit in gente nostra primordiorum tanta tenacitas, post tot etiam, migrationum, rerumque vicissitudines, et in isto, in quo est modo, situ. Videtur illa mihi nata esse de matre seniore, quam sit Hebraea: de vna certe earum sororum, facie non vna, sed simili tamen, ad quarum numerum et Hebraeae mater referri debet.

Ab Hebraeis itaque non descendimus. Linguae tamen cognatio intercedit, qualis est inter neptes, ortas ab auia ex filiabus diuersis.

II. Iam de Fennicis gentibus illud teneo: eas quidem de eadem, qua nos, esse stirpe prima, in oriente sensim in plures propagines latius diffusa. Sed quarum plerasque migrationum vicissitudines, potentiorumque gentium imperia, iam penitus oppresserunt.

Nobis tantum Hungaris, et Fennis, meliora obtigerunt fata: alteris in septentrionem maturius retrusis; alteris serius, post res in oriente gestas, in mitiores Europae regiones deductis.

Neutri itaque ab alteris descendimus; sed vtrique ab altiore origine communi.

Linguarum cognatio certa est. Quae sunt in domesticis, seu primigeniis, ac propriis vocibus discrimina; ea, et temporum, et regionum tanto interuallo, climatumque diuersitate, facta sunt.

Nostrae linguae videtur felicior quaedam cultura obuenisse iam in ipso oriente, certe post seiunctionem, delectu, vt ego reor, ex variis dialectis facto, et ad vsum promiscuum copiosius traducto. Fennica vero primigeniae ruditati hodieque propior est, et in plurimis clariorem, quam nostra, praesefert cum Hebraea cognationem. Vtraque, inter se comparata, conspicua praebet ea discrimina; quae Loescherus in linguis notat (*De Caussis Ling. Ebr. Lib. I. Cap. I. §. III.*): *saliunt*, inquit, *linguae orientales, occidentales fluunt, meridionales vero currunt, septentrionalibus plane repentibus.* Fennica accepit ab indole septentrionum, ad quos est retrusa, repentem pene pronunciatum, nimia consonantium geminatione, vocaliumque quasi diphthongos imitantium resolutione, et earundem in fine adiectarum vsu fere perpetuo. Nostra e contrario, orientis, et occidentis, quodammodo et meridionalis plagae vicinitate, temperamentum nacta est amicius: vt, consonantium, vocaliumque vsu moderatiore, et saliat, et fluat, et currat. Qua sua indole mirifice apta est ad eos etiam numeros; quos, Graeca, et Latina habet lingua in pangendorum versuum ratione omnium maxime concinna.

Sed

Sed peregrina vocabula, ab intermixtis, vicinisque gentibus, vt fieri solet, longa praesertim communione, vtrinque adoptata, minime nos turbabunt.

III. Antiquissima est pletorumque consensione lingua Hebraea, eiusque sorores. Pro antiquissimis habentur itidem et aliae Asiaticae quam plurimae; de illis vtpote primis sororibus ortae, in varias, et remotissimas terras dispersae.

Dum itaque voces, cum nostris congruentes, aliaeque similitudines adducuntur, de istis linguis vsquequaque collectae; vt factum est vel recentiore Beregszászii nostri diligentia singulari (Ueber die Aehnlichkeit der hungarischen Sprache mit den morgenländischen. Leipzig 1796.): eo linguae nostrae dignitas adeo non imminuitur, vt augeatur potius. Patescit enim hoc pacto, claramque in lucem ponitur, simul et eius antiquitas; atque adeo et linguae primigeniae certum illi decus asseritur: quod ea, quae habet cum istis communia, ex eadem habeat communi origine, lingua nempe omnium prima, et simplicissima. Par est conditio et Fennicae.

Communia, inquam, haec cum illis habet, in his conuenit: sic nos loqui oportet. Nam, qui secus dicunt, haec ab illis accepta esse, imperite dicunt. Quomodo enim haec nostri ab illis tam remotis, tam dispersis, accepisse credantur: quos omnes vicinitate contingere nunquam potuerunt? Eandem communem originem monstrat potius, sano quidem iudicio pollentibus, earundem rerum, tam clara, et admiranda conuenientia.

Quare iam tota tollitur et consuti centonis vilitas.

Habet enimuero lingua nostra insignem antiquitatis praerogatiuam. Nam voces, aliaeque similitudines, cum plurimis linguis antiquissimis communes, sunt vtique et ipsae antiquissimae, a remotissima origine deductae. Quae porro lingua haec antiquissima complectitur: certum est et ipsam esse antiquissimam. Nostram vero ista complecti palam est primum in vocibus certe domesticis quam plurimis; palam est deinde in ipsa et has domesticas voces, et quas praeterea a vicinis adoptauit, iam vt vere suas, inflectendi, deriuandi, et construendi ratione omnino propria; quae et indolem eius singularem constituit, ab Europaeis mirum in modum differentem.

Multa horum egregie iam sunt probata a Beregszászio, quem honoris caussa iterum nomino. Copiosa adducit et haec Grammatica mea. Promittunt vero longe copiosissima etiam Commentaria, lucubrationes meae prolixiores, iam dudum susceptae ad eruendam genuinam linguae indolem, eiusque leges certius figendas.

Perpetuus est in his et septentrionalium linguarum nexus cum orientalibus. Harum antiquitas, et eadem origo vltima, hoc pacto in maiorem posita lucem, quae de ipsis, ex affinitate propiore, linguae nostrae suppeditat; ea aeque antiquissima praebet. Quae de his vtrobique conspirant: tanto sunt firmiora ad nostra probanda; tanto aptiora ad

ea illustranda. Quae vero cum nostra solum conueniunt: firma sunt et illa, et placere debent earundem originum tenacitate adhuc superstite. Sajnovitsii (*Demonstratio, Idioma Vngarorum et Lapponum idem esse, recusa Tyrnauiae* 1770.) conatus inter nostros primus, et insignis, de septentrionalium linguarum conuenientia cum nostra, a plerisque popularibus nostris fere explosus est. Tantus adhuc hórror fuit a proxima via penetrandi ad intima linguae nostrae arcana! Exterorum hortatu resumsit idem argumentum, copiosiusque tractauit, Gyarmathius, Vir industriae singularis (*In Affinitate Linguae Hungaricae cum Linguis Fennicae Originis, Grammatice demonstrata. Goettingae* 1799.). Eandem inire semitam et mihi placuit, et longius etiam in ea progredi, accensa praesertim ab orientalibus face: vt, ex linguae affinitate iam certa, mutua eruerem subsidia ad vtrasque certius figendas. Sed nostrae, mihi vtpote propioris, patriae, et inprimis dilectae, praecipuam habui rationem: vt ea tandem, vel inuitis popularibus nostris, firmis consisteret legibus.

Erit aliquando huius operae pretium; tametsi modo iniquius habeantur, quiqui huic se studio impendunt. Vulgo enim per illusionem Kálmári, Otrokótsii, Rudbeckii, nominantur; saepe expressis etiam calumniis, quae istis nominibus notione associata iungi solent, deliri etymologi, fanatici, visionarii. Cognatio linguarum, quam indicauimus, certa est. Hanc viderunt de nostris boni viri, Otro-

D 2

kótsius, et Kálmarus; sed vitio suo non rectam inierunt inuestigandi semitam. Verum necessumne est et alios, eo tendentes, pariter aberrare? Rudbeckio quidem multo felicius cessit hic labor; et insignem eius sagacitatem vel ii, agnoscere, ac mirari debent; qui eam quandoque rationibus non vsquequaque genuinis subnixam notant. Quorundam Germanorum, Sagittarii, Morhofii, Tentzelii, animaduersiones in eum factas, non vtrorumque iudices, sed alterorum sententia, ea etiam per rumorem audita, commoti obtrectatores leuiculi, acerbius obiectant. Ego vero, si eas leges ita feliciter sequi possim, quas vir cautissimus, graui consilio statutas, ipse sibi seuere imposuit hoc in studio fideliter seruandas, adeo non horreo futiles istas voculas; vt glorier potius Rudbeckianus dici. Tam magnum, tam charum mihi est hoc nomen. Leges, quas memoro, producam loco magis conueniente, ante Vocabula Hungarica, Orientalibus, et Septentrionalibus cognata. Si qui me praeuertere cupiunt; legere possunt Scriptoris perspicacissimi rarum Opus: *Specimen Vsus Linguae Gothicae, in eruendis S. Scripturae Locis obscurissimis, addita Analogia Linguae Gothicae cum Sinica, nec non Finnonicae cum Vngarica, Vpsalis, 1717. in 4.*

GRAMMATICAE HVNGARICAE

PARS PRIMA.

ORTHOEPIA.

Orthoepia, ad verbum recta recitatio, vox composita ex Graeco nomine ορθως, rectus, et verbo ἔπω, dico, recito, est doctrina de recta lectione, seu de eo, quod est literis descriptum, rite enunciando.

Atque vt hoc recto fiat ordine: initium capit orthoepia a vocum elementis, a signis sonorum simplicium, seu literis; transitque postea ad earum connexionem, seu ad syllabas.

Et in literis quidem explanandis est illa in lingua nostra prolixior. Exponit enim non modo numerum earum, figuram, et potestatem, secundum diuisiones varias; sed etiam mutationes explicat, quibus eae ex linguae indole obnoxiae sunt, cumprimis propter euphoniam.

Quare orthoepia, horum omnium recta euolutione, abit sponte sua in plures Sectiones: quas, apta serie inter se dispositas, iam sistimus.

SECTIO PRIMA.
DE
NVMERO, FIGVRA, ET POTESTATE LITERARVM SECVNDVM DIVISIONES PRIMAS.

Prima haec Sectio agit de literis Hungaricis primum in genere, earum numero, et origine breuiter indicata; deinde speciatim, singularum figuram, et cumprimis potestatem, iam fusius, et distinctius explicat.

CAPVT I.
DE NVMERO, ET ORIGINE LITERARVM HVNGARICARVM, IN GENERE.

In lingua Hungarica primi soni simplices, reliquorum sonorum omnium elementa, seu literae naturales, qui auditu clare distinguuntur, sunt triginta et vnus. Ad hos itaque singulos exacte notandos necessaria sunt totidem signa, seu literae artificiales, figuris distinctis efformata.

Non constat de Hungaris antiquissimis, ante adoptatam scilicet religionem Christianam, habuerintne literas aliquas, praesertim proprias, an non. Quibus nunc vtimur, eas maiores nostri a Monachis Latinis, suis in religione Christiana institutoribus, acceperunt.

Quae apud Siculos Transiluanos pro veris Magyaricis venditantur literae: hodie plerisque figmenta es-

se videntur aeui posterioris: quod et figura, et ordine, ab orientalium more prorsus abludant. Ne quid tamen et harum curiosis in hoc opere deesset: exhibentur et istae singulari tabella, adiecta vberiore obseruatione, loco opportuniore (Orthoepiae Sect. IV.).

Maiores nostri literas, a Monachis acceptas, variantes vsurparunt, vt ipsi Monachi, pro temporum nempe vicissitudine, modo pure Latinas, modo ex Latinis deformatas, quae Gothicae dicuntur, de quibus ortae sunt postea nitidiores hodiernae Germanicae. Probant haec multa, et vetustiora, et recentiora documenta, tam manu scripta, quam etiam typis expressa.

Sed statim in ipso iam initio obseruatum est, Latinas has literas, quod pauciores essent, multiplici sono illi Hungarico cuique genuine exprimendo non sufficere. Quare tentari sensim coepit varia hunc defectum supplendi ratio, potissimum combinatione literarum, et vsu signorum quorundam.

Literae combinabantur, quarum vtraque commixto sono suo nostrum, Latinis peregrinum, quodammodo exprimeret; vel altera tantum quam proxime accederet, altera vero signi instar moneret sonum prioris, non Latinum, sed nostrum illis insolitum, esse pronunciandum. Signorum autem vice ponebantur puncta, et virgulae, vtplurimum superne, quandoque et inferne adiectae literis, peregrino sono aeque proximis.

Praeterea quaedam etiam simplices literae, non combinatae, neque signatae, neglecto sono Latino, praesertim ambiguo, destinatione fixa, vnum, eundemque omni casu constantem, coeperunt dare sonum.

Primi omnium eas solum literas simplices arripere cogebantur: quibus peregrinus ille in Latino sonus proxime accederet. Quia vero, vaga, et implexa videbatur haec ratio, et lectoribus tantummodo Hungaris aliqua ex parte facilis; quod hi, gnari vtique sermonis patrii, literae admonitu ad edendum sonum genuinum promtiores essent: posteriores, vt rem facerent expeditiorem, inducti aliarum gentium exemplis, per Monachos, praecipuos magistros suos, et combinationes, et signaturas adhibere coeperunt; et has quidem a Bohemis, et Polonis, acceptas; illas vero a Germanis, Italis, et Gallis. Saepe vtraque haec ratio apud vnum eundemque Scriptorem nimium confundebatur. Et veterum quidem scriptio vniuersim diu mirum in modum variauit. Multa in iis, perturbata, ac dubia reddidit etiam orthographiae Latinae anxia imitatio.

Haec caussa est, cur saepe viri, cetera docti, in legendis vetustis huiusmodi monumentis turpiter adhaereant; orthographiamque tantum recentiorem secuti, de antiqua Hungarici sermonis indole, multa absurde inferant. Non illis in mentem venit, cuiusque aetatis, imo singulorum fere vel eiusdem aeui Scriptorum orthographiam ad istam recentiorem esse prius exigendam: quo facto postea, planior, hodiernusque fieret ille remotioris aeui omnis fere sermo. Neque enim monumenta illa, literis singulis more nostro expressis, duro, ac torto ore pronuncianda sunt: quo audito, certe veteres illi, si resurgere possent, horrore perculsi, illico diffugerent.

Post varia scribendi pericula, quae diuersa suasit ratio, recentiorum tandem opera, correctis non paucis veterum aberrationibus, consensione iam vtcunque certa, constitutum est; vt sonis Hungaricis quibusque genuine exprimendis, in omni ca-

su, constantes, ac propriae essent literae, secundum linguae indolem, omnino triginta et vna.

In corrigendis veterum aberrationibus, reuera ex industria, vt praeposterae vocum Hungaricarum et scriptioni, et lectioni, et constructioni imposterum occurri posset, prae ceteris insignem locauit operam Ioannes Tsétsius. Eius Obseruationes Orthographico Grammaticae, Lexico Párizpápaiano adnexae, nunquam poterunt pro merito aestimari.

Et reuera totidem adsunt iam literae Hungaricae, de Latinis factae. De quibus quaedam sunt *punctatae*: quaedam *combinatae* ex duabus, pro simplicibus tamen habendae, cum sonum tantum simplicem exprimant; aliae praeterea *simplices soni destinati*; aliae *simplices retento sono Latino*. Quaedam de Latinis, quia vel non occurrunt in sermone Hungarico, vel sonum variant, ex literarum serie secure omittuntur.

CAPVT II.

DE FIGVRA, ET POTESTATE LITERARVM HVNGARICARVM, SPECIATIM, IVXTA DIVISIONES PRIMAS.

Iam ipsae receptae hae literae, sua quaeque figura, et potestate, singillatim videndae sunt; secundum diuisionem tamen, quam literae primam habent a sono puro et mixto, quo eduntur. Hac diuisione secernuntur literae in *vocales*, et *consonantes*.

§. I. VOCALES.

Vocales dicuntur literae, oris tantum hiatu vario, sine vlla organorum collisione, clare, pureque in gutture sonantes. Tales vulgo quinque numerantur, eoque proponuntur ordine, quo efferuntur, ore maxime aperto, ac sensim magis magisque coarctato: *a, e, i, o, u.*

Ad horum claritatem multum faciunt verba Henselii (In Synopsi Vniuersae Philologiae Sect. I. Cap. IV. pag. 116.). *Ore*, inquit, *aperto fiunt quinque diuersae modificationes sonorum, per quas, tanquam per gradus, os apertum magis magisque comprimitur. Scilicet A efferendo os omnium maxime apertum est. E paulo iam remissiore forma oris producitur. I saltem dimidium os apertum requirit. O iterum ore paulo arctiore efflatur. U pronunciatur ore ferme occluso.*

A. VOCALES HVNGARICAE RETENTO SONO LATINO.

Quinque istae vocales Latinae *a, e, i, o, u*, retento sono suo, sunt etiam Hungaricae. Quae apud nos habent discrimina a pronunciandi modo celeriore, et tardiore, eadem sunt fere et in Latino. Verum ista mox vberius, et clarius exponentur.

B. VOCALES HVNGARICAE PECVLIARES PVNCTATAE.

Sed in lingua nostra audiuntur duo praeterea puri huiusmodi soni, ore maxime coarctato, et prorsus rotundo, expressi. Horum signa, propter soni vicinitatem, dant vocales postremae, *o*, et *u*,

duobus hodie punctulis superne notatae, ö, et ü. Possunt proinde vocales *punctatae* vocari. Sonus earum apud nullos alios Hungariae populos, praeterquam apud ipsos tantum Hungaros, auditur. Sinceram earum pronunciationem sola vox viua docere potest.

Germani Saxoniae videntur sonum hunc vtcunque exprimere in istis vocibus: ex. gr. Schöne Künste befördert von Fürsten; Bonae artes promotae a Principibus.

Galli vero vtroque omnino affluunt. His literae combinatae, *oeu*, et *eu*, sunt pro nostro *ö*; solum autem *u* perpetuo pro *ü*: ex. gr. *coeur*, cor; *oeuvre*, opus; *feu*, ignis; *heureux*, felix: deinde *vertu*, virtus; *lumiere*, lumen; *publique*, publicum. Pronunciantur ista, vti ab Hungaris, si ita essent scripta: *kör*, *övr*, *fő*, *hörő*; *vertü*, *lümiêr*, *püblik*.

C. VOCALES HVNGARICAE SEPTEM.
A, E, I, O, U, Ö, Ü.

Septem sunt itaque vocales Hungaricae: *a*, *e*, *i*, *o*, *u*, *ö*, *ü*. Harum denominatio alia est a mora, alia a modo pronunciationis.

1. A PRONVNCIANDI MORA.
BREVES, ET LONGAE.

Mora, qua proferuntur vocales, duplex est: vnde et ipsae duplicem habent appellationem. Nam, mora simplici, celeri sono expressae, *breues* dicuntur, et nullo notantur signo: *a*, *e*, *i*, *o*, *u*, *ö*, *ü*.

Eaedem vero, mora duplici, tarde cum extensione prolatae, *longae* vocantur; et, consilio quam optimo, ad vitandas aberrationes, producendi soni signum habent superne sibi inscriptum, accentum acutum: *á*, *é*, *í*, *ó*, *ú*, *ő*, *ű*.

De *é*, cum accentu, probe notandum est; id non modo produci, sed etiam, medio inter *e* et *i* sono, acute proferri oportere. Genuina eius pronunciatio praeeunte voce viva rectius edocetur.

Galli tamen suum *é*, eodem accentu acuto notatum, sic ferme exprimunt, praesertim in fine: ex. gr. *bauté*, pulchritudo; *santé*, sanitas; *année*, annus.

Dixi, consilio quam optimo, ad vitandas aberrationes, introductum esse in nostram scribendi rationem producendi soni signum. Iuuat Alberti Molnár adnotationem hoc loco inserere aduersum eos: qui ad tollenda scribendi impedimenta, vt illi dictitant, hoc signum, quia frequens est, negligendum suadent; vt maiora adferantur postea legendi incommoda ex vocum confusione.

Minima, inquit ille, *accentuum mutatione, et prolationis varietate, mutatur vocis significatio: vt obseruauit etiam Galeottus Martius Italus, Mathiae, Regis Hungariae olim Praeceptor* (*in Libr. Apophtheg. Regis Mathiae Cap. XVIII. et XXVIII.*). *Exemplum vnicum adscribam.* Hála, *prima longa, pernoctauit;* hálá, *vtrobique clare prolata, denotat grates;* hala, *vtraque breui, et obscura, est piscis-eius. Hinc nostri pueri saepe rident exteros scholasticos perperam canentes illud:* Nagy hálákat adok az én Uramnak; *id est, recta pronunciatione; Magnas grates reddo Domino meo: obscure autem, et correpte prolata voce* halakat, *sensus*

erit: Magnos pisces dabo Domino meo (Libr. I. de Etym. Cap. II.).

Sic sunt alia innumera, ne confusio parlatur, sollicite distinguenda; ex. gr. *háj*, axungia; *haj* capillus; *élés*, victus; *éles*, acutus; *tör*, laqueus; *tär*, frangit.

In duabus primis vocalibus, qui delicatiore sunt auditu, obseruant et alia pronunciationis discrimina.

a. Nam *a* breue auditur vel celeri sono suo clare proferri, *clarum*que propterea dicitur. Et idem saepe obscuro sono, ad *o* accedente, effertur; praesertim in fine vocum, vbi *a* vulgo passim in id etiam mutatur; quandoque et in principio: quod proinde *obscurum* appellatur. Ex. gr. *adna*, daret; *áldana*, benediceret; *alma*, malum, cum fructus est; *almával*, cum malo; haec ex vulgi ore et sic audiuntur: *adno*, *áldano*, *òlma*, *olmával*. Qua pronunciatione iam distingui possunt varia illa in superioribus *a*: productum nempe; deinde breue clarum; et breue obscurum.

Sunt quidam nimium sollicitì: qui et huius obscuri *a* differentiam signo aliquo, graui nimirum accentu, *à*, indicari volunt, cum multa certe molestia. Nam, neque id semper potest liquido discerni, vbi reuera sonet hoc obscurum *a*; et accentuum signa, ad indicandas longas vocales cumprimis necessaria, satis vtique frequentia, istis quoque minutiis augerentur.

b. Breue porro *e* pariter duplex auditur; alterum vel correpto sono *clarum*; alterum *obscurum*, vocali *ö* vicinum: in quam hodie quoque, vt olim, valde frequenter abit, apud eos praecipue, qui ore

amant loqui rotundiore. Ex. gr. *szem*, oculus; *emberek*, homines; *nevekedés*, incrementum; *életekben*, in vita-eorum: obscuro *e* in *ö* mutato, olim nimium familiaria, neque hodie ingrata sunt: *szöm*, *emberök*, *neveködés*, *életökben*. Et haec iam distincta praebent varia in prioribus *e*: longum scilicet, seu acutum; breue clarum; et breue obscurum.

Hoc quoque obscurum *e* signo certo, duobus nempe punctulis superne inscriptis, *ë*, discernendum esse a claro quidam, in leui discrimine multum operosi, iusto feruidius contendunt. Si id potius in *ö* mutandum suaderent, interposita et veterum auctoritate: rem multo vtiliorem agitarent, certe ad minuendam monotoniam vocum, in lingua nostra vocali *e* cumprimis refertarum. Talium ingentem copiam clare ostendit Ioannes Varjasius in sua Veri Nominis Elegia: quam satis prolixam concinnauit ex meris vocibus, solam *e* vocalem sonantibus. Exempla obscuri *e* in *ö* mutati plura adduco Ant. Lit. Hung. Vol. I. §. 19.

2. A PRONVNCIANDI MODO. CRASSAE, TENVES, ACVTAE.

In vocalibus et modus attenditur, quo eae proferuntur, in nostra praesertim lingua. Triplex est hic modus, vnde et vocales in triplicem abeunt classem. Nam aliae crassius erumpunt; cuiusmodi sunt tres istae, *a*, *o*, *u*; quae propterea *crassae* dicuntur. Aliae tenuius efflantur; quales itidem tres sunt, *e*, *ö*, *ü*; eamque ob rem *tenues* vocantur. Subtiliter, et acute sonant *i*, et *é*, accentu notata, et in ore nostro ipsi certe *i* admodum vicina; quae proinde *acutae* nominantur.

Duae primae classes habent quiddam in lingua nostra prorsus peculiare. Nam et crassae, et tenues, tanta sunt inter se coniunctione mutua, tanta consanguinitate: vt, suo solum generi amicae, alterae alteras omnino non ferant. Quotquot enim sunt voces genuine Hungaricae; et quotquot dantur porro harum inflexiones, ac deriuationes: in his omnibus alterutra dumtaxat harum vocalium classis regnat, vel crassarum, vel tenuium, classe altera penitus exclusa. Acutae nihilominus vtrisque immiscentur; quare in hoc vsu *mediae* solent vocari.

Possunt haec nonnullis exemplis illustrari: *áldozat*, sacrificium; *áldozatunk*, sacrificium-nostrum; *áldozataink*, sacrificia-nostra: *jövendölés*, diuinatio; *jövendölésünk*, diuinatio-nostra; *jövendöléseink*, diuinationes-nostrae: *ázalék*, obsonium; *főzelék*, edulium coctum: *bizodalom*, fiducia; *hiedelem*, refrigerium.

Haec vocalium diuisio in lingua nostra permagni est momenti. Eam Pereſzlényius merito monet sic memoria tenendam esse: quasi clauim quis linguae Hungaricae nactus sit (Part. I. Cap. I. §. 3.). Vsum eius latissimum clarius exponam loco opportuniore (Orthoepiae Sect. III.).

Puto autem rectam esse in hac diuisione vocalium denominationem, ab illo, quo reuera proferuntur, modo petitam. Sunt omnino *crassae*, et *tenues* vocales. Fere synonyma vsurpant, quapropter neque peccare mihi videntur: qui vocales, in hac diuisione, *duras*, et *molles* nominant. Nonnulli haec reiiciunt, et duras volunt esse *obtusas*; molles vero *acutas*; et acutas nostras *superacutas*. *Obtusas* dici posse crassas non repu-

gnarem; modo huius notio non etiam oppositas posceret *acutas*, quas tales esse concedere nequeo. Nam *e* iis, qui literarum naturam penitius peruestigant, inter quos censetur et Henselius, est reuera *sonus tenuior*, inuoluit *motum*, et *affectum tenerrimum*. Hanc sequuntur consanguineae literae *ö*, et *ü*. Quid ergo in his facit *acuti* vehementia? Sint itaque acutae illae potius horum *superacutae*. Vel, si et tenues istae *acutae* erunt; erunt et crassae *acutae*; vtraeque illo certe loquendi modo, quo vocales *açui* dicuntur, dum producuntur, dum longae fiunt, quod quidem vtrisque vsu venit. Praestat discrimina adhibere alia, magis accommoda, classem quamque certius indicantia.

3. DIPHTONGI.

Diphtongi, seu vocales duplices, nullae sunt in lingua Hungarica, neque propriae, neque impropriae.

Propriae diphtongi dicuntur duae vocales continenter positae: quae, vna oris apertura continuo in aliam transeunte, sine interruptione exprimuntur, distincte tamen, vt sonus vtriusque audiatur: ex. gr. *au*, *eu*, *ei*, in vocibus *auris*, *euge*, *hei*. Impropriae vero diphtongi eae vocantur: quae duarum vocalium sonum tantum vnum, ferme mixtum, eumque productum reddunt: ex. gr. *ae*, *oe*, vtraque, nunc certe vsu nostro, vt *e* longum sonans, *aedes*, *coena*.

Quidam et hodie in nostra lingua diphtongos proprias esse volunt vocales cum *j* vicino: ex. gr. *aj*, *ej*, *ij*, *oj*, *uj*; vt in nominibus *vaj*, butyrum; *tej*, lac; *ij*, arcus; *uj*, digitus: item in verbis *hajt*, pellit, flectit; *fejt*, explicat; *fojt*, suffocat. Seducuntur isti, et Molnári, et Pereſzlényii auctoritate: qui, hac quidem parte, Latina secuti, non linguae nostrae vsum, perperam confuderunt in his, et similibus, *j* consonam cum *i* vocali.

vocali. Aperturae oris non sunt in his duae, vna in aliam continuo transiens, ex. *vai*, *tei*, *ii*, *ui*, *hait*, *feit*, *foit*; sed per vnicum tantum hiatum editur horum sonus, *j* literae strepitu leni, vt consonantium est mos, cum praeeunte simplici vocali iunctim expresso.

Volunt iidem apud nos, eorundem auctorum exemplis, et improprias esse diphtongos, nominatim vocales punctatas, *ö*, et *ü*. Putant enim has pronunciari sono mixto: priorem ex *e* et *o*; posteriorem ex *e* et *u*: in quo confirmantur et veterum ratione has vocales olim ista omnino combinatione exprimendi, *eo*, *eu*, vel *e* paruulo superne imposito, *oͤ*, *uͤ*. Sed hanc rationem, vtique arbitrariam, necessitas, et exterorum quaedam imitatio suasit. Sonus mixtus est in his res ficta, et imaginaria. Aures quidem paulo attentiores obseruabunt eum in his simplicem esse, *e* vocalis admixtione prorsus exclusa, ore tantum ad rotunditatem coarctato expressum, eumque modo breuem, modo productum; sicut variare solet et reliquarum vocalium sonus. Si omnino diphtongi essent, perpetuo produci deberent.

Non est autem hoc soli linguae nostrae Hungaricae peculiare: vt diphtongis careat. Sunt et aliae, praesertim orientales, omnino sine diphtongis. In Hebraica certe, licet distinguantur vocales, non modo longae, et breues, sed etiam breuissimae, diphtongi tamen nullae memorantur, quia nullae adsunt. Nullae item in linguis sororibus, Chaldaica, Syriaca, et Arabica. Nullae in Turcica.

In linguis Fennicae originis, tarda, et repens pronunciatio, quae iis septentrionum vitio adhaesisse videtur, vocales, in varias, et frequentes resoluit diphtongos. Sed merito suspicor harum copiam iusto maiorem inde esse: quod Grammatici, qui plerique Sueci sunt, Fennorum vocales omnes, nec assequi, nec exprimere norint genuine, suae cumprimis orthographiae

adminiculo. Videri possunt, quae de his recte adnotauit Sajnovitsius in sua celebri Demonstratione (§. IV.).

§. II. CONSONANTES.

Consonantes vocantur literae, quae, ore diuersimode formato, et varia organorum collisione, cum strepitu extrusi aeris, in se confuso, sed, admixtis tamen vocalibus, coniunctim clare exprimuntur. Quod ergo isti strepitus oris, in se confusi, admixtis vocalibus iunctim consonent: clarum est, inde esse aptissimum illis nomen consonantium.

Consonantes, secundum loquendi organa, quorum praecipua est in iis efferendis functio, in quinque classes diuiduntur: suntque hoc pacto *gutturales*, *palatinae*, *linguales*, *labiales*, *et dentales*.

Haec consonantium distinctio, ab organis sumta, magni est momenti in vocum, linguarumque humanarum, immutatione; quod in hoc quoque opere saepe saepius manifesto videbitur. Ad earum explanationem, quam accuratiorem dare conor etiam propterea, vt singularum sonum genuinum clarius explicem, ipsa Henselii verba fere vbique adhibeo. Fontem, vnde ista hausi, et hic lubens corono.

A. CONSONANS GVTTVRALIS VNICA. RETENTO SONO LATINO.

H.

Gutturalis vnica est hodie in lingua nostra consonans *h*. Ea vero adspiratio est, ore aperto, lingua leuiter reducta, notabili pulmonis halitu,

ex imo gutture emissa, supremis faucibus sonum producens.

Eadem fere, quae in lingua Latina auditur, et in Germanica, sed in vocum initio; in nostra nihilominus paulo est asperior, crassiorque, et praesertim in vocum medio post consonantes validior; ac propterea vera consonans, non autem signum dumtaxat lenioris adspirationis. *Spiritus* reuera *asper*, vt Hebraeorum ה (*he*), e gutture fortiore nisu protrusus, quam eorundem א (*aleph*), *spiritus lenis*, leniter e gutture emissus.

Valde probabile est olim in lingua nostra gutturales literas aeque plures fuisse, vt sunt in Hebraica omnino quatuor: א (*aleph*) spiritus lenis, seu tenuis; ה (*he*) spiritus asper, etiam densus; quem vtrumque modo dixi, vterque et Graecis vsitatus, signis diuersis indicatus, prior quidem isto (᾽), isto autem posterior (῾): deinde ח (*chet*) spiritus validior, densior, vti Graecorum χ (*chi*); ע (*ain*) spiritus profundus, ex imo gutture fortissime protrusus, densissimus. Nam in vetustissima Allocutione Funebri non sine caussa sic ista exarata occurrunt: *chamuv*, cinis; *charmul*, ter; *azchoz*, ad eum; certe ad exprimendum spiritum validiorem. Alia vero spiritu tantum aspero: *hug*, vt; *holz*, morieris; *horoguvec*, iratus est. Idem vberius ostendunt multa vocabula, nobis cum Fennicis gentibus communia, inter se diligentius collata. Eorum exempla quaedam videri possunt Ant. Lit. Hung. Vol. I. §. 22.

B. CONSONANTES PALATINAE QVATVOR.

Consonantes palatinae in lingua nostra quatuor audiuntur. Proferuntur autem ore aperto, et quasi

cauato, aere linguae flexu versus palatum coarctato, atque inde protruso. Earum differentiam dat diuersus in singulis linguae flexus, et diuersa inde aeris versus palatum coarctatio, et protrusio.

1. SONI DESTINATI.

G.

Inter palatinas est consona *g*. Huius sonus in Latina lingua, vt nos eam loquimur, variat. Nam ante vocales crassas *a*, *o*, *u*, deinde ante consonantes, et ipsa crasse sonat: ex. gr. *galla*, *gobius*, *guttum*, *glaber*, *gnauus*, *gratus*; sed ante vocalem tenuem *e* sono est, nobis certe, pariter tenui, vel, vt iam vulgo dicimus, emollito, etiam liquescente: ex. gr. *gelu*, *gena*, *germen*. Vtrumque hunc sonum, et crassum, et tenuem, seu emollitum, vel liquescentem, habet lingua nostra, tam crassarum, quam tenuium, et acutarum vocalium, consonantiumque concursu, etiam in vocum fine. Ad crassum itaque sonum omni loco constanter edendum destinata est eadem *g* consona, nullo signo affecta.

Formatur crassa haec consona *g*, lingua flexuosa, et quasi gibbosa in medio, primo versus dentes inferiores leuiter porrecta, ac deinde retracta, aere interea versus palatum acto, et crasse emisso.

Germani nostri, quia vulgo hoc *g* cum *k* confundunt, in eo recte exprimendo praeire non possunt.

Galli, et Itali genuinum dant illi sonum, sed ante crassas tantum vocales, consonantesque, vt in Latino: ex. gr. *le garde*, vigilia; *un golfe*, sinus maris; *une grue*, grus: *un gatto*, catus; *la gola*, gula; *il gusto*, gustus; *la grandine*, grando.

2. COMBINATA.

GY.

Iam ad exprimendum sonum alterum, tenuem nempe, seu emollitum, combinatione vtimur, litera *y* ad *g* adiecta, *gy*, instar signi tantum; quod moneat *g*, cui *y* socium est, iam non crasse, sed tenuiter, vel liquescendo, efferendum esse.

Eius pronunciatio fit lingua flexuosa, dentibus inferioribus paulo altius admota, aere versus palatum magis coarctato, tenuiusque protruso.

Germani, Galli, et Itali hunc sonum, sibi peregrinum, difficulter proferunt. Neque omni parte illis succurritur: si, quod vulgo fieri solet, *d* cum *j* iunctum, *dj*, pro exemplo proponatur. Nam et isto liquidior poscitur sonus. Viua vox audienda est.

Slaui nostri, et Bohemi, ď literam cum inscripto vncinulo, ď, sic efferunt in vocibus: ďabel, diabolus; loď, nauis.

3. RETENTO SONO LATINO, ET GRAECO.

J.

Litera *j*, consonae valore, Graecis *jota*, Hebraeis *jod*, est *spiritus exilis*, tener, subtilis. Ad differentiam ab *i* vocali nobis semper in caudam acuitur, *j*, figura sibi propria, et constante.

In nostra quoque lingua eundem retinet sonum lenem, et exilem, quem in Latina habet: ex. gr. *janua*, *jecur*, *jocus*, *juba*.

Et quem praeterea in Germanica edit in vocibus: Jahr, annus; jemand, aliquis; Joch, jugum; Jugend, iuuentus.

Profertur, lingua ad palatum leniter allisa, ore mediocriter aperto, halitum subtilem emittente.

4. K.

Littera *k*, Graecis *kappa*, etiam Latinis vsitata, vti figuram, ita et sonum apud nos quoque eundem retinet: ex. gr. καλος, pulcher; κερας, cornu; κίδαρις, pileus regius; κομαρος, arbutus; κυρά, tonsura.

Et quo praeterea sono profertur *c* Latinum, ante vocales certe crassas, *a*, *o*, *u*, ante consonantes, et in vocum fine: ex. gr. *cano*, *conor*, *cubo*, *cliens*, *cruor*, *lac*.

In quo, et Galli, et Itali conueniunt: ex. gr. *caverne*, cauerna; *concombre*, cucumis; *crime*, crimen: deinde *cavallo*, equus; *colombaja*, columbarium; *crudelitá*, crudelitas.

Effertur, lingua paululum flexa, inferioribusque dentibus accommodata, aere versus palatum alliso, et cum vehementia protruso, ore ad formam semicirculi aperto.

C. CONSONANTES LINGVALES SEPTEM.

Consonantes linguales septem habemus. Formantur lingua flexa, vel palato, vel dentibus alli-

sa, statimque reducta, et halitu ex ore aperto, modo plenius, modo tenuius, vehementiusque extruso.

1. RETENTO SONO LATINO.

D.

Inter linguales prima est *d*, sono pleno, ac leni, qualem in Latino habet: ex. gr. *dama*, *decus*, *donum*.

Fit eius pronunciatio, lingua dentes verberante, versus gingiuam inferiorem sese demittente, ac leni halitu ex ore aperto plenius extruso.

2. T.

Secunda est *t*, priori *d* vicina, cum qua confundi solet, cumprimis a Germanis. Clare tamen differt sono tenui, ac duriore, qualem dat in Latino: ex. gr. *tabes*, *terra*, *timor*.

Effertur, lingua dentium septo inserta, et flatu tenui per has angustias durius emisso.

3. COMBINATA.

TY.

Est in lingua nostra literae *t* sono tenui et suppar sonus emollitus, seu liquescens, cuius nota, ad differentiam a priore, combinata sumitur, litera *y* ad *t* adiecta, *ty*, et hic instar signi tantum; quo moneamur *t*, iunctum cum *y*, emolliri, seu liquescere oportere.

Slaui nostri, et Bohemi, habent aeque emollitum hunc sonum, et prorsus ita efferunt t suum, superne vncinulo notatum, ť: ex. gr. ťelo, corpus; choť, sponsus; ťuťa, penicillus.

Idem ferme sonus est literae *t* apud Gallos quoque sequentibus *ie* vocalibus: ex. gr. *l'amitié*, amicitia; *la pitié*, misericordia; *le métier*, opificium.

Non reddunt genuine hunc sonum: qui *t* cum *j* iunctum, *tj*, pro exemplo adhibent. Praeeunte viua voce et isto liquidior ediscendus est.

Pronunciatur, lingua, dentibus inferioribus, et ipsi adeo gingiuae fortius allisa, halituque tenuiore ex ore vehementius protruso.

4. RETENTO SONO LATINO.

L.

Sequitur *l*, sono pleno, ac leni, qualem in Latino edit; ex. gr. *lana*, *lembus*, *linum*.

Formatur, lingua versus palatum flexa, circa radices dentium superiorum, cum halitu lenissimo.

Est haec litera pronunciatu facillima: vt nulla fere sit, quam sciant citius fari infantes balbutientes.

5. COMBINATA.

LY.

Literae *l* sono pleno est in lingua nostra et suppar sonus emollitus, seu liquescens: cuius notam combinatam itidem litera *y* facit, ipsi *l* adnexa, *ly*, aeque pro signo dumtaxat soni emolliendi.

Sic pronunciant Slaui nostri l suum, superne ad latus vncinulo signatum, ľ; sic etiam Poloni idem l obliqua lineola transfixum, ł: ex. gr. **miſeľ**, mens; **ſoľ**, sal; **chwaľit**, laudare; **páľit**, vrere: *łatwo*, leue, facile; *łysy*, caluus; *żyła*, vena; *poseł*, legatus.

Ita et Galli proferunt *l* praeeuntibus *ai*, *ei*, et *oui* vocalibus: ex. gr. *travail*, labor; *soleil*, sol; *brouillard*, nebula. Deinde et Itali sic exprimunt literas combinatas *gl.* ex. gr. *battaglia*, pugna; *figlio*, filius; *voglia*, voluntas.

Neque huius literae sonum genuine edunt, qui *l* cum *j* iunctum, *lj*, pro exemplo sumunt. Nam et isto liquidior docendus est. Praeeunte voce viua multo id felicius praestabitur.

Effertur, linguae extremitate radices dentium superiorum fortius feriente, et halitu tenuiore durius expresso.

6. RETENTO SONO LATINO.

N.

Est porro *n* sono pleno, ac leni, qualem in Latino habet: ex. gr. *nanus*, *nenia*, *nota*.

Formatur, lingua conuexo palati inhaerente, et versus nasum, orisque partes superiores tendente, ita, vt lingua, media sui parte, palatum tangat.

7. COMBINATA.

NY.

Habet in lingua nostra etiam literae *n* sonus plenus supparem sonum emollitum, seu liquescentem: cuius nota combinata exhibetur aeque litera *y* ad *n* adiecta, *ny*, pariter pro signo tantum soni emolliendi.

Apud Slauos nostros, et Bohemos, aeque auditur liquescens hic sonus, et ita prorsus effertur **n** eorum, superne vncinulo signatum, **ň**: ex. gr. **ňadra**, sinus; **dlaň**, vola; **koň**, equus.

Sic porro exprimunt et Galli, et Itali, combinatas literas *gn:* ex. gr. *la campagne*, campus; *la vigne*, vitis: *vergogna*, pudor; *sogno*, somnus.

Neque hunc sonum sincere docent, qui ad eum exprimendum *n* cum *j* iunctum, *nj*, exempli caussa adhibent. Nam et isto liquidior exigitur sonus, quem vox viua melius instillabit.

Pronunciatur, sono non pleno, lingua vtpote palatum non feriente, sed dentium superiorum radicibus allisa, et halitu tenui fortius protruso.

D. CONSONANTES LABIALES QVINQVE.

Consonantes labiales quinque numerantur. Formantur autem leniore, vel fortiore, labiorum compressione, et halitu, aeque lenius, vel fortius expresso.

RETENTO SONO LATINO.

1, 2. B et P.

Literae *b* et *p*, sono admodum vicinae, confundi solent, praesertim a Germanis nostris. Hoc nos cauemus satis claro vtriusque discrimine.

B, effertur labiis, lente, ac molliter occlusis, statimque diremtis, halitu interea, leniter, crasseque expresso. Eius sonum edimus, vt Latini in vocibus: *barba*, *beta*, *bilis*, *bubo*.

P formatur labiis pariter claussis, sed diruptione vehementiore apertis, et halitu tenuiore durius protruso. Eius sonus est apud nos quoque idem, qui apud Latinos in vocibus: *papula*, *piper*, *popanum*.

3, 4. V et F.

Literas *v et f*, sono proximas, confundunt Germani. Nos alteram ab altera clare distinguimus.

V pronunciatur labiis fere coniunctis, et ore angusto, lingua leniter mota, et halitu plenius erumpente. Et nobis ita sonat, vt Latinis in vocibus: *vappa*, *vena*, *vitis*, *vola*, *vultur*.

Refertur et hic sonus ad numerum spirituum, vocaturque *spiritus obscurus*.

F profertur labiis prope contractis, ore arctiore, lingua aliquantulum intensa, et spiramine fortius emisso. Eodem est et nobis sono, quo Latinis in vocibus: *fama*, *feruor*, *fibra*, *follis*, *funus*.

5. M.

Litera *m* formatur labiis molliter occlusis, cum aliqua aeris contractione, sono lenissime expresso. Hunc et nos eundem edimus, quem Latini in vocibus: *mamma*, *memor*, *mimus*.

E. CONSONANTES DENTALES SEPTEM.

Consonantes dentales septem numerantur: sex sibilantes, et vna tremula. Eae, quae sibilant, proferuntur, lingua anterioribus dentibus fere clausis interiecta, et aere cum sibilo per dentes protruso. Differentiam habent a diuersa linguae allisione in dentes, et a sibilo diuersa inde vi efflato. Sibilus iste exiliter prolatus triplex est: cuique postea supar est et alter sibilus densior.

1. SIBILVS LENIS. RETENTO SONO LATINO.

Z.

Consona *z* eodem est apud nos quoque sibilo, quo apud Latinos, et Graecos: ex. gr. *zamia*, *zelus*, *zona*.

Deinde quo eam et Slaui nostri, et Bohemi, pronunciant in vocibus: zádа, tergum; zobák, rostrum; zlato, aurum.

Quo item Galli efferunt in vocibus: *la zèle*, zelus; *le zoile*, zoilus; *la zone*, zona. Et quo demum Germani suum ſ proferunt inter duas vocales: Naſe, nasus; Weſen, essentia; Reiſe, iter; Krauſe, cirrus, crispatio.

Pronunciatur vero, lingua ad primores dentes ferme contractos leuiter admota, et aere per eos leniter emisso, cum sibilo aeque leni.

2, SIBILVS DENSVS. CONSONANS COMBINATA.

ZS.

Sibilus densus, priori leni suppar, combinatam habet notam, ipsum lene *z* cum aspero *s* coniunctum, *zs*, simplicis tamen consonae valore, vtpote quae sonum tantum simplicem exprimit.

Slaui nostri, ac Bohemi, suum z superne vncinulo notatum, ž, sic proferunt in vocibus: žaba, rana; žena, vxor; muž, maritus.

Sic et Gallis sonat, primum *j* perpetuo ante omnes vocales; deinde et *g*, sed ante duas tantum

vocales, *e* et *i*. Hoc alterum habent et Itali isto prorsus modo. Ex. gr. *jaloux*, zelotypus; *jeune*, iuuenis; *joli*, venustus; *juste*, iustus: *le genie*, ingenium; *le gibet*, patibulum. Deinde *la gengiva*, gingiua; *il genitore*, genitor; *giusto*, iustus.

Formatur in ore, lingua paululum inflexa, inferioribus dentibus magis admota, et aere per eos densius efflato, cum pari sibilo.

3. SIBILVS TENVIS.
CONSONANS COMBINATA.
TZ.

Sibilum tenuem indicat nota ex *t* et leni *z* combinata, *tz*; simplicis et haec consonae, qualem nempe exprimit, valore.

Eius sonus ille est, quem habet *c* Latinum ante vocales *e* et *i*, et diphtongos *ae* et *oe*, nostro nimirum loquendi modo: ex. gr. *celer*, *citus*, *cecini*, *cicer*, *caelum*, *coena*.

Et quem idem *c* edit, destinatione singulari, qualicunque, vocalium, et consonantium concursu, apud Slauos nostros, ac Bohemos: **cesta**, via; **ocet**, acetum; **otec**, pater; **moc**, potentia.

Quo praeterea sono efferunt constanter literam *z*, tam Germani, quam Itali: ex. gr. **Zahm**, froenum; **Zeche**, symbola; **Zins**, census; **Zorn**, ira; **Zweck**, finis, propositum; **Tanz**, saltatio: deinde *la constanza*, constantia; *la grazia*, gratia.

Fit tenuis iste sibilus, linguae mucrone compressis prope dentibus arctius alliso, et erumpente per eos aere coarctato cum sibilo exili.

4. SIBILVS CRASSVS.

CONSONANS COMBINATA.

TS.

Sibilus crassus, suppar tenui, notam habet ex *t* et aspero *s* combinatam, *ts*; simplicis dumtaxat consonae valore, propter sonum aeque simplicem.

Eundem edunt sonum Slaui nostri, et Bohemi, in pronunciando suo *c*, cum inscripto vncinulo, *č*, in vocibus: *čas*, tempus; *čela*, frons; *obruč*, pruina.

Sic sonat Italorum *c* ante vocales *e* et *i*: ex. gr. *certo*, certo; *il cielo*, coelum; *la cecità*, coecitas.

Germanorum combinatae literae tsch aeque eundem reddunt sonum: Peitsche, flagellum; Kutscher, auriga.

Profertur crassus iste sibilus, ore paululum rotundo, lingua compressis pene dentibus plenius impacta, et aere per eos maiore vi crasse protruso, cum sibilo pingui.

5. SIBILVS ACVTVS.

CONSONANS COMBINATA.

SZ.

Sibilum acutum reddit nota, ex aspero *ſ* figurae oblongae, et leni *z* combinata, *ſz*; propter sonum simplicem simplicis et ipsa consonae valore.

Pronunciatur vti *s* Latinum, cumprimis in vocum initio, sequente statim vocali, et in fine earum: ex. gr. *salus*, *sedes*, *sonus*.

Vti praeterea idem *s*, in Gallicis, et Italicis sonat vocibus: ex. gr. *sang*, *sein*, *soeur*; *sangue*, *seno*, *sorella*; sanguis, sinus, soror.

Deinde vt Slauicum, et Bohemicum, profertur ſ in vocibus: ſádlo, adeps; ſemeno, semen; maſo, caro.

Editur acutus hic sibilus, lingua ad superiores dentes vehementius adacta, et sibilo acuto fortissime efflato.

6. SIBILVS ASPER.

SONI DESTINATI.

S.

Sibilus asper, suppar acuto, notam habet *s* literam simplicem, huic sono destinatam, cum pleno sibilo.

Pronunciatur, vt in Germanico literae combinatae ſch: ex. gr. Schand, pudor; Scheer, forfex; Schild, clypeus.

Deinde vt in Slauico, et Bohemico, geminatum sonat ſſ, aut s minutum, duobus punctulis superne inscriptis, s̈: ex. gr. ſſat, pannus; ſſip, fulcrum; koſſile, indusium; kos̈, corbis; mys̈, mus.

Effertur asper hic sibilus, lingua ad radices dentium demissa, et sibilo aspero affluentius erumpente.

Quidam sibilis nostris addi volunt et septimum, sono densissimum, qualis est Arabum *dsal*, nobis *dsé*; cuius figuram in vsu combinationum vulgo duplicem dant, *ds*, et *dzs*. Nos hanc literam non putamus adoptandam esse: quia sonus eius in nulla auditur voce pure Hungarica. Vox *dsida*, in qua sonat, peregrina est, et in ore nostro, litera sibilante in tremulam mutata, frequentior, *drida*, missile; de quo est verbum *dridázni*, missile torquere. Vt ergo *dr*, ita et *ds*, con-

sonantes diuersae, quod cum sequente vocali vna exprimi possint, simplicem propterea consonam vnam non faciunt, peculiari combinatione indicandam. Idem est in voce *handsár*, pugio, machaera, mucro; quam tamen nonnulli, praeeunte Pázmáno, simplicius scribunt, *hansár*.

Iidem porro fingunt sibilum etiam octauum, vnius consonae valore, *dzé*. Vox *madzag*, resticula, tomex, adfertur pro exemplo: in qua tamen quis non videat duas consonas diuersas, ita certe separandas, *mad-zag?* Item reliqua, quae perperam huc trahuntur, *kéredzik*, veniam abeundi petit; *tartódzik*, sese fulcit, stabilit; deinde *adzig*, *edzig*, eousque, hucusque; longe alios habent explicatus, loco opportuno resumendos; quam vt sonum in iis compositum admittere possimus, pronunciando, et scribendo non separabilem.

7. DENTALIS TREMVLA.
RETENTO SONO LATINO.
R.

Consona dentalis tremula *r* sic sonat et in nostra, vt in Latina, aliisque linguis: ex. gr. *ramus*, *remex*, *riuus*, *rota*, *rumor*, *terra*, *torrens*.

Profertur, lingua versus palatum incuruata, dentibusque allisa cum tremulatione, et halitu ex ore cum vehementia extruso.

Cruda, et difficilis est pronunciatu, balbis praesertim, et infantibus infesta.

Quidam referunt consonam *r* ad literas linguales: quod in ea proferenda potior ipsis videatur linguae functio; et quod ea saepissime, blaesis praesertim, propter difficilem pronunciatum, in lingualem literam *l* deflectere soleat. Sed nos malumus eos tamen sequi: qui in hac consona enuncianda, et linguae, et dentium,

tium, et horum quidem maiorem obseruant functionem. Praeterea certum est *r* literam et in aliam suae omnino classis literam, dentalem nempe, eiusdem organi, mutari solere. Nam, vt Varro adnotat (De Ling. Lat. Libr. V.): *oro ab ore, et perorat, et exorat, et oratio, et orator, et osculum dictum. Inde omen, et ornamentum: alterum osmen dictum; alterum nunc ornamentum, olim osnamenta, vt scenici plerique dicunt.* Hanc alternationem multum probat et promiscuus quarundam vocum vsus: *arbor, honor*, etiam *arbos, honos.* Deinde in nostra quoque lingua auditur *Kassa*, ciuitas Cassouia, et sic proferri *Karsa;* et vicissim *tarsoly*, bulga, perula, multis *tassoly* est. Pronissima est, et omnino frequens, commutatio literarum eiusdem organi. Verum abeunt saepe literae in literas etiam diuersi organi: quod fit vtplurimum aliquo organorum vitio, vt illa apud blaesos literae *r* in *l* deflexio. Plura de his loco opportuniore (Orthoepiae Sect. III.).

§. III. LITERARVM TABELLA COMPENDIARIA, ADIECTIS NOTVLIS DE RELIQVIS LITERIS LATINIS.

Literae Hungaricae, a Latinis adoptatae, et figura, et potestate spectata, secundum diuisiones singillatim explanatae, iam commode possunt proponi, primum serie vulgo recepta, deinde repetitis earum diuisionibus. Quibus demum accedunt adnotationes quaedam de reliquis literis Latinis.

A. LITERAE HVNGARICAE XXXI. FIGVRA MAIVSCVLA, ET MINVSCVLA, EXHIBITAE. ADIECTO NOMINE, ET POTESTATE.

A.	B.	TZ.	TS.	D.	E.	F.	G.	GY.	H.	I.	J.	K.	L.	LY.
a.	b.	tz.	ts.	d.	e.	f.	g.	gy.	h.	i.	j.	k.	l.	ly.
a.	*bé.*	*tzé.*	*tsé.*	*dé.*	*e.*	*ef.*	*gé.*	*gyé.*	*há.*	*i.*	*jé.*	*ká.*	*el.*	*ely.*

M. N. NY. O. Ö. P. R. S. SZ. T. TY. U. Ü. V. Z. ZS.
m. n. ny. o. ö. p. r. s. ſz. t. ty. u. ü. v. z. zs.
em. en. eny. o. ö. pé. er. es. eſz. té. tyé. u. ü. vé. zé. zsé.

1. VOCALES VII.

BREVES.	LONGAE.
A. E. I. O. U. Ö. Ü.	*Á. É. Í. Ó. Ú. Ő. Ű.*
a. e. i. o. u. ö. ü.	*á. é. í. ó. ú. ő. ű.*

CRASSAE.	TENVES.	ACVTAE.
A. O. U.	*E. Ö. Ü.*	*É, et I.*
a. o. u.	e. ö. ü.	*é,* et *i.*

NOBIS CVM LATINIS COMMVNES V.

A. E. I. O. U.
a. e. i. o. u.

SINGVLARES PVNCTATAE II.

Ö. Ü. ö. ü.

2. CONSONANTES XXIV.

B. TZ. TS. D. F. G. GY. H. J. K. L. LY. M. N.
b. tz. ts. d. f. g. gy. h. j. k. l. ly. m. n.
NY. P. R. S. SZ. T. TY. V. Z. ZS.
ny. p. r. s. ſz. t. ty. v. z. zs.

a. RETENTO SONO LATINO XIV.

B. D. F. H. J. K. L. M. N. P. R. T. V. Z.
b. d. f. h. j. k. l. m. n. p. r. t. v. z.

b. SONO DESTINATO II.

G. S. g. s.

c. SINGVLARES COMBINATAE VIII.

TZ. TS. GY. LY. NY. SZ. TY. ZS.
tz. ts. gy. ly. ny. ſz. ty. zs.

d. PRO RATIONE ORGANORVM.

1) GVTTVRALIS VNICA.

H. h.

2) PALATINAE IV.

G. GY. J. K. g. gy. j. k.

3) LINGVALES VII.

D. T. TY. L. LY. N. NY.

d. t. ty. l. ly. n. ny.

4) LABIALES V.

B. P. V. F. M. b. p. v. f. m.

5) DENTALES VII.

TZ. TS. S. SZ. Z. ZS. R.

tz. ts. s. ſz. z. zs. r.

SIBILI VI.

TZ. TS. S. SZ. Z. ZS.

tz. ts. s. ſz. z. zs.

SPIRITVS III.

H. J. V. h. j. v.

B. ADNOTATIONES
DE RELIQVIS LITERIS LATINIS.

1. CVR TVTO NEGLIGENDAE.

De literis Latinis tres non apparent in Alphabeto Hungarico, *C*, *Q*, *X*. His addi potest et quarta *Y*, cuius figura licet appareat, non tamen literae valore, sed tantum signi instar adest, ad indicandum literarum, quibus iungitur, sonum liquescentem.

C omittitur, quia sonum suum mutat pro ratione vocalium, quae sequuntur, iam in sibilum tenuem *tz*, iam in fortem sonum palatinalem *k*. Nobis vero literis opus est, quae sonum suum retineant semper eundem.

Q aeque negligitur, quod adsit iam litera *k*, quae sonum eius exprimat, in vocibus etiam peregrinis, *u* litera, quae illi iungitur, in *v* mutata: ex. gr. *kvártély*, *kvietántzia*.

X pariter expungitur, quia sonus eius in nulla voce pure Hungarica auditur. In peregrinis vero nominibus, si integra adhibeantur, reddi potest combinatione literarum *kſz*: ex. gr. *Artakſzerkſzes*, *Felikſz*. In quibusdam, ori Hungarico accommodatis, sonus eius abit in alium nobis familiarem: ex. gr. *Alexander* mutilationem patitur, et nobis *Sándor* est, non *Xándor*.

Haec eorum est sententia: qui Alphabetum Hungaricum omnino castum esse volunt, exclusis omnibus literis superfluis.

2. CVR ETIAM RETINENDAE.

Alii contra ea sunt mente: vt literae Latinae, vel superfluae, retineantur tamen, et notae sint, saltem extra seriem aliarum.

Probabilem habent rationem pro iis primum, quae etiam numeros exprimunt, *C*, et *X*. Quia non possumus ita constringi, vt notis numerorum semper Arabicis vtamur; exprimimus saepe numeros more etiam Romano. Est horum signorum vsus apud Scriptores in rerum, quas dilucidius tradere volunt, partitionibus; est multo amplior totius adeo Alphabeti apud Typographos in signandis philyris.

Putant praeterea has superfluas literas, *C*, *Q*, *X*, imo etiam Graecas *Ch*, *Ph*, *Th*, *Rh*, retinendas esse in nominibus Latinis, et Graecis, exemplo aliarum gentium, et propter scribendi compendium. *Cicero*, *Felix*, sic scripta, sunt certe simpliciora; *Tzitzero* autem, et *Felikſz*, combinatis nostro more literis, magis diducta.

In quo illis nos quidem non adeo repugnamus, praesertim si doctis tantum scribamus. Sed vulgi minus docti ratio fortasse aliqua habenda est, in nominibus praesertim Graecis: ne in his legendis saepe erret, quandoque et ridiculum quid proferat, vt Tsétsius notat in voce *Paphus*, quam pure Hungarus legeret *Pap-hús*, Caro Sacerdotis.

SECTIO SECVNDA
DE CONNEXIONE LITERARVM, SIVE DE SYLLABIS.

Data singularum, quae in lingua nostra audiuntur, literarum figura, et cumprimis potestate, agendum iam est de earum connexione: qua, ad voces quasque distincte exprimendas, sonos edunt compositos.

CAPVT I.
SYLLABARVM EXPLANATIO.

§. I. SYLLABAE DEFINITIO.

Vocalis, saepe etiam sola pronunciata, vtplurimum tamen cum consona vna, vel pluribus, vnica oris apertura, vnoque sono composito expressa, *syllaba* dicitur.

Syllaba, quousque notionem aliquam non excitat, est quidem sonus distinctus, nondum tamen vocem constituit, sed partem duntaxat vocis.

Fit nihilominus quam saepissime, in nostra praesertim lingua; vt syllaba vnica, iam notionem excitet, vocémque praebeat; quae propterea, *monosyllaba* vocatur.

Voces aliae, quae pluribus constant syllabis, continuaque pronunciatione exprimi debent, *polysyllabae*, et *plurisyllabae* appellantur; eaeque speciatim *disyllabae*, *trisyllabae*, *quadrisyllabae*, et sic porro a numero syllabarum. Tot autem syllabarum est vox quaeque, quot in ea vocales numerantur.

§. II. SYLLABAE VARIA DENOMINATIO.

Vocalis vnica, vim syllabae sustinens, *pura* syllaba dicitur; illa vero *mixta*, quae cum vna consona, vel pluribus, exprimitur.

Purae sunt syllabae priores in vocibus: *a-lak*, larua, pupa; *e-lég*, satis; *i-tal*, potus; *o-laj*, oleum; *ú-fzás*, natatio; *ö-röm*, gaudium; *ü-röm*, absinthium; mediae vero in sequentibus: *ti-e-id*, tui; *mi-e-ink*, nostri.

Mixta syllaba varie solet denominari a consonantium situ, et concursu.

Mixta simplicior, ex vocali, et vna tantum consona conflata, alia est praecedente vocali, alia subsequente. Praecedente est in vocibus: *ág*, frons, ramus; *eb*, canis; *íj*, arcus; *ok*, caussa, ratio; *út*, via; *ős*, auus; *ügy*, caussa, negotium. Subsequente autem in his: *fa*, lignum; *te*, tu; *fi*, mas, filius; *ló*, equus; *bú*, moeror, tristitia; *fő*, caput; *mű*, opus, opificium.

Mixta plenior, vel sonantior, alia est, quae praeeunti vocali plures consonas adiicit, vt plurimum duas, quandoque et tres, quod euenire solet in imperatiuis; alia, quae vocalem consonantibus inclusam habet, eamque aequaliter, vel inaequaliter.

Praeeuntem vocalem plures sequuntur consonae in vocibus: *ángy*, glos, fratria; *enyv*, bitumen, gluten; *ing*, indusium; *orv*, fur; *ölyv*, accipiter; *üst*, ahenum, caldarium.

Inclusam vocalem aequaliter cingunt consonae, vna praecedens, altera subsequens: ex. gr. *bab*, faba; *seb*, vulnus; *síp*, fistula; *fog*, dens; *púp*, gibbus, tuber; *rög*, gleba, glarea; *süv*, leuir, mariti frater.

Inaequaliter includitur vocalis pluribus consonis subsequentibus, in vocibus quidem etiam Hungaricis vsu quam frequentissimo: ex. gr. *kard*, ensis; *gánts*, mendum, defectus; *kedv*, gratia, fauor; *kert*, hortus; *kints*, thesaurus; *lifzt*, farina; *bors*, piper; *gomb*, nodus; *föld*, terra; *hölgy*, sponsa; *kürt*, buccina; *füst*, fumus.

Quod autem modo inuerso fieri solet in linguis aliis, vt vocali consonae duae praemittantur: hoc lingua nostra in vocibus pure Hungaricis prorsus non habet. In nonnullis tamen vocibus peregrinis, iam nostra ciuitate donatis, vtcunque et hoc patitur: ex. gr. *drót*, filum ferreum; *glét*, argyritis, lithargyrium; *pléh*, lamina, sera: sic etiam in quibusdam plurisyllabis: ex. gr. *drága*, carus; *gránát kö*, lapis granatus; *trombita*, tuba.

Alia vero quam plurima, a peregrinis mutuata, quae apud illos duabus consonis inchoant, profert lingua nostra, ad vitandum sonum vulgo nostro in vocum principio duriorem, adhibitis in auxilium vocalibus, vel in ipso initio, vel inter duas illas consonas. Videre haec possumus in nonnullis exemplis, iam dudum a Molnáro adductis (*Libr. I. Cap. II. pag.* 34.). Pro schola dicitur promiscue *eskola*, *iskola*, *oskola*; pro planta *palánta*; pro claustro *kalastrom*; pro Stephano *Estván*, *István*; pro Clemente *Kelemen*. Et pro Slauonicis vocibus: kral *király*, rex; pro stol *asztal*, mensa; pro klas *kalász*, spica, arista; pro klyss *kults*, clauis.

CAPVT II.

REGVLAE DE SYLLABIS.

Consonae combinatae, vtique pro simplicibus adhibitae, in connexione literarum ad exprimendas syllabas, sono simplici proferendae sunt.

Haec ratio facilem reddit iam ipsis pueris literarum connexionem: quae iis certe impeditior est, si literae combinatae, vt vulgo fit, singillatim proferantur.

Exempla sunto: *fá-tzán*, attagen; *ká-tsa*, anas; *fa-gyos*, glacialis; *ko-lya*, carpentum; *bá-nya*, fodina; *bú-tyor*, bulga, sarcina; *ha-szon*, vtilitas; *mo-zsár*, mortarium. In his ergo syllabizatio cum literis combinatis multo rectius ita instituetur: *ef á-fá*, *tzé á en-tzán*, *fá-tzán*; *ka á-ká*,

tsé a-tsa, ká-tsa; ef a-fa, gyé o es-gyos, fü-gyos; ká o-ko, ely a-lya, ko-lya; bé á-bá, eny a-nya; bá-nya; bé ú-bú, tyé o er-tyor, bú-tyor; há a-ha, efz o en-fzon, ha-fzon; em o-mo, zsé á er-zsár, mo-zsár.

Vnica consona inter duas vocales sequenti iungitur: ex. gr. *á-só*, rutrum, fodiens; *e-pe*, fel; *í-ge*, verbum, dictio; *ba-bo-na*, superstitio; *ka-ri-ma*, ora, margo; *pa-lo-ta*, palatium.

De consonis geminatis inter duas vocales, prior ad priorem vocalem, posterior ad posteriorem refertur: ex. gr. *ál-ló*, stans; *sem-mi*, nihilum; *for-ró*, feruens; *fagy-gyú*, sebum; *hofz-fzú*, longus.

Eadem est lex de iis etiam consonis, quae diuersae occurrunt, aeque duae tantum: ex. gr. *kan-tár*, frenum; *ten-gely*, axis; *dol-mány*, tunica; *fzur-dék*, angulus, latebra; *fák-lya*, fax, funale; *hör-tsök*, hermelus.

Mutas, et liquidas consonas Latini, et gentes aliae, solent iungere, et ad sequentem vocalem reiicere: quod voces habeant frequentes, quae istis consonis inchoant. Hoc in lingua nostra cum non occurrat, neque legem eam sequi debemus. Versuum tamen gratia, qui more Latinorum, hodie cumprimis, ad accuratam syllabarum quantitatem exiguntur, et haec ratio sensim in vsum venit, in vocibus, quae praecedentem vocalem natura breuem habent: ex. gr. *sö-prő*, scopa; *bo-kros*, ramosus, nemorosus; ex *sö-pör*, et *bo-kor*, sic contracta: quorum normam sequuntur et alia, licet non sic nata: ex. gr. *a-pró*, minutus; *a-brak*, pabulum, demensum auenae pro equis. Non est, cur haec,

et similia, in hoc praesertim vsu, impediamus: modo mutas, et liquidas consonas non latius adhibeamus, pronunciatu impeditiores.

In media voce concurrunt quandoque tres adeo consonae: quo casu duae priores vocali priori adscribuntur, posteriori tertia: ex. gr. *ke-ményb-nek*, duriori; *e-ſzesb-nek*, prudentiori; *ki-lentz-ven*, nonaginta; *do-rong-tól*, a fuste, phalanga.

In voce *puzdra*, corytus, et haec ratio seruari potest, *puzd-ra*; et mutae liquidaeque coniunctio, *puz-dra*.

In vocibus compositis fit separatio partium componentium; ex. gr. *hús-e-vő*, carniuorus; *bor-i-vó*, vinipotor.

Maxima pars compositorum hodie quidem sic scribitur: vt partes componentes iusto interuallo iam separatae conspiciantur. Harum itaque syllabae nullam facessunt molestiam.

Sed compositi notionem quidam latius extendunt, ad ipsas adeo terminationes; quibus accedentibus fiunt vocum inflexiones per casus, numeros, et personas. Quas quidem et nos compositione fieri docemus; sed syllabas separandi rationem in his tamen nolumus eandem suadere: ne nimia accuratione omnem receptam vulgi pronunciationem perturbemus. Certe accusatiuus *viz-et*, aquam, accepto huius casus formatiuo sic componitur; sic plurale *viz-ek*, aquae, adiecto eiusdem numeri formatiuo; sic persona prima *ír-ok*, scribo, accedente antiquo pronomine hanc personam formante. Sed omnes, qui Hungarice loquimur, in his tamen, nescio qua consensione, neque docti tacitam sequimur legem de consona vna inter duas vocales: *vi-zet*, *vi-zek*, *í-rok*.

Etiam deriuationes nostrae propriae compositiones sunt: sed neque in his omnibus ita erimus exacti. Non ita separabimus, vti deriuamus, voces istas: ex. gr. *nem-es*, generosus, nobilis; *has-as*, ventrosus; *nap-kel-et*, solis ortus; *nap-nyug-at*, solis occasus: sed in his quoque receptam audiemus pronunciationem; *ne-mes*, *ha-sas*, *nap-ke-let*, *nap-nyu-gat*.

Qualis est scriptura, talis est pronunciatio: vt *asz-szony*, mulier, non *a-szo-ni*; *é-lö*, viuens, non *él-lö*; neque *e-lö*; nam sic *primum* diceres; neque *el-lö*, quod esset *pariens*, *foetum edens*, dictum de animali.

Hanc legem primam ponit Molnárus. Et quomodo ea intelligi debeat, adiecta exempla satis indicant: in pronunciandis nimirum vocibus, recte vtique scriptis, nullam literam negligendam, nullam falso proferendam, nullam geminandam esse. Iam ipsam lectionem dirigit lex ista, posteaquam syllabarum leges aliae vtcunque perceptae sunt. Ideo eam nos postremo posuimus loco.

Suscitatur hac lege disceptatio non leuis, alibi, eumprimis in orthographia, multo opportunius agitanda. Poscit enim primo clariorem aliquanto explicationem: qualem ea scripturam memoret, cui par sit pronunciatio. Solet deinde a multis etiam inuerti: vt, qualis est pronunciatio, talis exigatur scriptio. Hoc alterum videmur nobis recte negare, illud vero alterum apposite explanare posse.

EXEMPLA AD EXERCENDAM PRONVNCIATIONEM RECTAM SINGVLARIVM CVMPRIMIS LITERARVM.

Sed nos modo pronunciationem, qualis hoc loco poscitur, exemplis exercebimus singularium

quam maxime literarum: vt genuina harum potestas aliquo vsu fidelius haereat. Qua opera nostra et leges syllabarum parte aliqua vtiliter repetentur.

A. EXEMPLA VOCALIVM.

1. VOCALES BREVES.

A-jak. Labium. *E-le-del.* Edulium. *I-brik.* Guttus. *Ko-lomp.* Crepitaculum. *Ku-kuk.* Cuculus.

Köd. Nebula. *Kö-röm.* Vnguis. *Ö-röm.* Gaudium.

Bük. Fagus. *Fül.* Auris. *Kürt.* Buccina.

2. VOCALES LONGAE.

Vár. Arx. *Vér.* Sanguis. *Híd.* Pons. *Pók.* Araneus. *Út.* Via.

Fő. Caput. *Fű.* Herba.

3. BREVES LONGIS INTERMIXTAE.

Fá-ra-dás. Fatigatio. *É-kes-ség.* Ornatus. *Ki-ír-ni.* Exscribrre. *Kó-bor-ló.* Praedator. *Hu-rut.* Tussis.

För-dő. Balneum. *Kő-rös.* Chrysius. *Kő-pű.* Trulla. *Tü-dő.* Pulmo.

B. EXEMPLA CONSONANTIVM.

1. CONSONANTES EMOLLITAE.

a. GY.

Gya-nú. Suspicio. *Gyep-lö.* Habena. *Gyík.* Lacerta. *Gyo-mor.* Stomachus. *Gyúj-tó.* Incensor.

Gyöngy. Gemma. *Gyű-rű.* Annulus.

A-gya-gos. Argillosus. *He-gyes.* Montosus. *Ra-gyi-va.* Gnauus. *Ra-gyo-gó.* Radians. *Tál-gyús.* Strumosus.

Agy. Lectus. *Jegy.* Signum. *Mirígy.* Apostema. *Völgy.* Vallis. *Göröngy.* Gleba.

b. *LY.*

Gó-lya.	*Ge-reb-lye.*	*Gom-bo-lyi-tó.*	*Go-lyó-bis.*	*Lyu-kas.*
Ciconia.	Rastrum.	Gyrgillum.	Globus.	Foraminosus.

Har-kály.	*Hü-vely.*	*Hü-velyk.*
Picus.	Vagina.	Pollex.

c. *NY.*

Nyáj.	*Nyereg.*	*Nyil.*	*Nyom-dok.*	*Nyúl.*
Grex.	Ephippium.	Sagitta.	Vestigium.	Lepus.

Nyö-gés.	*Nyüg.*
Gemitus.	Pedica.

Ká-nya.	*Te-nyér.*	*Hú-nyor.*	*Kö-nyö-rül.*	*Kör-nyül.*
Miluus.	Palmus.	Heleborus.	Miseretur.	Circum.

A-rany.	*Fö-vény.*	*Bár-sony.*
Aurum.	Arena.	Holosericum.

d. *TY.*

Hár-tya.	*Pi-tyergés.*	*Fá-tyol.*	*Kar-man-tyú.*	*Kesz-tyü.*
Membrana.	Lacrimatio.	Peplum.	Manica pellita.	Manica.

Tyúk.	*Fity.*	*Ponty.*	*Korty.*
Gallina.	Talitrum.	Carpio.	Haustus.

2. CONSONAE SIBILANTES.

a. SIBILVS TENVIS *TZ.*

Tza-frang.	*Tzél.*	*Tzi-rok.*	*Tzomb.*	*Tzu-bor.*
Capitium.	Scopus.	Spelta.	Femur.	Iugum textoris.

Tzö-lönk.	*Tzö-vek.*
Trunculus.	Vallus.

Pa-latzk.	*Dél-tzeg.*	*Ma-latz.*	*Ke-tretz.*	*Kontz.*
Lagena.	Armentum.	Porcellus.	Auiarium.	Bolus.

b. SIBILVS CRASSVS *TS.*

Tsu-lány.	*Tsep.*	*Tsil-lag.*	*Tsók.*	*Tsu-por.*
Vrtica.	Gutta.	Stella.	Osculum.	Ollula.

	Tsör-lő.	*Tsür.*		
	Girgillus.	Horreum.		
Ká-tsa.	*Ke-tse-ge.*	*Ki-tsin.*	*Mo-tsok.*	*Be-tsű.*
Anas.	Sturio.	Paruus.	Macula.	Aestimatio.
Ka-láts.	*Kö vets.*	*Ka-pots.*	*Ki-lints.*	*Á-bronts.*
Torta.	Scrupulus.	Fibula.	Pessulus.	Circulus.

c. SIBILVS ACVTVS *SZ.*

Sza-kál.	*Szem.*	*Szi-tok.*	*Szó.*	*Szú-nyog.*
Barba.	Oculus.	Conuicium.	Vox.	Culex.
	Sző-nyeg.	*Szü-ret.*		
	Tapes.	Vindemia.		
Ti-ſza.	*Be-ſzéd.*	*Vá-ſzon.*	*Ü-ſzög.*	*Ő-ſzül.*
Tibiscus.	Sermo.	Tela.	Titio.	Canescit.
Vi-aſz.	*E-reſz.*	*A-broſz.*	*Húſz.*	*Szöſz.*
Cera.	Porticula.	Mappa.	Viginti.	Stupa.

d. SIBILVS ASPER *S.*

Sa-lang.	*Seb.*	*Sí-ma.*	*Só.*	*Su-lyok.*
Fimbria.	Vulnus.	Glaber.	Sal.	Fistuca.
	Sö-mör.	*Sü-veg.*		
	Papula.	Pileus.		
A-sag.	*Ve-se.*	*Mo-só.*	*Vé-ső.*	
Rutabulum.	Ren.	Lotor.	Caestrum.	
Vas.	*Kés.*	*Kos.*	*Társ.*	*Bors.*
Ferrum.	Culter.	Aries.	Socius.	Piper.

e. SIBILVS LENIS *Z.*

Zá-por.	*Ze-ke.*	*Zor-don.*	*Zu-bony.*	*Zörgés.*
Nimbus.	Sagum.	Horridus.	Exomis.	Strepitus.
Ház.	*Kéz.*	*Víz.*	*Borz.*	
Domus.	Manus.	Aqua.	Taxus.	

f. SIBILVS DENSVS *ZS.*

Zsák.	*Zsen-ge.*	*Zsib.*	*Zsol-tár.*	*Zsúp.*
Saccus.	Primitiae.	Ludio.	Psalmus.	Stipula.
	Má-zsa.	*Mo-zsár*		
	Centenarius.	Mortarium.		

SECTIO TERTIA
DE
MVTATIONIBVS LITERARVM
POTISSIMVM
AB EVPHONIA PETITIS.

Permutatio, seu conuersio literae vnius in aliam, admodum frequens est in lingua nostra. Ea partem maximam euphoniae, seu soni suauioris, caussa inualuit. Magnam nihilominus partem est ea inducta et vulgi nostri mollitie in loquendo, vel pigritia potius: quam pertinax consuetudo iam ipso euphoniae pulchro nomine, non modo tegit, verum etiam exornat. Alterae istae mutationes non omnes subsistunt recto vsu: illae vero alterae, omnino ab euphonia petitae, perstant firmiter.

Sed, vti priores rectae diligentius indicandae sunt; ita et posteriores vitiosae non possunt penitus negligi. Nam reuera adsunt in lingua. Vtraeque dum expenduntur, cur ita sint, pulchre indicant organorum vsum, et rectum, et segniorem, vel quocunque vitio impeditum. Qua cognitione comparata faciles sunt explicatu et ipsae vocum mutationes: quas in illis et lingua nostra varias exhibet aetate varia; et linguae affines in vocibus communibus ostendunt quandoque magis deflexas. Et harum quidem conciliatio multo est expeditior: si et illae mutationes literarum non nos lateant,

quas habent et istae linguae, non solum communes nobiscum, sed etiam peculiares. Quare, dum mutationes nostras euoluimus, et illas, quae sunt in istis linguis, vbi iis opus est, ad maiorem claritatem pro more nostro indicamus.

Qua in re placet sic progredi: vt primum de vocalium mutationibus agamus; postea vero de iis, quas consonae subeunt.

CAPVT I.

DE VOCALIVM MVTATIONIBVS.

§. I. VOCALIVM CONGRVA MVTATIO.

Praecipua est in lingua nostra illa vocalium mutatio, quam iam indicauimus data earum partitione in crassas, *a*, *o*, *u*; in tenues, *e*, *ö*, *ü*; et in acutas, *i*, et *é* (*Sect. I. Cap. II. §. I. sub c. num.* 2.). Est enim perpetua in omni vocum inflexione, et deriuatione.

Terminationes inflexionum, et adiectiones deriuationum, quae affixa dicuntur, voces sunt apud nos ex lingua primigenia significantes; et habent singulae, quae quidem syllabicae manent, proprias suas vocales. Eas tamen, vt primum ipsa haec affixa adiiciuntur radicibus, quae inflexione, vel deriuatione increscunt, mutant statim, et harum vocalibus accommodant. Affixorum nempe vocales propriae, pro ratione vocalium, quae in radicibus audiuntur, vel crassae, vel tenues, illico alternant, et potissimum *directe*; *a* cum *e*, *o* cum *ö*, *u* cum

ü,

ü, et vicissim; quandoque *oblique*, vt vicinae adhibeantur. Quod dum fit, dicimus affixi *vocalem congruenter mutari*.

Exempla dictis claritatem addent. Affixum *nek*, datiui formatiuum, habet vocalem *e* sibi propriam: quam retinet, dum et ipsum nominis valore primigenio assumit affixa pronomina: *nek-em*, *nek-ed*, *nek-i*, *nek-ünk*, *nek-tek*, *nek-ik*; relatione-mei, opposito-mei, aduerso-mei, pro datiuo *mihi;* quod porro et in reliquis personis ita est genuine reddendum. Sed idem *nek*, iam instar affixi adiectum nominibus, quae crassas vocales sonant, *e* suum congruenter mutat in *a*: *Pál-nak*, *Lajos-nak*; Paulo, Ludouico: idem vero retinet coniunctum nominibus vocalium tenuium: *Péter-nek*, *Kelemen-nek*; Petro, Clementi.

Affixum *et*, accusatiui formatiuum, commune nobis cum Hebraeis, vocalem *e* propriam habere, probat eiusdem forma Hebraica אֵת (*éth*), nominis valore *obiectum*. Mutat et hoc vocalem suam congruenter radicum vocalibus, directe, et oblique: *hal-at*, piscem, piscem-obiectum; *falat-ot*, bolum, bolum-obiectum.

Videamus etiam deriuationis exemplum quodpiam. Affixum *hat*, formatiuum verborum potentalium, et ipsum verbum est, hac sua propria vocali praeditum, *potis est*, *potest*; de quo habemus inter cetera et hoc compositum, *mindenható*, omnipotens. Idem adnexum verbis aliis, quae vocalibus sunt tenuibus, vocalem suam aeque istis accommodat: *kér-het*, petere-potest; *keres-het*, quaerere-potest; retinet vero eandem, cum accedit ad verba vocalium crassarum: *vár-hat*, exspectare potest; *olvas-hat*, legere-potest.

Hac sunt lege et reliqua affixa omnia: quae locis suis in etymologia, pleraque diligentius euoluta, producuntur.

Facilior pronunciatio suasit hanc rationem. Nam vocales priores, *a*, *o*, *u*, cognationem habent a pleniore sono, quo illae pariter lenius efferuntur: posteriores autem, *e*, *ö*, *ü*, a sono tenuiore, quo et istae pariter iam arctius eduntur. Cum ergo coepta est alterutrarum pronunciatio, vel lenior, vel arctior: aptior, ac fluidior visus est idem in iis continuandis tenor, *hallottuk*, *követtük*, audiuimus, secuti sumus; durior vero, et impeditior, vtrarumque mixta alternatio, *halálnek*, *jóben*, morti, in bono. Hoc itaque vitandi, illud autem consectandi studio, facilior vtique pronunciatio curata est, suauior nempe sonus, ipsa euphonia.

Ex acutis porro vocalibus, *i*, et *é*, quae priores vtrasque excedunt, neque adeo crebrae sunt, praesertim continuatae, proferendi intensione mox remissa, pronus est descensus ad vocales alterutras; quas in vocibus monosyllabis vsus indicat, in polysyllabis vero praecedens vocalis ad classem alterutram pertinens: ex. gr. *hid-at*, pontem; *viz-et*, aquam; *lágyít-om*, emollio; *segít-em*, adiuuo.

Haec vero euphonia initio non tam late patuit: sed temporum successu sensim extensa est ad omnia inflexionum, et deriuationum affixa. In his itaque rite adhibendis quam facillimam reddit omnem operam vocalium peculiaris haec natura, et cognatio, praeuia explanatione patefacta, et inculcata.

Congruam vocalium mutationem non fuisse, statim ab origine linguae, in omnibus affixis tam sollicite ob-

seruatam, vt hodie fit, et dudum satis, clare docent veterum quaedam monumenta, et vsus vulgi in nonnullis vocibus vetustissimae rationis hodieque tenax.

Antiquissima Funebris Allocutio habet certe et datiui formatiuum *nek*, et postpositionem *ben*, vocali propria non mutata, post vocales etiam crassas: *halál-nek*, morti; *fajá-nek*, genimini suo; *paradisum-ben*, in paradiso; *jó-ben*, in bono.

Multo serius vocali adhuc integra vsurpabatur a plerisque Scriptoribus et nomen *ſzer*, ordo, series. Ita eo vsus est Telegdius, vt alios praeteream: *ſzámtalan-ſzer*, innumeris vicibus; *harmad-ſzer*, tertio (Part. I. pag. 353, 466.) Codex MS. Transl. Bibl. praeter ista, *másod-ſzer*, *harmad-ſzer*, secundo, tertio, habet etiam *utól-ſzer*, *utól-ſzeren*, nouissime. Plura videri possunt Ant. Lit. Hung. Vol. I. §. 36, et seqq. Quo loco adducitur et vulgi vsus hodieque superstes, cui eadem sic adhuc placent: *három-ſzer*, *hat-ſzer*, *nyoltz-ſzer*, tribus vicibus, sex vicibus, octo vicibus; sic et ista: *síp-vel*, *dob-vel*, *trombitá-vel*, cum fistula, cum tympano, cum tuba.

Maturum tamen euphoniae studium, iam in ipsa linguae origine sese insinuans, sensimque latius propagatum, tandem ad ista quoque affixa pertigit; habeturque pro praecipua linguae lege, longa, et communi consuetudine ita firmata: vt, qui eam modo violant, ad vulgum imperitum, et incultum, reiiciantur.

Consentiunt nobiscum et Fenni vocalium congruenter mutandarum eodem hoc studio: quod hoc ipso ortum ostendit remotissimum, in ipsis adeo communibus nostris incunabulis. Bartholdus Vhaëlius in sua Grammatica Fennica clare distinguit vocales nostro hoc more (*Sect. I. Cap. I.* §. 2.): „Sunt vocales aliae maio„res: *a*, *o*, *u*; aliae minores: *ä*, *ö*, *y*; aliae mediae: „*e*, *i*.“ Vocales *maiores* sunt nostrae *crassae*: *mino-*

res, quae respondent nostris *tenuibus*, mea quidem opinione, ita etiam pronunciantur, vt nostrae: *ā* vt *e*, *ō* vt *ö*, *y* vt *ü*. Vtinam ipsos Fennos audire possemus!

Quam porro addit *regulam generalem vtilissimam* (*Sect. II. Cap. I.* §. 9.); et illa mire conuenit cum nostra hac lege summi momenti.

„In formandis casibus, et vniuersa lingua, incompatibiles sunt, seu, quod idem est, in eadem voce nunquam concurrunt vocales maiores *a*, *o*, *u*, cum minoribus, *ā*, *ō*, *y*.

„Hinc voce, in motione, seu a fine, per flexionem, deriuationem, et compositionem crescente, maior maiorem, minor minorem requirit analogam, seu alternantem.

„Sunt autem analogae inter se: *a*, *ā*; *o*, *ō*; *u*, *y*: vt *maa*, terra, *maasta*, a terra, non *maastā*; *pāā*, caput, *pāāstā*, a capite, non *pāāsta*. Sic *saan*, accipio, *saadahan*, accipior, non *saadāhān*; *sāāstān*, parco, *sāāstetāhān*, parcor, non *sāāstetahan*.

„Vocales mediae, *e*, et *i*, indifferentes sunt, et consuescunt cum vtrisque, maioribus, et minoribus."

Hanc legem, suauioris soni studio natam, quidam rigidius accipiunt. Aiunt enim, ea linguam nostram adeo non suauem reddi, vt potius ingrata sit propter voces nimia vocalium monotonia refertas: ex. gr. *halhatatlan*, immortalis; *telhetetlen*, inexplebilis.

A delicatulis linguae arbitris fastidium quaeritur in re leuiore; quam, etiamsi vitiosa esset, tot aliae linguae dotes peculiares pulchre tollunt: natiua fluiditas, suauitate intermixta grauitas, expressionum insignis energia.

Verum ipsa haec monotonia, quae frequentior obiicitur, satis variat vel in iisdem vocibus et earundem vocalium diuersa quantitate, et cognatarum alternatione: *állatás*, *áldomás*, *sugallások*, affirmatio, proprie

stabilitio, mercipotus, inspirationes; *éltetés*, *követés*, *fzületésök*, viuificatio, imitatio, natiuitas-eorum. Crebro variat et acutarum intermixtione: *irgalom*, *vakítom*, misericordia, occoeco; *figyelem*, *segítem*, attentio, adiuuo. Multum praeterea imminuitur, eleganterque temperatur, vocum in eadem sententia sibi succedentium classe variante; vt aliae crassas sonent vocales, aliae tenues.

Pénz! oka vagy te tehát, hogy gonddal telve 'sanyargunk,
'S éltünket búval fojtod idö nap elött?

Integrae quidem periodi, sic saepe vel sponte suâ moderatae, si conferantur cum periodis linguae alterius, quam a vocalium monotonia in vocibus singulis immunem laudamus, varietatem vocalium tantam dabunt: quantam lingua altera, inuidiosius nostrae opposita, inito numero complecti reperietur. Tuto autem et maiorem dixerimus: cum plures habeamus vocales sono differentes. Iuuat demum sonorum varietatem et intermixtarum consonantium maior in lingua nostra diuersitas, quam quae auditur in plerisque linguis aliis cum nostra collatis.

§. II. VOCALIVM ASSIMILATIO, ET CONCRETIO.

Radices vocali terminatae, et affixa pure vocalia, vel vocali inchoantia, suo concursu peculiarem acceperunt legem ab eadem euphonia.

Nam affixorum vocalis partem maximam radicum vocali plene similis facta est: quam eius mutationem placet *assimilationem* vocare, eamque *plenam*.

In nonnullis vero formationibus vtraque vocalis diuersa in eandem tertiam abiit soni medii; quae mutatio apte dicetur *assimilatio media*.

Vtraeque principio distincte proferebantur, vt plurimum nudae, saepe etiam interiecta leni consona connectente *j*.

Nudae porro, tanto pronius, quod aequales fuerint sono, sensim in vnam coaluerunt: et hoc intelligi volumus *vocalium concretione*. Quaedam tamen affixa, suae propriae vocalis tenacia, radicis vocalem hac concretione absorpserunt.

Haec linguae nostrae, sese pedetentim efformantis, facta vera, et leges propriae, copiosius docentur in etymologia, huiusmodi formationum ratione pro re nata penitius euoluta. Inde praeripiuntur quaedam exempla: vt ea, quae modo dicta sunt, horum luce fiant clariora.

Accusatiui formatiuum proprium est *et*. Hoc adiectum nomini *búza*, triticum, dedit rudem accusatiuum primum *búzá-et*; secundum plena vocalium assimilatione *búzá-at*; postremum, qui viget hodieque, per concretionem *búzá-t*.

Verbum *lak-ik*, habitat, cum auota radice, resecto *ik* pronomine veram habet radicem *lak*. Haec, ita nudata, accepto optatiui formatiuo *na*, dat huius modi formam *lak-na*, habitaret. Sed et huic vsus constans adiicit idem *ik*, ad tertiam personam magis demonstrandam. Cuius accessione fuit prima rudis formatio *lak-ná-ik*, habitaret ille. Diuersae postea vocales *á*, et *i*, assimilatione media abierunt in eandem tertiam soni medii, *lak-né-ek*. De quo factum est demum concretione *lak-né-k*. Fuit eius vsus et interiecta leni consona connectente, *lak-né-j-ek*.

Verbum *vár*, exspectat, dat optatiuum assumto huius modi formatiuo, *vár-na*, exspectaret. De hac radice proxima fit prima persona adiecto pronomine *ék*, ego, suae vocalis primigeniae hoc vsu tenaci; prima rudi formatione *vár-ná-ék*; praeualente vero affixi pronominis vocali, et radicis vocali per eam absorpta, *vár-n-ék*, exspectarem - ego.

§. III. VOCALIVM MVTATIO INDIFFERENS.

Est praeterea in lingua nostra vocalium quaedam mutatio indifferenter varians; quae euphoniae rationem non turbat, vsu promiscuo firmata.

Viget vtrumque, vt exemplis dicta illustremus, *gyertya*, et *gyortya*, candela; *nyomdék*, et *nyomdok*, vestigium; *hajlék*, et *hajlak*, tabernaculum, casa; *sír*, et *sér*, sepulchrum; *hevít*, et *hevét*, feruefacit. Pariter dicitur *idő*, et *üdő*, tempus; *hit*, et *hüt*, fides; *tsöv*, et *tsüv*, sipho, tubus. Audiuntur et ista *ló*, et *lú*, equus; *fésö*, et *fésü*, pecten; *tsöpö*, et *tsöpü*, stupa. Sic etiam pronomina personalia, *mü*, et *mí*, nos; *tü*, et *tí*, vos; *ö*, et *ü*, is, ille.

Hanc in eadem lingua tam indifferentem vocalium mutationem cum vsus admittat: non adhaerebimus in vocalium mutatione, quam voces poscunt cum affinium linguarum vocibus conciliandae.

§. IV. VOCALIVM PERMVTATIO IN CONSONAS.

Solent in lingua nostra vocales quaedam etiam in consonas mutari; quas postremo hoc loco notamus.

A. *U*, *O*, et *Ü*, *Ö*, in *V*.

Vocales *u*, et *o*, mutuo sibi substitutae, harumque sociae alternantes *ü*, et *ö*, aeque permuta-

biles, in quibusdam vocibus finales, abeunt in consonam *v*, praesertim si voces illae, per inflexionem, vel deriuationem increscant. Ex. gr. *daru*, grus; *ſzaru*, cornu; *hamu*, cinis; et sic sunt in vsu, *darv*, *ſzarv*, *hamv*; accepto cumprimis incremento a vocali inchoante, *darvak*, grues, *ſzarvas*, *hamvas*, cornutus, cinereus. Sic etiam *odú*, et *odó*, cauerna, in deriuato est *odvas*, cauernosus. Deinde *enyü*, et *enyő*, bitumen; item *könyő*, liber; et *nyelö*, lingua, proprie glutiens; vti est et his antiquitas vsa; hodie sic adhibentur, *enyv*, *könyv*, *nyelv*; in deriuatis *enyves*, *könyves*, *nyelves*, bituminosus, librarius, linguosus. Sic etiam *tetü*, et *tető*, pediculus, inflexione vero, et deriuatione auctum, dat plurale *tetvek*, pediculi, adiectiuum vero *tetves*, pediculosus.

B. *I* in *J*.

Duo sunt casus, quibus vocalis *i*, consuetudine iam antiqua, in consonam *j* mutata recurrit.

Verborum formatiuum *it*, quod proprie et ipsum verbum est, faciendi significatione, olim vsu latissimo *i* suum conuersum in *j* clare ostendit in verbis omnibus, sui adiectione natis; quod hodie in paucis retinet. Quondam sic ista erant, praecipuo teste Siluestro, vt alios taceam: *lágyéjt*, mollefacit; *hevéjt*, feruefacit; *boldogéjt*, *édeséjt*, beatum reddit, dulcem reddit; de prima rudi formatione, *lágyá-it*, *hevé-it*, *boldogá-it*, *édesé-it*; quae adhibito verbo iam aucto *teſzen* et sic redduntur valore omnino eodem: *lágygyá teſzen*, *hévvé*

teſzen, *boldoggá teſzen*, *édessé teſzen*. Sed in similibus hodie vocalium concretio inualuit vsu duplici: *lágyét*, *hevét*, *boldogét*, *édesét*; etiam *lágyít*, *hevít*, *boldogít*, *édesít*. In paucis manet *j*: ex. gr. *nyújt*, *gyűjt*, de primis *nyú-it*, *gyű-it*; protensionem facit, congregationem facit, id est, protendit, congregat.

Haec vtcunque euoluta videri possunt Ant. Lit. Hung. Vol. I. §. 137, et 150. Eadem vero recurrunt et in vocum deriuatione.

Porro in verbis vocalium tenuium formae determinatae tertia singularis persona, tam praesentis temporis, quam futuri exacti: *veti*, *köti*, *vetendi*, *kötendi*; proiicit, ligat, proiecerit, ligauerit; *i* vocalem, ortam de *ő* pronomine, in prima plurali persona mutat in *j*: *vetjük*, *kötjük*, *vetendjük*, *kötendjük*, de prima rudi formatione a radice proxima, *veti-ük*, *köti-ük*, *vetendi-ük*, *kötendi-ük*.

Et hoc enucliatius exponitur, loco proprio, in exacta personarum formatione.

Est vero vtraque haec mutatio nobis iterum cum Hebraeis communis: apud quos ו (*vav*), et י (*jod*), multis casibus aeque iam vocales sunt, nostris analogae *u*, *o*, et *i*, iam consonae sono eodem, *v*, et *j*.

CAPVT II.

DE CONSONANTIVM MVTATIONIBUS.

§. I. PERMVTATIO CONSONANTIVM EIVSDEM ORGANI.

Consonantium permutatio, omnium prima, et omnium facillima ea est: quae fit ex litera vna in aliam eiusdem organi.

A. VICINAE SONO.

Experientia, rerum magistra, vt probe notat Henselius, nos edocet: literam *b* in *p*, item *d* in *t*, item *s* in *z*, et vice versa, quam facillime transire (*In Synopsi Vniuersae Philologiae Sect. I. Cap. I. Axiomate III.*). Vicinae sunt istae sono, quarum exempla et nos habemus.

1. *P* in *B*.

Nam *szép*, pulcher, formato primo comparatiuo contracto *szepb*, *p* suum accommodauit ad vicinum *b*, *szebb*.

2. *D* in *T*.

Sic etiam *adta*, *tudta*, dedit, sciuit, et alia his similia, *d* in vicinum *t* mutato, efferuntur, *atta*, *tutta*.

3. *J* in *GY*.

Deinde et *j* soni lenioris consona palatina abit sono paulo densiore in *gy* eiusdem organi consonam. Dicitur vulgo *jere*, et *gyere*, veni; *szíjártó*, et *szígyártó*, scyrotomus, coriarius. Etiam de verbo *jobbúl*, melior fit, translate sanatur, factum est *gyogyúl*, praemissa mutatione media *jogyúl*; cuius deriuatum *jogyúlás*, melioratio, emendatio, legitur in Codice MS. Transl. Bibl. Iudith VIII. 27.

4. *K* in *G*.

Mutuo permutatae sunt etiam *g*, et *k*, consonae itidem palatinae. Hodiernum *gazdag*, diues, olim fuit *kaszdag*, non modo apud Scriptores aeui primi, sed etiam medii. Et *menyegző*, nuptiae, vti hodie profertur, est certe de *menyekező*, facta

contractione *menyekző*. Siluester quidem sic eo vsus est: *Az báránynak menyekezője* (Apoc. XIX. 7.); Nuptiae agni.

3. *SZ*, et *Z* in *S*.

Non absimili modo et *ſz*, et *z*, cum vicinae sunt consonae *s*, in eam mutantur. Voces enim istae *ravaſzság*, *igazság*, astutia, veritas, curatius scriptae, in vulgi ore sic sonant, *ravasság*, *igasság*.

B. REMOTIORES.

Permutat vero lingua nostra consonas eiusdem organi etiam remotiores sono.

1. *M* in *P*.

Certe *m*, et *p*, vtraque labialis, promiscua est in eodem nomine, *mart*, et *part*, ripa, litus. Conciliatur hoc pacto et nomen Patris Attilae, duplici olim modo scriptum, *Mendegutz*, et *Bendegutz*.

Neque id mirum videri potest; cur et *n* litera, alterius quidem organi, sed sono literae *m* vtcunque vicina, sequenti *b* labiali in *m* aeque labialem tam facile abeat; *azomban*, interea; *különben*, secus; *kegyetlemb*, crudelior: quae etymologice restituta reuera sic sunt, *azonban*, *különben*, *kegyetlenb*.

2. *S* in *R*.

Iam adductum est pro exemplo nomen ciuitatis Cassouiae, *Kassa*, quod sic etiam proferri solet, *Karsa*; et vicissim *tarsoly*, bulga, perula, *tassoly*; dentalium literarum, tremulae, et asperae sibilantis, mutua permutatione.

3. *D* in *L* et *N*.

Abit et *d*, consona lingualis, in literas eiusdem organi sono remotiores, *l*, et *n*: quod fit earum concursu in vocibus nonnullis, radice, *d* consona terminata, per inflexionem, et deriuationem increscente.

De nomine *pad*, scamnum, sedile, fit verbum, accessione formatiui *l*, *padol*, tabulat, coassat: cuius deriuata *padló*, *padlás*, tabulatum, contabulatura, et sic vsurpantur, *palló*, *pallás*. Sic prorsus et de nomine *üd*, salus, sacrum, sanctum, antiquitas formauit verbum *üdöl*, sacrat, sanctificat: *üdnepet üdölj*, sabbata sanctifices, proprie sacrum diem sanctifices. Et hoc in formis contractis *üdlök*, *üdlö*, iam dudum sic profertur, *üllök*, *üllö*.

Geminatio literae *l* in *üllök*, ab antiquis fidelissime obseruata, manifestam praebet huius verbi differentiam a verbo *ülök*, sedeo: quod cum illo ab hodiernis plerisque non recte confunditur, data ipsi *feriandi* notione. Ortum huius verbi omnino augustum, quem hic indicaui, alibi opportunius doceo.

Idem *üd* compositum cum *nap*, *üdnep*, et sic dicitur *ünnep*, sacer dies, festus dies. Mutatur *d* in sequens *n* in complurium verborum inflexione, pronunciandi segnitie hic quidem non probanda: *annak*, *tunnak*, dant, sciunt; *anna*, *tunna*, daret, sciret: quae curatiores, secundum etymologiam, ita scribi, et proferri volunt, *adnak*, *tudnak*, *adna*, *tudna*.

§. II. PERMVTATIO CONSONANTIVM DIVERSORVM ORGANORVM.

In lingua porro nostra frequentissime permutantur literae in literas diuersorum organorum. Cuius rei praecipua est ratio sonorum vicinitas, organorumque in his edendis modo maior intensio, modo segnior remissio, saepe etiam quoddam vitium natura, vel educatione, et adsuetudine contractum.

A. CONSONAE, QVAE HALITVS DICVNTVR.

Literae, quae halituum nomine veniunt, tres sunt proprie, *h*, *v*, *j*. His accedit omnino halitus valore, quo est in nonnullis verbis, et acutus sibilus *ſz*. Halitum sapit et lenis sibilus *z* certe in pronominibus demonstratiuis. Ab hac indole habent istae consonae quaedam sibi communia: mutuam inter se permutationem, quietem, motum, assimilationem aliis vicinis consonis, et deflexionem in sonum peculiarem. Non tamen singulae pariter sunt his omnibus obnoxiae. Quae in quibus conueniant, ordine explanamus.

1. MVTVA PERMVTATIO.

Tres priores literae, halitus proprii, *h*, *v*, *j*, ab adspirandi natura ipsis communi eam diu retinuerunt et in lingua nostra proprietatem; quam habent in linguis orientalibus, praesertim Hebraea: vt sibi mutuo substitutae fuerint quam saepissime.

In vetustissima Allocutione Funebri est casus organicus, instrumentalis, *kegyelméhel* pro *kegyelmével*, cum gratia-eius. Sunt illic verborum tertiae personae

singulares in praeterito primo: *hallává*, *feledéve*, quae serius ita sunt vsurpatae, *hallája*, *feledéje*, audiuit, oblitus est. Occurrit saepe apud antiquos casus mutatiuus, *világosság angyaláiá*, *örízetnek töréjé*, pro *angyalává*, *törévé*, in angelum lucis, in laqueum speculationis. Frequens fuit imperatiuus, hodieque auditur, *jövel*, *jövetek*, veni, venite, pro *jöj el*, *jöjetek*. Promiscue dicuntur et nunc: *fúvok*, et *fújok*; *búvom*, et *bújom*: flo, afflo; abeo, mergor. Haec vberius exposita, et claris veterum exemplis probata, videre licet Ant. Lit. Hung. Vol. I. §. 44. et seqq.

Habet Vaterus obseruationem singularem (*Gramm. Hebr. Part. I. Sect. I. Cap. II.* §. 53.) de consonis Hebraicis י (*jod*), et ו (*vav*). Harum pronunciationem notat ille admodum lenem, et fluidam fuisse: vt propiores fuerint sono, quam sint in linguis aliis. Patet hoc in verbis, quae in Hebraico consona י (*jod*) inchoant, et eadem in Arabico pro ea ו (*vav*) habent: ex. gr. יָדַע (*jâdahg*), et וָדַע (*vâdahg*), sciuit, nouit. Fit vero saepe saepius mutua haec substitutio et in ipsis vocibus Hebraicis. Consonae eaedem hac sua lenitate, ac fluiditate, fuerant et nobis tam facile permutabiles.

2. QVIES, ET MOTVS.

Halitum efflandi consuetudo orientalis et nobis diu adhaesit, tam ante vocales in principio vocum, quam etiam post vocales, in medio, et cumprimis in fine vocum. Hoc vsu notae sunt literae, *h*, *v*, *sz*.

Halitus *v* principio vocum obseruatur in vetustissima Allocutione Funebri: *vimádjuk*, oremus; *víze*, sapor eius; *vöt*, eum; etiam in medio; *jovben*, in bono; deinde in fine: *keserüv*, amarus; *miv*, nos; *tiv*, vos; quae hodie eo neglecto dicuntur: *imádjuk*, *íze*, *jóban*, *keserü*, *mí*, *tí*.

Sed in fine vocum perstant et hodie tres isti halitus, *h*, *v*, *ſz*. Verum nimia sua lenitate, Hebraeorum iterum more, in quiete sunt, non audiuntur; sed vocalium sono tantum producto adesse obseruantur; dum nudae sunt voces, vel affixis augentur consona inchoantibus: ex. gr. *mé*, *jú*, *ló*, *mű*; apis, ouis, equus, opus: *mének*, *júnak*, *lónak*, *műnek*, api, oui, equo, operi. Ad motum veniunt, sonant, auditu percipiuntur, dum eaedem voces affixis increscunt vocalibus: ex. gr. *méhek*, *juhok*, *lovak*, *müvek*, apes, oues, equi, opera.

Etiam *ſz* consona, in quibusdam verbis reuera halitus, halituum more quiescit, et in motu est. Ex. gr. verba *leſzen*, fit; *hiſzen*, credit; *eſzik*, comedit; *iſzik*, bibit; in modi indicatiui tempore praesenti habent halitum *ſz* in motu; sed qui alibi quiescit, vel assimilatur vicinis consonis: ex. gr. *lenne*, fieret; *hinne*, crederet; *ennék*, comederét; *innék*, biberet.

Sibilum acutum *ſz* et in lingua Latina adspirationem valuisse satis docet vsus vetustus; quo ob exilitatem suam absorberi solebat in versibus: ex. gr. *Toruu' draco serpit — Magnu' leo tremulam quatiens e corpore flammam.* Sibilo non absorpto: *toruus draco*, *magnus leo*. Deinde est is in nonnullis vocibus reuera de Graecorum adspiratione, exili halitus sono intensius protruso: vt in *sex*, et *septem*, quae sunt de Graecis ἕξ, et ἑπτα, hex, et hepta.

Verum et ista prolixius explanata recurrunt in ipsa etymologia: nominatim in inflexione nominum cum halitu quiescente; et in verbis irregularibus.

3. ASSIMILATIO ALIIS CONSONIS VICINIS.

De halitibus quatuor solent aliis consonis vicinis assimilari, *v*, *j*, *ſz*, *z*; et duo quidem prio-

res consonis praecedentibus, sequentibus vero duo posteriores

a. HALITVS *V.*

In duobus dumtaxat affixis, *vá* mutatiui casus formatiuo, et *vel* postpositione, quae aequiualet praepositioni Latinae *cum*, halitus *v* singularem habet proprietatem.

Primum quidem, si haec affixa ad radices accedant vocali terminatas, ipse halitus *v* manet, et sonum proprium edit: ex. gr. *tsigá-vá*, *ló-vá*, *függé-vé*, *nyü-vé*; in limacem, in equum, in ficum, in vermem, subintellige mutatum: deinde *tsigá-val*, *ló-val*, *függé-vel*, *nyü-vel*: cum limace, cum equo, cum fico, cum verme.

Remotior tamen antiquitas halitum *v* saepe et hic suppressit, nimia soni, quo olim edebatur, exilitate. Est certe exemplum in antiquissima Allocutione Funebri: *halálnek haláláal*, pro *halálnek halálával*, cum mortis morte. Habet saepius Codex MS. Transl. Bibl. *semmié*, pro *semmivé*, in nihilum. Item Vita MS. S. Christinae: *méltóá töttél engemet*, pro *méltóvá*, dignum me fecisti. Est eiusdem *v* neglectus etiam apud Telegdium: *jó ízüé tövé*, pro *jó ízüvé tövé*, sapidum reddidit.

Secundo, si affixa ista radicibus iungantur in consonam desinentibus, halitus *v* sonum proprium amittit, et eidem consonae finali assimilatur: ex. gr. *hal-lá*, *jég-gé*, *társ-sá*, *vers-sé*, in piscem, in glaciem, in socium, in versum abiit mutatione: *hal-lal*, *jég-gel*, *társ-sal*, *vers-sel*, cum pisce, cum glacie, cum socio, cum versu.

Hanc

Hanc assimilationem suasit euphonia, et vsu firmauit, iis quidem non iam violabili, qui cultiores audiri volunt. Antea vero diu et hic integrum adhibuerunt hunc halitum Scriptores vel probatissimi, cumprimis in postpositione: *hal-val*, *jég-vel*, *társ-val*, *vers-vel.* Horum nonnulli, Komjáthius, Siluester, Tinódius, Katona Gelejensis, adductis exemplis sufficientibus, memorantur Ant. Lit. Hung. Vol. I. §. 38, 39.

b. HALITVS *J.*

Lenis halitus *j* vulgo habetur pro euphonica consona connectente vsu latissimo. Nos hunc merito restringimus ad casus omnino paucos, qui in etymologia indicantur.

Nam vsu illo, quo adhibetur in lingua nostra quam frequentissimo, est ille primum in affixi connexione cum nominibus, postpositionibus, et verbis, pars propria pronominis personae tertiae: quod hodie nudum est, dum separatim vsurpatur, *ő*, *ők*; olim vero halitum habuit, primigenium quidem *hő*, *hők*; deinde mutatum *vő*, *vők*, et *jő*, *jők*. Hoc in pronominum euolutione copiose demonstratur. Est deinde in verbis formatiuum modi imperatiui.

Vtroque hoc vsu, soni suauioris studio, consona *j* post consonas sibilantes *ſz*, *s*, *z*, in easdem mutatur: ex. gr. *azt vadáſz-ſza*, hoc venatur; *ruháját mos-sa*, vestem-suam abluit; *a' fejét ráz-za*, caput-suum agitat: *vadáſz-ſz-on*, venetur; *mos-s-on*, lauet; *ráz-z-on*, exagitet.

Veterum nihilominus exempla, quae in exacta personarum formatione opportunius adducentur, hanc consonam *j* et hoc vsu integram exhibent, euphoniae le-

ge vniuersim nondum inualescente: *vadász-ja, mos-ja, ráz-ja; vadász-j-on, mos-j-on, ráz-j-on.*

c. SZ HALITVS VALORE.

Consona *sz*, in quibusdam verbis halitus vice fungens, quomodo assimiletur consonae sequenti, iam supra insinuatum est exemplis modi optatiui: *le-n-ne, hi-n-ne, e-n-né-k, i-n-né-k.* Reliqua tempora copiosius euoluuntur loco proprio in verbis irregularibus, assimilatione, vbi adest, clare indicata.

d. Z HALITVVM NATVRAM IMITANS.

Consona *z* in solis pronominibus demonstratiuis *ez*, et *az*, hic, ille, quorum alter est vna et articulus, halituum naturam imitatur, ob soni exilitatem, quam lenis vtique litera iam sponte habet, hoc tamen vsu multo tenuiorem.

Ante vocales sono suo editur: ex. gr. *ez élet*, haec vita; *az állat*, illud animal. Consonis vero sequentibus assimilatur, expressa et hodie geminatione, vel saltem apostropho indicata.

Expressa est eius geminatio, cum ista pronomina, affixis, et quibusdam compositionibus increscunt: ex. gr. *ennek, annak*, huic, illi; *ebben, abban*, in hoc, in illo; *ettől, attól*, ab hoc, ab illo; *ekkor, akkor*, hoc tempore, illo tempore; *efféle, afféle*, huius generis, illius generis.

Geminatio apostropho indicata, et inter legendum reuera exprimenda, in more est hodie propter scribendi compendium ante reliqua nomina omnia, etiam pronomina: ex. gr. *e' kez*, haec ma-

nus; *a' malaſzt*, illa gratia; *a' mí dolgunk*, illud nostrum negotium; *a' tí házatok*, illa vestra domus; quae tamen curatior antiquitas, vti geminata protulit, ita etiam geminata scripsit: *ekkéz*, *ammalaſzt*, *ammí dolgunk*, *attí házatok*.

Vsu praeterea promiscuo, qui et hodie saepe auditur, eadem antiquitas sonum literae *z* etiam integrum retinuit, et in his, *ez kez*, *az malaſzt*, *az mí dolgunk*, *az tí házatok*; et in illis superioribus, *eznek*, *aznak*, *ezben*, *azban*, *eztöl*, *aztól*.

Eadem haec pronomina, *ez*, et *az*, cum mutatiui casus formatiuo *vá*, et postpositione *vel*, duplicem faciunt assimilationem; quia consona vtraque, *z*, et *v*, halitus est, altera in alteram promiscue mutata: *ez-zé*, *az-zá*; etiam *ev-vé*, *av-vá*, vel *e'vé*, *a'vá*; in hoc, in illud: *ez-zel*, *az-zal*; etiam *ev-vel*, *av-val*, cum hoc, cum illo.

Quae hic breuiter dicta sunt, ex proposito vberius explicantur, adductis ad rem veterum exemplis, Ant. Lit. Hung. Vol. I. §. 119, et seqq. Fere eadem recurrunt et in pronominum euolutione.

4. DEFLEXIO IN SONVM PECVLIAREM.

Iam deflexio videnda est in sonum peculiarem, quam facit vnica consona *j*, in concursu quarundam consonantium, et recto soni suauioris studio, et vulgi more vitioso.

a. EVPHONIAE STVDIO RECTO.

Consona *j*, cum est formatiuum modi imperatiui, post radicum consonam *t* abit in sibilum aspe-

rum, modo ipsa tantum, modo et *t* consonam in eum mutat.

Quando *t* consona finalis pura est, praecedente nimirum vocali, cumprimis breui; sibilum edit et *j*, et *t*, imperandi energia, et consonae *t* ab adspiratione illi socia et alias prona in sibilum mutabilitate: ex. gr. *mutat*, ostendit; *siet*, properat; *fut*, currit; *süt*, assat; accepto imperatiui formatiuo, *mutat-j*, *siet-j*, *fut-j*, *süt-j*, exprimendi nisu fortiore, consonas ita concurrentes edunt vtrasque sibilantes, *mutas-s*, *sies-s*, *fus-s*, *süs-s*.

Cum vero consona *t* non est pura, praecedente scilicet quacunque consona alia, vel etiam vocali longa, praesertim *í*, et *é*, quas longas fecit formatiui *it* absorpta *i* vocalis; in concursu huiusmodi solum *j* sibilat: sed cuius proprius sibilus asper *s*, vicinitate consonae *t*, quae suo aeque sono proprio distincte esset efferenda, organorum remissa intensione, cum hac iunctim exprimitur vno tantum sono sibili crassi: ex. gr. *ront*, destruit; *költ*, fingit, expendit; *segít*, iuuat; *vét*, errat, peccat; *fűt*, calefacit; aucta imperatiui formatiuo, *ront-j*, *költ-j*, *segit-j*, *vét-j*, *fűt-j*, pronunciandi nisu vehementiore, cum sibilo eduntur, quem diximus, crasso, *ront-s*, *költ-s*, *segít-s*, *vét-s*, *fűt-s*.

Haec penitius euoluta, et rectum in iis euphoniae studium clarius probatum, prolixius videre licet in exacta imperatiui formatione.

b. VVLGI MORE VITIOSO.

Post tres istas consonas *d*, *l*, *n*, consona *j*, tam imperatiui formatiuum, quam affixi pronominis pars concreta; item post *t* solum in affixo hoc pronomine; vsu meliore integra manet, non modo in scribendo, sed etiam in loquendo: ex. gr. *ad-ja*, *fal-ja*, *von-ja*, *imád-ja*, *tsodál-ja*, *kíván-ja*, *mond-ja*; dat, glutit, trahit, adorat, admiratur, cupit, dicit; etiam det, glutiat, trahat, adoret, admiretur, cupiat, dicat; deinde *mutat-ja*, *ront ja*, tantum ostendit, destruit: praeterea in nominibus, *had-ja*, *kín-ja*, *falat-ja*, *gond-ja*, *föld-je*, exercitus-eius, cruciatus-eius, bolus-eius, cura-eius, terra-eius.

Sed in his loquentium delicata quaedam mollities, vero nomine pigritia potius organa recte adhibendi ad vtrasque literas distincte exprimendas, vtrasque in tertias deflectit, vtrisque sic concurrentibus emollito sono vicinas: *dj* in *gy* (*gyé*); *lj* in *ly* (*ely*); *nj* in *ny* (*eny*); *tj* in *ty* (*tyé*).

Geminatio fit itaque et harum ita corruptarum; quia intimo etiam vitiose loquentium sensu percipiuntur et illae genuinae duae esse diuersae, et hoc saltem modo compensandae: si non tertia aliqua praecedat consona. Sin istam praemissam habent voces, illae duae diuersae simplici sono deflexo exprimuntur.

Et vulgi quidem pronunciatum, nostra sententia licet vitiosum, hunc tamen esse genuinum quisque vel paulo attentior in audiendo vltro obserua-

bit: *agy-gya*, *faly-lya*, *vony-nya*, *imágy-gya*, *tsodály-lya*, *kívány-nya*, *mon-gya*, *mutaty-tya*, *ron-tya*; *hagy-gya*, *kíny-nya*, *falaty-tya*, *gon-gya*, *föl-gye*.

Orthographia nostra, quam dare conamur etymologiae, non vulgi pronunciationi, superstructam, hanc rationem probare non potest. Disceptatio de ea satis prolixa legitur Ant. Lit. Hung. Vol. I. §. 163, et seqq. Ea et hic resuscitatur loco magis opportuno in orthographia.

B. ALIAE QVAEDAM CONSONAE.

Sunt vero praeter halitus et aliae quaedam consonae, quae vsus mutat in alias non eiusdem organi literas.

1. *B* in *GY*.

Prima est in his *b* consona labialis, comparatiui gradus formatiua: quam in voce *job*, melior, etiam manus dextra, de adiectiuo *jó*, bonus, omnis nostra antiquitas conuersam efferre solebat in emollitam consonam palatinam *gy*, *jogy*; scriptione vetusta *jog*, *Zent Iog*, Sacra Dextera, Sancti scilicet Stephani, Regis Apostolici, *Szent Jogy*. Sic recurrit eadem vox in Symbolo Fidei, quem exhibet Precum Liber MS. et scriptione quidem adeo clara, vt eius lectio dubia esse non possit: **wl mendenhato ata ystennek yogya felol**: sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Confirmat eandem lectionem et Komjáthii scriptio distinctissima: *Ky az vr istennek iogya felwl vagyon* (G. ij.): Qui est ad dexteram Dei. Deriuatum de hoc verbum *jogyúl*, melior fit, emendatur, iam supra in-

dicatum est; adiectum illico et nomen de hoc verbo deductum, *jogyúlás*, emendatio.

2. *D* in *GY*, et *SZ*.

Secunda est *d*, consona lingualis; quae in palatinam *gy*, et dentalem *ſz*, mutatur; et istae vicissim in illam.

Pronissimum est, vt consona *d*, liquidius expressa, migret in *gy*; et vicissim consona *gy*, purius prolata, abeat in *d*. Hoc in lingua nostra complura docent exempla.

Verbum *fed*, arguit, et *fegy* dicitur, de quo deriuatum est *fegyelem*, redargutio, disciplina; deinde nomen *ſzelíd*, et *ſzelígy*, mitis, mansuetus, promiscue audiuntur; etiam *dühösség*, et *gyühösség*, furor, rabies; ipsa adeo particula *de*, sed, verum, etiam liquide effertur, *gye*.

Et contra nomina quaedam, hodierno vsu emollitum *gy* sonantia, *gyimölts*, fructus, *gyilkos*, homicida, sicarius, id olim sono pleno expresserunt, *dimölts*, *dilkos*: quod factum est et in verbis *vadnak*, sunt, *hadnak*, relinquunt, quae genuine sic sunt, *vagynak*, *hagynak*.

Fontes, vnde haec hausta sunt, indicantur Ant. Lit. Hung. Vol. I. §. 71.

Nomen *jobágy*, subditus, tributarius, villanus, quod vulgo compositum esse dicitur explanatione non apta, et ridicula, hac mutatione tam prona, originem vltro ostendit verissimam. Commune est hoc nobis vocabulum ex lingua primigenia cum Hebraeis: quod probat et sonus similis, עָבַד (*jábad*), nostro ore *jobád*, *jobágy*; et significatio primigenia prorsus eadem, ver-

bi valore *seruiuit*, *opus fecit*, pro nomine sumtum *seruus*, *seruitus*. Et *jobágy* quidem, simplici vtique *b* scribendum, etiam legum nostrarum sensu primo est reuera *seruus domino opera faciens*. Hoc per occasionem insertum est; vt et isto exemplo tam claro magis pateat: quanto sit vsui in conciliandis affinium linguarum vocibus communibus cognita literarum mutabilitas.

Literam *d* cum *ſz* permutabilem cumprimis verba ostendunt; quae, vsu promiscuo, audiuntur et hodie, eadem omnino significatione, adhiberi: *háborodik*, et *háboroſzik*, turbatur; *ſzaporodik*, et *ſzaporoſzik*, multiplicatur; *elégedik*, et *elégeſzik*, saturatur; *kövéredik*, et *kövéreſzik*, pinguescit.

Linguales literae orientalium, ד (*daleth*), ט (*tet*), ת (*tav*), in sibilos abeunt quam frequentissime, in diuersis praesertim dialectis: ex. gr. נוד (*nud*), et נוס (*nus*), vtrumque fugiendi notione praeditum; בָּדַר (*bádar*), et בָּזַר (*bázar*), spargit, dispergit; טוּר (*tur*), et צוּם (*tzur*), mons, petra; טָבַח (*tábach*), et זָבַח (*zabach*), mactatur; מְתַל (*methal*), et מָשַׁל (*máschal*), similis fuit, assimilauit.

Literae linguales sociam patiuntur adspirationem: quae, dum ipsis adrepit, intensiore pronunciationis nisu, eas in sibilum mutat: ea vero repressa sponte redeunt nudae linguales. Inde est apud nos harum prona in sibilum conuersio, vt supra etiam attigimus in *j* halitu imperatiuos formante.

Patet vero latius haec lingualium, et dentalium sibilantium, permutatio: siquidem et apud Graecos frequens est pro dialectorum varietate. Nam διαβάλλειν, calumniari, Aeolibus est ζιαβάλλειν; et Lacedaemoniorum μάδδα, massa, aliis est μάζα; deinde Θεὸς, deus, Laconice est σιὸς; et pro ὀσμὴ, odor, Aeoles, et Dores ὀδμὴ dicunt.

3. *GY* in *N*, et *T*.

Litera *gy*, liquescens palatina, cum sit linguali *d* sono adeo vicina; vt purius expressa in eam migret, hocque pacto et ipsa lingualis fiat: hac sua procliuitate in concursu cum aliis lingualibus, *n*, et *t*, et hac quidem posteriore ipsi *d* etiam sono quam proxima, vltro in easdem mutatur, remissiore organorum vsu: ex. gr. *vannak*, *hannak*, sunt, relinquunt; *vattok*, *hattok*, estis, relinquitis; quae etymologice restituta rectius sic scribuntur, et exprimuntur: *vagynak*, *hagynak*, *vagytok*, *hagytok*.

4. *LY* in *J*.

Lingualis litera *ly* liquescens, quia durior est pronunciatu propter sonum tenuius exprimendum, vulgo remissius loquenti abit in lenem consonam palatinam *j*, sono vtcunque vicinam: ex. gr. *hej*, *mej*, *foj*, locus, pectus, fluit; quae curatiores sic recte efferunt, *hely*, *mely*, *foly*.

5. *M* in *N*.

Labialis consona *m*, et *n* palatina, propter soni vicinitatem, sunt aeque permutabiles. Verbum *nevet*, ridet, vt hodie efferimus, antiquitas constanter *mevet* dixit. Pariter et pronomen *én* in vsu affixo, praeter congruam vocalis mutationem, habet et consonae suae conuersionem in *m*, pronam in fine vocum etiam a labiorum compressione: ex. gr. *nyelem*, glutio, glubo; *tétetem*, fieri facio; quae tamen Fenni, et Esthones, hodieque sic proferunt, *nyelen*, *teeten*; olim certe et nobis sic ista fuerunt, *nyelén*, *tétetén*.

6. *R* in *L*.

Dentalem tremulam consonam *r*, crudam, et difficilem pronunciatu, vltro experimur in ore blaesorum in lingualem literam *l* deflectere.

Fit hoc in nonnullis etiam affinium linguarum vocibus communibus. Nostrum *három*, tria, contractione primigenia *hárm*, Esthonibus est *kolm*, Fennis *colme*, Lapponibus *colma*. In quo obseruare licet et nostram gutturalem literam olim densiorem *chárm*, vt est in Allocutione Funebri *chármúl*; quae in horum ore abiit in consonam palatinam fortem, *kolm*.

Quidam hodie magno conatu obtrudunt vocem *komoly*, quasi modo a se repertam in rariore vulgi vsu, propria, et genuina significatione *serii*, ernsthaft: quod hactenus apte expressisse putamur per *való*, *valójában való*, *nem tréfa*, *tréfa hagyott*. Sed hanc vocem iam prior produxit Vir indefessus, Dauid Szabó Baróthensis, in suo Dictionariolo (*Kisded Szótár*), eadem fere significatione, quam habet vox *komor*; vt ea de hac nata esse vtcunque inferri possit, difficilis nempe literae *r* mutatione in *l*, eamque liquescentem, *komoly*. *Komoly: kemény ſzabásu, p. o. tekéntet*. *Komolyodni*. *Komolyság*. *Komor* exiguo interuallo subsequitur. *Komor kedv*. *Komoron nézni*. *Komorság*. *El komorodni*. Explanationes adiectae fere eadem indicant, certe vicina. *Kemény ſzabású tekéntet* est *vultus durus*, *supercilium seuerum*. *Komolyodni* valet ergo *durum*, *seuerum fieri*; et *komolyság* reddit *seueritatem*. *Komor* Párizpápaio interprete est *toruus*, *morosus*; *komor kedvü*, dicitur *tetricus*, proprie *tetrico animo praeditus*; *komoron nézni* valet *tetricum tueri*; *komorság* vero *morositatem*; *el komorodni* demum *tetricum fieri*. Haec vitia sunt potius, nec possunt ita in laudem dici, vt nomen *serius*, ernsthaft, vsurpari solet.

Si vulgus ille, qui hac voce vtitur, eam ad laudem adhibet: diligentius esset exploranda e loquendi formulis frequentioribus genuina eius significatio. Fortasse plus ea valet, quam quod notat *serius*. Est proinde omnino hac sua forma *komoly* etiam distincta a voce *komor*, singulari antiquitatis tenacitate vox adhuc superstes ex lingua primigenia, nobis cum Arabibus communis. Nam reperi apud hos vocem כָּמַל (*kamal*), quae ore nostro obscuris vocalibus prolata abiit in *komol*, etiam *komoly*, postrema consona liquescente. Ea vero, Schindlero, et Iahno interpretibus, est *integer*, *perfectus*, *absolutus*. Eodem valore est hoc vocabulum et Turcis familiare, *kamil*, vt Meninszkius legit. Quare *komoly ember*, hac significatione, ad insignem laudem est *homo integer*, *homo perfectus*.

7. *T* in *G*.

Lingualem consonam *t*, et palatinam *g*, mutuo sibi substitutam et hodie habet lingua nostra in eadem voce, *ismét*, et *ismég*, rursus, iterum. Deinde hodiernum *tehát*, ergo, igitur, itaque, et *söt*, imo, quin, quin imo, antiquis fuit *tehág*, et *sög*, vt saepe recurrit apud Siluestrum.

Indicatur a Grammaticis etiam Hebraeis ת (*tav*) lingualis literae mutatio in כ (*caph*), sono vicinam ג (*gimel*), seu G literae aeque palatinae, nominatim in plurali secundae personae pronomine affixo: תֶּם (*tem*), et תֶּן (*ten*), vos, cum verbis; כֶם (*kem*), et כֶן (*ken*), vestri, cum nominibus, particulisque. Obseruamus nos praeterea idem factum esse et vicissim in singulari primae personae pronomine affixo תִּי (*ti*), ego, cum verbis, de primigenio pronomine כִּי (*ki*). Sed haec vberius explanantur in pronominum euolutione.

C. QVARVNDAM CONSONARVM OMISSIO.

Eadem vulgi segnitie organa rite adhibendi, qua consonas non paucas in alias mutari vidimus, notamus postremo hoc loco et illud vitium passim grassari: vt consonae quaedam de vocibus omittantur.

1. CONSONAE *L* OMISSIO.

Accidit hoc linguali cumprimis literae *l*: quam, licet sono lenissimam, et pronunciatu facillimam, loquentium tamen pigritia, cum alia consona concurrentem, negligit; sed cuius defectum compensat mora praeeunti vocali data. Vitium hoc non solum hodiernis est nimium familiare; sed etiam antiquis fuit frequentissimum.

Inde sunt hae pronunciationes, etiam scriptiones crebrae, non tamen probandae: *bódog*, *fót*, *föd*, *ódom*, *tódom*, *vóna*, *vátság*, *kôtség*, pro his genuinis: *boldog*, beatus; *folt*, assumentum; *föld*, terra; *oldom*, soluo, *toldom*, suppleo; *volna*, esset; *váltság*, redemtio; *költség*, expensa. In his duobus, *óma*, *szóma*, etiam vocalis mutata est in sonum obscurum ex claro: *alma*, malum, fructus arboris; *szalma*, stramen.

Praecedentes vocales, *a*, *o*, *ö*, ea mora, quam accipiunt ad compensandam literam omissam, fiunt longae sono producto, et accentu notantur acuto. Longa fit et *e* vocalis, sed non sono acuto, nobis peculiari, verum obtuse producto; quem, si et huiusmodi vitia scripto sunt exprimenda, signo circumflexo possumus indicare: ex. gr. *ê ment*, *ê ve*-

ſzett, abiit, periit, pro his integris, *el ment*, *el veſzett.*

Eodem signo erit notandum et *kêd*, *kênd*, contractum ex *kegyed*, gratia tua; honoratiores alloquendi formula; sed quae adeo euiluit, vt hodie tantum apud plebeios audiatur.

Eundem pronunciatum obtusum videtur habere, proinde et idem signum poscit, concretio duarum vocalium *ee* in futuro exacto quorundam verborum irregularium, antiquis admodum familiaris: ex. gr. *êndöl*, *vênditek*, pro *eendel*, comederis, *veenditek*, acceperitis.

2. CONSONAE *M* OMISSIO.

Omittitur in vocum principio, vitioso quarundam partium vsu, sed qui libris nondum illatus est, etiam *m* consona: ex. gr. *eg ette*, *eg lett*, pro his sinceris, *meg ette*, comedit, *meg lett*, factum est.

SECTIO QVARTA
DE
ANTIQVA RATIONE LITERARVM HVNGARICARVM,
ET PROBABILI EARVM COMPENDIO.

Quae sunt principio orthoepiae nostrae, in genere, et strictim indicata de antiqua ratione literarum nostrarum; eadem hoc loco, aliquanto exactius explananda, resumuntur: vt amplior detur eorum cognitio, tam ad voluptatem honestam, quam in vsum vtilem. Adiicitur his literarum compendium probabile: cuius desiderium, et hoc aeuo non male excitatum, satis palam est, nonnullorum conatibus iam in lucem datis.

CAPVT I.
DE ANTIQVA RATIONE LITERARVM HVNGARICARVM.

Duplex poscitur explananda ratio antiqua literarum nostrarum: quae nempe ante susceptam religionem Christianam apud maiores nostros viguit, remotiorque est; et quae postea, iis iam Christianis, inualuit, nosque propius attingit.

§. I. ANTIQVA LITERARVM RATIO REMOTIOR.

De maioribus nostris remotioribus Scriptores nonnulli paulo iniquius hoc notant, eos omnino

rudes fuisse literarum. Alii contra, vt hanc originibus nostris maculam detergerent, pulchra congerunt argumenta, eos non potuisse literis carere.

Nam Metteus, Hunnorum Princeps, memoratur literas scripsisse ad Sinas. Scythae, Hunnorum origines, Principum, et Heroum res gestas literis consignarunt. Attila, post partam victoriam in Italia, ad propagandam linguam Hungaricam magistros e sua prouincia acciuit. Fuerant praeterea Hunni, etiam posteriores, Poeseos amántes: cum bellicas virtutes suas, versibus comprehensas, decantare consueuerint.

Haec vsum literarum maioribus nostris olim familiarem clare docent: sed quales illae fuerint literae, quia nulla supersunt monumenta, decerni non potest.

Ostentant Siculi Transiluani quasdam literas peculiares, quas pro Hunno Scythicis haberi volunt, a dextra ad sinistram procedentes. Complures etiam Viri docti, cumprimis Belius, acriter pro iis depugnant. Sed rem penitius expendentibus vltro patet, figmenta haec esse aeui posterioris. Primum enim literae istae morem orientalem nec figura referunt, nec ordine. Deinde et traditio, qua Hunnicae reliquiae esse iactantur, non est constans, et communis. Nam Simon de Keza, et alii, qui de iis mentionem fecerunt, Valachicis potius, et Slauicis similes dixerunt; licet et isti non recte sint locuti.

Qui eas, tam incertas, serius in lucem protulerunt, satis etiam differentes exhibuerunt. Tales

damus et nos, vt harum curiosis faueamus triplici serie in tabella singulari descriptas (*Tab. II. p.* 146.).

Si cui lubet ista prolixius deducta videre; consulere potest Historiam Literaturae Hungaricae, patrio sermone a nobis deductam. Hic illud tantum breuiter indicamus: literas, in tertia columna adiectas, a prioribus prorsus diuersas, eas esse; quibus pii cuiusdam Senecionis Ketskemethii Libellum Precatorium exaratum fuisse testatur Antonius Kalló, Parochus Gellensis, data epistola ad Benedictum Cettonem e Scholis Piis, Collegii Veſzprimiensis Rectorem.

§. II. ANTIQVA LITERARVM RATIO PROPIOR.

Certissima sunt, quae de antiqua literarum ratione propiore adducuntur. Habent vero etiam vtilitatem coniunctam: quod ii, qui praeuiam capiunt horum cognitionem, paratiores accedant ad veterum monumenta expeditius legenda.

Adoptata religione Christiana, maiores nostri a magistris suis, Monachis Latinis, et literas adoptarunt Latinas: figura tamen differentes adhibuerunt pro temporum diuersitate, modo pure Latinas, modo ex Latinis deformatas, Neogothicas, Monachales, Scholasticas.

Sed prima scribendi pericula nimium implexa fuerunt: quod literae Latinae sono cuique Hungarico genuine exprimendo non suffecerint. Prima simplex ratio, sonos singulos vna tantum simplici

litera

litera exprimendi, valere non potuit. Quare sensim tentari coepit varia literarum combinatio; etiam vsus quorundam signorum inductus est. Has rationes in tabellam singularem ita illatas exhibemus: vt vno obtutu facile percipi possint (*Tab. I. p.* 145.).

A. PRIMA SIMPLEX RATIO.

Prima simplex ratio, quam modo innuimus, ea fuit: vt literae simplices adhiberentur, quibus peregrinus in Latino sonus quam proxime accederet.

Vni eidemque literae duplex ergo, quandoque et amplior, datus est valor.

Simplex itaque *c*, et tenuem dedit sibilum (*tz*), et crassum (*ts*); more Latinorum et *k* valuit.

Pariter et *s* iam acute sibilauit (*ſz*), iam aspere (*s*); quandoque et crasse (*ts*), et dense (*zs*).

Item *z* modo proprium edidit sibilum lenem (*z*), modo acutum (*ſz*), frequenter et densum (*zs*).

Sic etiam quatuor istae consonae *g*, *l*, *n*, *t*, et plenum dabant sonum proprium, et liquescentem (*gy*, *ly*, *ny*, *ty*).

Non absimili modo vocales eaedem et breues erant, et longae, sine omni accentuum vsu.

Ad quoddam discrimen longi, et obscuri *a*, pro obscuro adhibitum est *o*, pro *o* autem *u*: quo fiebat, vt et *o*, et *u*, duplici essent valore, soni proprii, et vicini.

Promiscue alternabant *i*, et *y*, vocalis valore; erant eaedem et pro consonante *j*. Alternabant, vocalis, et consonantis valore, etiam *u*, et *v*.

Peculiarem nostram vocalem *ö* reddebant vocales variae, *e*, *i*, *o*, *u*; et alteram *ü* aeque variae *i*, *u*, *y*. Alternatione literarum *u*, et *v*, fuit vtroque hoc sono et *v*, praesertim geminatum *w*.

Haec prima simplex ratio cumprimis dominatur in antiquissima Allocutione Funebri: in aliis deinde monumentis eo cumulatior est, quo altius ea recidunt.

Vltro patet, vagam, et nimium impeditam fuisse hanc rationem. Lectorem certe Hungarum poscebat: qui, gnarus vtique sermonis patrii, cuiusque literae occursu vltro admoneretur ad edendum sonum genuinum.

B. VSVS COMBINATIONVM.

Vt ergo scriptio nostra certius figeretur, et ipsa postea lectio eo esset expeditior: adhibita est duarum literarum combinatio ad simplicem sonum exprimendum. Aliarum gentium imitatio eo nostrates duxit, praeeuntibus Monachis magistris, praesertim Germanis, Italis, et Gallis.

Varia combinationum exempla, diligenter, et clare exposita sunt in tabella paulo ante indicata: vt de iis singillatim agere superfluum esse videatur.

Tantum de combinatione *chi*, et *chy*, pro tenui, et crasso sibilo, promiscue vsurpata, notandum est: eam more Italorum *i* vocali esse auctam ante vocales crassas; ex. gr. *chialan*, *chioda*, hodierna scribendi ratione *tsalány*, *tsoda*, vrtica, mi-

raculum. Sic Itali, dum *c* suum etiam ante vocales crassas sibilare volunt, *i* adiiciunt pro sibili signo: *bácio*, basium; *fanciúllo*, infans; leguntque, ac si more nostro scripta essent, *bátso*, *fantsúllo*.

Addimus praeterea de vocalibus: eas, in combinata ratione, dum longae erant, geminatas fuisse, non tamen constanter: ex. gr. *soo*, *teel*, quae hodie, et dudum satis, accentu notantur, *só*, *tél*, sal, hyems.

Deinde monemus *u*, et *v*, literas, imitatione Latinae orthographiae, promiscue fuisse in vsu, iam pro consona, iam pro vocali. Vnde etiam vocali oris rotundissimi *ü* duplex data est figura, *uͤ*, et *vͤ*.

Porro etsi combinationem iam claram habuerunt vocales rotundiores, minutulo *e* sibi inscripto, *oͤ*, et *uͤ*: saepe tamen et his amplior accessit combinatio, certe superflua, praemisso eodem *e* figura maiore, *eoͤ*, et *euͤ*.

Postea *i*, *j*, et *y*, promiscue sumebantur et in hac scriptione, pro *i* vocali, et pro consonante *j*.

Demum, ex nimia adspirandi consuetudine, halitus *h* frequenter adiectus est cumprimis consonae *t*, et *g*: quibus et hodie pertinaciter adhaeret in nominibus propriis: ex. gr. *Tóth*, *Horváth*, *Balogh*.

Ad combinationem pertinet et ea ratio: qua liquescentibus consonis litera *i*, pro liquescendi signo, superne inscripta est figura minutula.

C. VSVS SIGNORVM.

Dum combinationes vtcunque inualuerunt; inductus est sensim et signorum vsus, ex more Bohemorum, et Polonorum.

Signa ista, vt in eadem tabella distincte exhibentur, erant puncta, virgulae, et vncinuli, liquescentibus quam maxime literis superne adiecta. Saepe tamen comparet *l* more Polonorum virgula obliqua transfixum.

Sunt vero et de sibilis duo potissimum, tenuis, ac densus, quorum alterum dedit *c* litera, alterum autem *z*, signis iisdem indicati.

Sibilus crassus (*ts*), praesertim in manuscriptis Gothici characteris, peculiarem habuit figuram, e serpentino ductu exili, et lineola interne transuersa (ꝁ): qua saepe et tenuis sibilus (*tz*) expressus est.

Acceperunt porro et vocales nostrae soni peculiaris signa fere eadem, sed situ non semper eodem. Vocalem *ö* formauit *o* in compluribus manuscriptis virgula recta, vel obliqua, inferne notatum; in libris autem typo descriptis punctula, virgulae, vncinuli, arcus, signum angulatum, superne sunt eidem *o*, quandoque et *w* literae, eodem valore adiecta: *ü* vero indicatum est promiscue literis *u*, *v*, et *w*, inscripto superne punctulo, aut vncinulo, vel arcu.

Praeterea et longae vocales quaedam, quas delicatior linguae indoles suasit cumprimis discernendas, accentuum vsu nondum inualescente, signo

aeque peculiari distingui coeperunt: *a* longum transuersa lineola superne adiecta (ā); *e* acutum vnci-nulo inferne adnexo (ę); quod suppleuit saepe et *i* superne arcu exiguo tectum (ī).

D. VSVS CONFVSVS.

Rationes istae, tam pulchre distinctae, licet vltro suaserint et vsum distinctum; saepe tamen nimium confusae sunt ab vno eodemque Scriptore, vtramque rationem temere permiscente.

Combinata nihilominus ratio frequentius adhibita est, vtcunque pura, et satis expedita; saepe vero et intricatior comparet.

Signorum vsu constanti, omni combinatione exclusa, maxime distinguitur vnicum, quod scire possumus, monumentum, Codex MS. Translationis Biblicae. Acutum tantum sibilum non habet separatum; quem vbique lenis supplet: vti et densum, rarius recurrentem, asper exprimit. Alter est Ioannes Siluester, qui, in Szigetana Noui Testamenti editione, literas quidem liquescentes constanter signatas adhibuit; sibilantes vero, et vocales peculiares, combinatas.

Difficilem, et fere inanem sumturus est laborem: si quis veterem scribendi rationem, per aetates, minutim, et accuratius discretam dare intendat; quae quando coeperit, et quousque durauerit. Adeo enim varia, et diuersa fuit, vel eodem tempore: vt hominem, hac inuestigatione occupatum, haerere oporteat. Quidquid de ea dici potest, id

quidem ampliores poscit limites, et obseruationes latius factas.

Neque possumus hac maiorum nostrorum inconstantia magnopere offendi: quandoquidem vel nostro aeuo, cui tot suppetunt ad consensionem exploratae rationes, multo grauius redargui meretur plerorumque, vagum, et male pertinax arbitrium.

CAPVT II.

DE PROBABILI COMPENDIO LITERARVM HVNGARICARVM.

Dudum est, quod nostri quidam Scriptores literis combinatis optent alias substitui figura simpliciores. Ephemerides Hungaricae, a Mathia Rath saluberrime coeptae, perennes sunt testes: Clarissimum hunc Virum votum istud iam ante annos viginti publice proposuisse. Non sunt obscura quorundam molimina, seu hoc voto, seu sponte, in effingendo hoc compendio posita. Me quidem ad laborem eundem Viri Optimi voce excitatum fuisse lubens fateor. Quid in eo praestiterim, nunc tandem in lucem profero. In quo rite explicando primum rationes memoro, quae stant pro his literis simplicioribus; deinde exempla repeto, quae in hoc genere conatui nostro iam praeiuerunt; ipsas demum figuras propono, quibus optatum hoc compendium et aliis probabile reddatur.

§. I. RATIONES PRO LITERIS SIMPLICIBVS IN LOCVM COMBINATARVM.

A. VTILE SCRIBENDI COMPENDIVM.

Quare exoptentur literae simpliciores in locum combinatarum, praecipua est ratio scribendi compendium.

Nam combinatae, duabus vtpote literis expressae, et moram adferunt in scribendo, et spatium occupant in papyro.

Quod vtrumque cumulatius fit; si combinatae literae, pro simplicibus positae, recta scribendi ratione geminandae sunt: ex. gr. *kalátstsal*, cum torta; *peretztzel*, cum spira; postpositionis *vel* halitu *v* in radicis consonas abeunte, ex rudi prima compositione, *kalátsval*, *peretzvel*.

De consonis liquescentibus id quidem in more est: vt in geminatione emolliendi signum prioribus bis positis semel adiiciatur, vtrasque emolliens. Sed lex ista habet quiddam imperfecti: quod patet praecipue in consona liquescente, cuius par consona pura sono remotior est, pronunciationemque facile dat non sinceram: ex. gr. *fag-gyú*, pro *fagy-gyú*, sebum. Et certe, vt hoc vitent, vel hi, qui ista in liquescentibus factitant, combinationem tamen acute sibilantem in geminatione truncare non solent, sed vtramque integre exprimunt: ex. gr. *aſz-ſzony*, mulier, *meſz-ſze*, procul, longe; non vero *as-ſzony*, non *mes-ſze*. Habent nimirum hic exemplum, quod poscat duas sibilantes consonas, continenter positas, sono diuerso exprimendas, *más-*

ſzor, alia vice. Iam, si quaedam combinatae geminantur, vt in sibilantium exemplis vidimus, tam in istis, quam in illis superioribus cum affixione postpositionum: geminandae sunt et reliquae, illae nempe liquescentes; vt sit aequabilitas in scribendo. Quo facto certe magis dilatatur scriptio ad meliorem legem exacta.

Sed ista incommoda, quae sunt a literis combinatis, et cumprimis ab earum geminatione, quae saepe solet recurrere, cum insigni compendio tollerent literae simpliciores combinatis substitutae.

B. QVARVNDAM DIFFICVLTATVM SVBLATIO.

Facilior fieret porro et exteris nostras literas distinguendi ratio. Viderent enim simplici literae et sonum simplicem esse dandum. Nec illa esset inposterum occasio falsae pronunciationis; quae modo tam frequens auditur, combinatis literis separatim expressis; ex. gr. *na-gy*, magnus; *a-ny-a*, mater; litera *y* pro *i* sumta, ac si ita essent scripta, *na-gi*, *a-ni-a*; deinde *kát-sa*, anas, pro *ká-tsa*.

In prosodia porro nostra, Graecae, et Latinae rationi accommodata, quod praeceptione satis quidem inculcatur, figuris tamen simplicibus eo esset euidentius; multas vocales breues esse ante consonas soni peculiaris, quas combinatione exprimimus, sed pro simplicibus habemus; ex. gr. *a-tzél*, chalybs; *mo-tsár*, palus, lama; *a-ſzály*, siccitas, aridum; *mo-zsár*, mortarium, sagana.

§. II. EXEMPLA PRO LITERIS SIMPLICIBVS.

A. EXEMPLA DOMESTICA.

Qui hodie literas simpliciores pro combinatis suadent; earumque figuras peculiares effingere tentant: eo etiam nomine mitius sunt habendi; quod, suo isto conatu, nihil noui, nihil insoliti agant. Supersunt enim exempla veterum quam plurima, tam in manuscriptis, quam etiam libris aliis prelo expressis: quae clare docent et hoc compendium genti nostrae iam dudum curae fuisse. Productae sunt loco suo veterum literae signatae. Hae annis fere ducentis vigebant, vsu quidem promiscuo cum literis combinatis, inconstante scribendi ratione. Antiquissimae videntur esse, quas exhibet Codex MS. Translationis Biblicae, circiter annum 1430 exaratus.

B. EXEMPLA EXTERORVM.

Morem hunc a vicinis Bohemis, et Polonis, acceptum esse vltro patet: apud quos hodieque superest, cum insigni compendio. Et linguae communis vsu Bohemica signatio apud Slauos quoque nostros dudum inualuit. Producta sunt horum exempla, pro re nata, in exposita literarum nostrarum potestate.

Neque Galli abhorrent *c* consonam suam vncinulo notare, ç: vt ea, sibilum ante vocales tenues sibi tributum, eundem retineat ante vocales etiam crassas: ex. gr. *façon*, modus, ratio; *rançon*, pretium liberationis; quae vncinuli admonitu acute sibilantia proferuntur, *faſzon*, *ranſzon*.

Arabes literarum figuris iisdem, ad edendum sonum diuersum, aeque signa inscribunt, eaque constanter punctula, situ vario, et modo simplicia, modo geminata, modo triplicia. Cum etiam linguam ipsam habeamus Arabicae cognatam; tuto possumus pro exemplo memorare et hanc eiusdem gentis consuetudinem signandi literas, prima vtique ipsius linguae elementa.

§. III. FIGVRAE PROBABILES LITERARVM ADIECTIS VNCINVLIS.

Si stat ea mens, vt pro combinatis literis aliae adoptentur simplices, figura peculiari; quas et rationes non contemnendae suadent; et exempla, tam domestica, quam extera, abunde probant: operam non penitus inanem facturi sumus in producendis earum figuris, nostra opinione aptissimis.

A. RATIO VNCINVLOS ADIICIENDI.

Literas easdem, quae sono nostro peculiari vicinae sunt, retinuimus et nos pro fulcro: vncinulos porro ipsis adiecimus, plerisque inferne, quae quidem eos hoc loco apte accipere poterant, idque non sine consilio.

Potuisset enim vetusta signandi ratio, venerandae antiquitatis auctoritate, tuto resumi: huiusmodi signis, seu punctulo, seu virgula, siue vncinulo, superne inscriptis. Sed nos eam propterea neglexim us; locumque vncinulis nostris inferne dedimus: ne scriptura nostra, frequenti, et necessario accentuum vsu, superne satis vtique onerata,

tanto grauior fieret, his quoque vncinulis itidem superne affixis.

Eam praeterea diligentiam adhibuimus in adnectendis his vncinulis: vt literae typicae, dextra artificis manu sculpendae, iis neque deformes redderentur, neque spatium maius caperent, quam ipsae literae nudae, harum sociae.

Vncinulorum situs, quem typica quaeque litera ostendit, sic est porro delectus eo etiam studio: vt, in scriptura currentis calami, literae singulae, signis suis eodem situ acceptis, eodem ductu continuo efformatae, facilem haberent nexum cum aliis, non impedita scribendi celeritate, neque elegantioris scripturae lege turbata.

Exempla literarum in scriptura currentis calami exhibet memorata tabella nostra sui parte inferiore. Typicae vero literae videri possunt parte superiore in columna tertia. Adnectuntur earum exempla plura in fine huius explanationis ante ipsas tabellas.

Vncinatae hae literae nostrae et alio loco productae sunt (*Ant. Lit. Hung. Vol. I.* §. *7.*), adiecta simili tabella aeri incisa, qualis hic visitur.

B. OBSERVATIONES SINGVLARES.

Ad indicandum sibilum tenuem maluissemus et nos nudam literam *c*, nullo signo notatam, deligere, sono destinato: quod quidam iam factitant, et Slaui nostri dudum in vsu habent. Vncinulus quidem superne inscriptus et hoc neglectu rarior

esset. Sed, quia et exteri, et nostrates, nimium adhuc procliues sunt ad variandum huius literae sonum pro ratione vocalium sequentium; ne itaque adhaerescerent in legendo, sonumque ederent, peculiari signo admoniti, omni concursu tenuem: receptum in ceteris literis vncinulum et hic adiicere debuimus. Superne autem adiecimus domestico veterum exemplo: qui hunc omnino sibilum tenuem eadem *c* litera aeque superne signata iam expresserant, nominatim in Codice MS. Translationis Biblicae.

Liquescens consona *gy* sono propior est consonae *d*; quod exempla quaedam mutuae permutationis, suo loco adducta, satis indicarunt. Et Bohemi quidem, Slauique nostri, hanc potius vicinitatem secuti sunt: cum liquescentis consonae nostrae *gy* sonum reuera signato ď exprimant. Idem et nos facere poteramus. Sed tutum non erat recedere a consuetudine antiquissima: quae liquescentem literam *gy* apud nos perpetuo supparem habuit nudae literae *g*; recte autem etiam propter idem pronunciationis organum.

Figura acuti sibili *ß* iam antiqua est, frequens in ipsis adeo libris typo descriptis. Quidam argutuli hoc signum pro duplici litera esse volunt. Sed, si arbitrio nostro combinatio *ſz*, licet ex duabus consonis diuersis coalescens, tamen pro simplici est litera: cur figuram *ß*, huius combinationis vicariam, in eius locum substitutam, non aeque simplicem esse patiamur?

In peculiaribus nostris vocalibus, oris rotundi, quando longae sunt, retinemus morem iam receptum: vt inter duo punctula accentus acutus, signum producendae vocalis, interseratur, ö́, ǘ.

Quidam hodie magno conatu hanc obtrudunt legem: vt breues hae vocales duobus punctulis notatae, ö, ü, quando longae sunt, pro punctulis totidem accentus accipiant, ő, ű. Molestus ipsis labor est duo punctula formare, cum intermedio accentu: vix vllam praeterea addunt rationem.

In his vocalibus, ö, et ü, punctula superscripta sunt signa soni peculiaris. Hac figura sunt istae breues adhuc vocales. Accentus acutus, signum soni producendi, reliquis vocalibus breuibus cum vnicus inscribatur, vt longae sint; cur et in istis peculiaribus non eadem seruetur aequabilitas? Tantine est leuissimi laboris fuga, ista quorundam in scribendo pigritia? Et si ipsi propterea sic scribunt: nolint sua caussa et typum deformari. Literarum enim collectoribus in typographia idem labor est, pariter facilis, fusas semel literas, et nostras, ö́, et ǘ, et illas alteras ő, et ű, in seriem collocare.

Signatae istae literae a nobis non obtruduntur, sed proponuntur tantum, eorum cumprimis gratia: qui, harum curiositate abducti, inter complura similium exempla, ipsis nondum plene probata, alias exoptant figuras aptiores, et concinniores. Tales conati sumus effingere, quantum per nos licuit, pro vsu vtroque, pro typo nempe, et scriptura currente, exacta in vtroque literarum consensione.

Subiungimus demum opinionem nostram de iis; qui simplices quasdam literas pro combinatis, ex. gr. *c* pro *tz*, et *ź* pro *zs*, scriptis suis inserere inceptant: hanc nobis rationem probari non posse. Nos enim in scribendo aequabilitatis tenaces esse oportet. Si aliquas istas literas pro combinatis compendii caussa adhibemus; iam necessum est eiusdem compendii studio et pro reliquis combinatis aeque simplices adhibere. Si hoc facere non possumus, ob defectum literarum simplicium, signis in hunc vsum distinctarum: praestat vbique solis combinatis vti, exceptis vocalibus; quae, sono peculiares, etiam figura simplices, vsu longo iam inualuerunt. Variatio simplicium, et combinatarum, in eadem scriptura magis offendit, quam simplicium vsus perpetuus. Hoc enim consilii esse vltro patet, vt scribendi compendium faciamus aequabile; illud vero, in pauculis apicibus, leuem singularis studii affectationem indicat.

LITERAE HVNGARICAE PECVLIARES DATIS IN TYPO EXEMPLIS.

Čomb, Çat, Ģöng̃, Ļuk, Ņár, Ţúk, Şem, Ƶeb.

Čomb, Çat, Ģöng̃, Ļuk, Ņár, Ţúk, Şem, Ƶeb.

čafrang, derče, ketreč; çap, feçke, papuç; g̃om, ag̃ag, fag̃; ļuk, háļog, nadáļ; ņárs, aņa, ártáņ; ţúk, aţa, ponţ; ßag, veßßö, viaß; ƶenge, moƶár, roƶ.

čafrang, derče, ketreč; çap, feçke, papuç; ǵom, aǵag, faǵ; ḽuk, háḽog, nadáḽ; ɳárs, aɳa, ártáɳ; ţúk, aţa, ponţ; ßag, veßßő, viaß; ʐenge, moʐár, roʐ.

EǴ ADAKOZÓ KEǴES ÚRHOZ.

Úǵ vaǵon, ninçen böçe a' rakásra
Ǵüjtetett kinçnek, ha penéßre tartják:
Jár ǵalázattal neve ő ʐugorgó
  Şeŋŋes urának.

Jól teßed, Jámbor! ha magadnak engedß;
Másnak is juttatß jövedelmeidből,
'S hajladó ßívvel köŋörülß ŋavaḽgó
  Árva ßegéŋen.

Çak kövesd, a' mint ßületésed ébreßt,
Lelked intését; 's örömöddel a' ßív
Édesen teljék: örömöd valóban
  Meŋŋei érzés.

Fel derült képén ha vigaßtalását
Jobbod irgalmán fel üdült ßegéŋnek
Láthatod; vídúl neked is mosoḽgóbb
  Féŋŋel az arčád.

Harmatos kertben az araŋ nap oḽḽ ßép;
Kit tavaß regjén ǵöŋörü tüzével
Mindenik ǵönǵ çep reŋegő ßeméről
  Vißßa raǵogtaţ.

Híred is terjed: sok ajak sok áldást
Mond reád, 's boldog napokat, ßerençét;
'S e' között kíván nemes érdemednek
Püspöki Széket.

Én is e' ßámban jövök énekemmel,
Édes érzéssel kobozom magaßtal:
A' keges Şívnek mivel áldozattal
Tartozom én is.

EĢ MEG SEBESEDETT VEZÉRRÖL.

Hallod! mi Hösnek vére fol a' mezőn
Ott a' çatázó ütközetek között?
Şebb tőle a' föld, mert diçekßik
Aßßoņodért el esett Vitézzel.

Függő kereßtek, s' çillagok! itt alább
Şálltok: mivel ßebb a' sebesült Vezér
Kard vágta arcával, vag ónnal
Meg töretett beteg oldalakkal.

A' ŞÉPSÉGNEK, MINT RÓZÁNAK, RÖVID A' VIRÁGZÁSA.

Ne bízd el magadat arcád ßépségében;
Mert ninç állandóság rövid épségében.
Reggel rózát láttam; 's mikor alkaņodott,
A' már virág nem volt, tövissé ßáradott.

TABVLA I.

LITERAE HVNGARICAE PECVLIARES.

Hodierni usus.		*Olim exprimebantur varie.*	*Adoptari possent.*
TZ,	tz.	c, ċ, ć, ć, ch, chi, chy, cz.	Č č, *Č č.*
TS,	ts.	c, ſ, ſc, ı, h, ch, chi, chy, th, cz, cs.	Ç ç, *Ç ç.*
GY,	gy.	g, ġ, ģ, ġ, ǵ, dj, gi, gy.	Ģ ģ, *Ģ ģ.*
LY,	ly.	l, ł, ľ, l', l̈, li, lj, ly.	Ļ ļ, *Ļ ļ.*
NY,	ny.	n, ṅ, ń, ṅ, n̈, ni, nj, ny.	Ņ ņ, *Ņ ņ.*
TY,	ty.	t, ṫ, ť, ť, ẗ, ti, tj, ty.	Ţ ţ, *Ţ ţ.*
SZ,	ſz.	z, ſ, ſc, ſz, ſ;, ž, ß.	Ş ß, *Ş ß.*
ZS,	żs.	ſ, s, ż, ź, ż, ẑ, 's, s', zs.	Ȥ ȥ, *Ȥ ȥ.*
Ö,	ö.	e, i, o, u, v, w, ọ, ọ, ọ, ó, ó, ô, ô, ő, ȯ, ẃ, ẉ, ẇ, ẅ, eo, eu, ev, ew, eiv, evv, oe, œ, ẅ, eő, o̊, ö, eö, ö.	*Hic valeat usus hodiernus etiam in acutis*
Ü,	ü.	i, u, v, y, u̇, v̇, ẇ, ẅ, eu, ew, iv, eű, ů, v̊, ü, ü.	Ő ő Ű ű

Adoptatae, in Scriptura currentis calami sic possent, et celeriter, et eleganter, ad regulas Caligraphiae efformari.

Č č, Ç ç, Ģ ģ, Ļ ļ, Ņ ņ, Ţ ţ, Ş ß, Ȥ ȥ.

Čomb, Çat, Ģönģ, Ļuk, Ņár, Ţuk, Şem, Ȥeb.


čafrang, derče, ketreč; çap, feçke, papuç; ģom, aģag, faģ; ļuk, háļog, nadáļ; ņárs, aņa, ártáņ; ţúk, aţa, ponţ; ßag, veßßő, viaß; ȥenge, moȥár, roȥ.

TABVLA II.
ALPHABETUM HVNNO-SCYTHICVM, SICVLICVM.

Belianum. Aliorum. Belianum. Aliorum.



Abbreviationes.



Karacs metsz. Pesten.

GRAMMATICAE HVNGARICAE

PARS SECVNDA.

PROSODIA.

Prosodia, tonorum moderatrix, est doctrina de accentu, seu tono recto, in pronunciatione vocibus dando.

Ingrata esset pronunciatio, si voces, earumque syllabae, soni moderatione aequabili, singulae pariter tarde, vel celeriter, pariterque intense, vel remisse, proferrentur. Iam ipsa natura indidit linguis omnibus gratam soni alternationem: vt in vocibus syllabae, et in oratione voces quaedam, elate, vel demisse efferrentur.

Sublatio soni tonus dicitur, vel accentus. Sed quidam distinguunt accentum, et toni signum esse volunt. Ipse porro tonus duplex est: alter vocis, alter tonus orationis. Et ista in linguis quidem aliis ita passim exponuntur.

In nostra vero lingua tonum vocis vulgo accentum dicunt, toni signum; quo syllabae indicantur longae, seu productae; vt syllabae eo carentes breues sint, nisi moram accipiant positione. Hoc ad harmoniam pertinet, in syllabarum quantitate positam, vt est Latinorum prosodia. Tonus autem

orationis ad energiam refertur: qua voces in dictione viuace attolluntur aliae, aliae deprimuntur.

His expositis vltro datur nostrae prosodiae partitio. Est ea duplex: altera de syllabarum quantitate; altera de orationis tono. Vtraque paucissimis absoluitur: vt hanc Grammaticae partem habeamus omnium breuissimam.

§. I. DE SYLLABARVM QVANTITATE.

A. LEGES GENERALES.

Vocum modulatio, a syllabarum quantitate petita, singularis est in lingua nostra, et adeo delicata: vt iis perperam pronunciatis aures pure Hungaricae illico offendantur.

Sunt nempe syllabae aliae natura, vel concretione, aut propter incrementum, longae, sono producto: quae consilio saluberrimo, ad vitandas aberrationes, in scriptione iam dudum accentu notantur acuto.

Fiunt aliae, vt de Latinis traditur, positione longae: ipsis vocalibus non productis, sed consonantium concursu sonantiore mora illis allata.

Sunt vocales aliae breues, et continuae, et intermixtis consonis simplicibus, ad differentiam a syllabis productis nullo signo notatae.

Lingua nostra, hac syllabarum quantitate mire temperata, aptissima est ad omnes versuum modulationes Graecas, et Latinas. Dudum obseruarunt hoc nostrates: et periculum in simili versuum ratione iam Siluester fecit, anno 1541. No-

stra vero aetate suscitatum hoc studium praeclare distinet complura excellentia ingenia.

Cura itaque subiit plerosque exactae prosodiae: vt in huius generis versibus perfecta esset omnium consensio. Optantur leges singulares, separatae; sed quas ego, meo quidem iudicio, non puto necessarias; cum abunde sufficiant generales, paulo ante expositae.

Nam breues, et longae syllabae, vltro discuntur vsu. Quae longae fiunt vocalium concretione, acceptisque incrementis, vel consonantium concursu; in etymologia, loco vtique proprio, vbertim explanantur. Vt adeo et has prosodiae leges iam in numerato habeat, quisquis etymologiae rationes omnes probe nouerit. Quae est inter nostros de prosodia dissensio: ea ab etymologia venit, vel neglecta, vel non consentiente studio peruestigata.

B. OBSERVATIONES SINGVLARES.

Disceptatur de halitu *h*. Hunc ego in lingua nostra densiorem doceo halitu etiam aspero, proque consonante habeo, non vero pro leni adspiratione, vt solet in lingua Latina adhiberi. Praeiuit mihi Siluester antiquo exemplo, quod cumulatum est vel in vnico eius versiculo:

Kit haġa, hoġ halgas, kit haġa, hoġ te kôues.

Alii, quod bona eorum pace dictum esse volo, videntur mihi ipsi secum pugnare. In verbis potentialibus, *adhat*, *verhet*, dare potest, percutere potest, sentiunt illi halitus *h* sonum densio-

rem: vt, eo ad consonam accedente, priori vocali, sicuti in consonantium concursu fieri solet, mora addatur. At in vocibus separatis, ex. gr. *mérges halál*, virulenta mors, principio vocum volunt eundem lenem esse, pro simplicissima adspiratione adhibendum. Bonae nihilominus aures eum vtrobique modo eodem sonare percipiunt. Cur non lubet aequabilem esse vsu vtroque?

In eo praeterea differimus a Latina ratione: quod vocalium elisionem in versibus nullam habeamus; nisi quam et sermo vulgaris admittit in vocibus admodum paucis, ex. gr. *gazd' aſzſzony*, oeconoma, *hál' adás*, gratiarum actio, pro *gazda aſzſzony*, *hálá adás*.

Quidam poscunt indulgentius concedi: vt voculae monosyllabae, vocali terminatae, omnino breues, ex. gr. *ha*, *de*, *te*, *ki*, *mi*, si, sed, tu, quis, qui, quid, promiscue etiam pro longis sumi possint. Nos eo non facile inclinamus: quia carmina nostra, ad omnem gratiam, omnimode tersa, et fluida esse cupimus.

Ad etymologiam pertinent, suoque loco prolixius docebuntur, pronomina demonstratiua apocopata, *a'*, *e'*, ille, iste, positione tacita, esse reuera per moram longa: quae proinde pro breuibus, quod passim fit, porperam sumi cursim indicamus.

§. II. DE ORATIONIS TONO.

A. LEX GENERALIS VNICA.

Quemadmodum in vocibus non eundem habent tonum syllabae singulae: ita etiam voces in

oratione non omnes eadem proferuntur soni elatione. Sed discrimen est inter tonum vocis, et tonum orationis. Nam tonus vocis, seu quantitas, certarum est syllabarum: orationis vero tonus non inhaeret certis vocibus; sed pendet, a scopo, et nexu dictionis. Is, qui loquitur, potest pro lubitu tonum indere voci cuique; ad quam vult cumprimis excitatam esse audientium attentionem.

Lex de eo generalis haec vnica dari potest: tonus orationis illic intendatur, vbi dictionis vis, et maior significatio, exerenda est.

B. LEGES SINGVLARES.

Per tonum orationis exprimimus et animi motus varios: de quo iam singulares sunt leges.

Dum interrogamus, attollimus tonum in fine sententiae. In exclamationibus vero elatam in principio vocem in fine demittimus. Vbi sensus sunt mites, et teneri, voce vtimur lenta, sedata, et amabili. In affectibus autem vehementioribus vocem adhibemus celerem, concitatam, et intensam.

A tono, ipsis rebus conuenienter accommodato, mira est sermonis et gratia, et claritas.

GRAMMATICAE HVNGARICAE PARS TERTIA.

ORTHOGRAPHIA.

Orthographia, ad verbum recta scriptio, est doctrina de vocibus recte scribendis.

In nulla fere lingua ita vaga est scribendi ratio, vt in nostra. Adeo non adhuc conuenit inter nos, vel hac aetate tam culta, de orthographiae principiis. Ego alia, nec sequi, nec suadere possum; quam quae recta esse iam dudum intime sum persuasus.

Ante omnia haec ergo principia clare depromam, et rationibus firmare conabor. Pauca addam postea de regulis singularibus. Adiiciam demum, ad complementum, notas orthographicas.

CAPVT I.

DE PRINCIPIIS ORTHOGRAPHIAE.

§. I. PRINCIPIORVM CONSPECTVS.

Orthographiae principium primum, et certissimum, est etymologia; quae tamen non omnem euphoniam negligat, communi consensione firmatam, ad vitandum sonum omnino durum, et ingratum.

Vbi etymologia deficit, qui casus in nostra quidem lingua rarior est, in vocibus tantúm primitiuis, alterum succurrit orthographiae principium recta consuetudo.

Veterum Monumenta MSS. et Libri typo descripti, quia mirum in modum variant, orthographiam directe docere non possunt: recta nihilominus scrutatione adhibita, copiose ostendunt vetustam consuetudinem; quae etiam etymologicam probet rationem, non solam vulgi pronunciationem genuinam, contra tumultuosos orthographiae arbitros.

Vulgi pronunciatio, quia vaga, et vitiosa est, vt passim experimur, pro orthographiae principio, quod vtique, fixum, et sincerum esse debet, haberi non potest.

§. II. PRINCIPIORVM PROBATIO, ET EXPLANATIO.

A. DISSENSIONIS OBIECTVM PRAECIPVVM.

Orthographiam, etymologicis rationibus subnixam, quidam hodie acerbius impugnant. Hi plerique et ipsi antea meliora sunt secuti; sed postea cuiusdam fastuosi stentòris voce male seducti, turpiterque corrupti, iam dicto inter se sacramento, immoderate grassantur in alios sanioris consilii viros.

Sunt vero quam maxime infensi literae *j*, quam nos in vsu affixo, et concretam antiqui pronominis *jö* particulam, et imperatiui formatiuam, tam scribendo, quam pronunciando, integram reti-

nemus post has etiam consonantes *d*, *l*, *n*, *t*, et *gy*: ex. gr. *adja*, dat, et det; *hadja*, exercitus eius; *mondja*, dicit, et dicat; *gondja*, cura eius: *falja*, glutit, et glutiat; *tśodálja*, miratur, et miretur: *vonja*, trahit, et trahat; *kívánja*, cupit, et cupiat; *kínja*, cruciatus eius: *mutatja*, ostendit; *rontja*, destruit; *falatja*, bolus eius: *hagyja*, relinquit, et relinquat; *nagyja*, magnum eius. Illi contra hoc *j* corrumpi, et exempla eadem ita scribi iubent: *adgya*, *hadgya*, *mondgya*, *gondgya*; *fallya*, *tśodállya*; *vonnya*, *kívánnya*, *kínnya*; *mutattya*, *ronttya*, *falattya*; *hagygya*, *nagygya*.

Dicunt enim orthographiae principium esse pronunciationem. Scriptionem proinde talem esse debere, qualis est pronunciatio. Audent etiam antiquitatis interponere auctoritatem. Tsétsium primum nouatorem accusant: qui legem recentius tulerit, sine vllo grauiore consilio, tantum propter scribendi compendium. Pronunciationem praeterea nostram, si talem edimus, qualis est ipsa scriptio, aiunt vitiosam esse, et prorsus horrificam auditu. Si vero in pronunciando vulgi morem sequimur, vocibus nostris aliter scriptis, perperam agere arguimur: quod recta ratio suadeat literas, quo fine inuentae sunt, adhibendas esse ad sonum quemque genuine exprimendum.

B. ARGVMENTORVM REFVTATIO.

1. ADVERSARII IPSI SECVM PVGNANT.

Sed pronunciationem in multis vocibus vagam esse vltro agnoscunt vel ipsi aduersarii. Carpunt

vulgi pigritiam, quod loquendi organa remissius adhibeat; et multa ab eo vitiose prolata ipsi emendata scribunt. Non ferunt *hej*, *mej*; non *bódog*, *óma*; nou *ókor*; non *eg ette*, non *ê ment*: Pro his restituunt sincera: *hely*, locus; *melly*, pectus; *boldog*, beatus; *alma*, malum, fructus arboris; *ollykor*, quandoque; *meg ette*, comedit; *el ment*, abiuit.

Longius procedunt. Nam ea etiam, quae loquendi segnitie perperam pronunciata ipsis adeo libris illata sunt, suis quidem scriptis quam plurima ad etymologiam exacta inserunt. Certe ista *atta*, *tutta*; *vattok*, *hattok*; *anna*, *tunna*; *vannak*, *hannak*; deinde *ravasság*, *egésség*; *igasság*, *üdvösség*; sic restituta vsurpant: *adta*, dedit; *tudta*, sciuit; *vagytok*, estis; *hagytok*, relinquitis; *adna*, daret; *tudna*, sciret; *vagynak*, sunt; *hagynak*, relinquunt; sic et alia, *ravaſzság*, astutia; *egéſzség*, integritas, valetudo; *igazság*, iustitia; *üdvözség*, salus.

Si in his vitiosam vulgi pronunciationem non sequuntur: quare non constant suae isti, tam pulchrae, tam doctae curiositati; vt illa etiam altera, eadem scilicet desidia aeque corrupta, pariter emendata exhibeant? Quo malo potest in his solis deficere necessaria perspicacitas? Pertinacia haec recta esse dicuntur: et, qualis est eorum pronunciatio, talis poscitur et scriptio. Quia immoderatius solent ista iactari: refellendi principium sumo a graui aduersariorum vitio, quo se laborare non sentiunt.

Ergo talis esto scriptio, qualis est pronunciatio. Quam doleo clamosos hos arbitros illo hic sensu deficere, cuius vsus est omnino necessarius ad istam pronunciationem, quam adeo commendant, recte percipiendam. Hoc certe, quod scribunt, et scribi volunt, a vulgo non audiunt. Aures sunt arrigendae, si eae integrae sunt. Quis de vulgo sic ista pronunciat: *ad-gya*, *had-gya*, *mond gya*, *gond-gya?* Durum hunc sonum non habet mollior vulgi pronunciatio. Ea quidem genuine haec est: *agy-gya*, *hagy-gya*, *mon-gya*, *gon-gya.* Cur legem a se latam ipsi non seruant? Et, cum ipsi peccant, cur alios, qui meliora sectantur, tam immoderate impetunt?

2. SOLAM RADICEM NON RECTE RETINENT INTEGRAM.

Sed reponunt, radiçem hoc pacto integram se retinere velle, et in his *ad-gya*, *had-gya*, *mond-gya*, *gond-gya;* sicut in illis aliis, horum sociis, *fal-lya*, *tsodál-lya; von-nya*, *ki ván-nya*, *kín-nya; mutat-tya*, *ront-tya*, *falat-tya; hagy-gya*, *nagy-gya.*

At, si radicis tanta est cura, cur non etiam affixi? Cur falso docetur *ja* post *d* abire in *gya*, post *l* in *lya*, post *n* in *nya*, post *t* in *tya?* Vulgi pronunciatio, attentione recte adhibita, certe hoc indicat, quod est iam alibi expositum: organa rite adhibendi segnitie, duas consonas diuersas deflectere in tertiam, vtrisque sic concurrentibus emollito sono vicinam, *dj* in *gy*, *lj* in *ly*, *nj* in *ny*, *tj*

in *ty*, quae compendio possunt et sic exprimi, *ǵ*, *ļ*, *ņ*, *ţ*; ad vtrasque porro compensandas tertiae corruptae geminationem fieri, si hoc tertia praecedens consona non impediat; quo casu duae diuersae simplici tantum sono deflexo eduntur.

Radix itaque, et affixum, vulgi quidem pronunciatione, reuera corrumpitur. Quod clarius percipitur in radicibus *d* litera terminatis: *agy-gya*, *hagy-gya*, *mon-gya*, *gon-gya*, scribendi compendio, *aǵ-ǵa*, *haǵ-ǵa*, *mon-ǵa*, *gon-ǵa*; aliquanto obscurius in aliis, propter maiorem soni vicinitatem inter literas integras, et corruptas: *faly-lya*, *tsodály-lya*, *vony-nya*, *kívány-nya*, *kíny-nya*, *mutaty-tya*, *ron-tya*, *falaty-tya*, literis vero vncinatis *faļ-ļa*, *çodáļ-ļa*, *voņ-ņa*, *kíváņ-ņa*, *kíņ-ņa*, *mutaţ-ţa*, *ron-ţa*, *falaţ-ţa*. In radicibus *gy* litera terminatis, ipsis integris manentibus, consona affixi assimilatur, *hagy-gya*, *nagy-gya*, *haǵ-ǵa*, *naǵ-ǵa*. Minor est haec mutatio, et exemplorum admodum paucorum: illa vero superiora sunt quam copiosissima.

Iam in his, vulgi pronunciatione, cum et radix, et affixum corrumpatur: recta ratio suadet, restituta radice, et affixum esse restituendum.

3. ANTIQVITATEM MALE PROVOCANT.

Hic vero illi antiquitatis arripiunt auctoritatem. Sed immemores sunt, ab eadem antiquitate et alia suppeditari argumenta.

Res ad consuetudinem venit, quam antiquitas triplicem exhibet. Certatur et hodie consuetudine:

partium acri contentione quaeque recta praetenditur: iudice opus est, qui litem dirimat. Sana ratio hunc iudicem, in cuius sententia conquiescamus, prae omnibus poscit etymologiam. De consuetudinibus variantibus ea est recta, quam etymologia probat.

Scripserunt sic antiqui, vt aduersarii scribendum vrgent, sed et illi eodem, quo isti, vitio, quod est supra satis expositum, radice integra, et affixo corrupto.

Exempla adduco radicum *d* consona terminatarum: in quibus discrimen, de quo loquimur, omnino clarum est. Nam radices, reliquis consonis *l*, *n*, *t*, finitae, has passim geminatas vulgi more videntur vtrasque emollire per vnum *y* ipsis adhaerens. Principium facimus a Tinodio: *Mind testét, mind lelkét pestinek mondgyátok* (I. i.): Et corpus, et animam eius bestiam dicitis. *Istent imáddgyatok — hálákat adgyatok* (N. 2.): Deum adoretis — gratias agatis. Cui adiungimus Gallum Anaxium: *Azt mondga, a' mint tiis tudgátok* (c. i): Hoc dicit, vt et vos scitis. Telegdium postea proferimus: *A' mint ük mondgyák* (Part. III. p. 676.): Vt ipsi dicunt. *Meg engedgyük ezt mí is* (Ibid. p. 684.): Concedimus hoc et nos. Non praeterimus Lucam Pétsium: *Ő mondgya* (fol. 47. pag. auers.): Ipse dicit. *Mért pántolódgyunk* (fol. 51. pag. auers.): Quam ob rem rixemur. Addimus et Lépesium: *Gondgya volt* (De Mort. p. 198.): Curae illi fuit. *Tudgyuk* (De Regn. Coel. p. 15.): Scimus. Káldium, Pázmánum, aliosque recentiores, huic scriptioni addictissimos, tantum insinuamus.

Scripserunt iidem, et alii, multo antiquiores, et successu temporis multo frequentiores, ipsam vulgi pronunciationem fideliter secuti, et hac sal-

tem parte laudabiliores, corrupta nempe et radice, et affixo.

Vulgi pronunciationem fidelius referunt monumenta MSS. In his prima est antiquissima Funebris Allocutio, quae ista habet: *wimagguc*, *kegiggen*, *oggun*, *ovga;* emollito *gy* certe sic legenda: *vimággúc*, oremus; *kegeggen*, gratiam faciat; *aggon*, det; *ovga*, soluat. Deinde Codex MS. Transl. Bibl. *Midon meg verengüc oket* (Iudith VI. 3.): Cum percusserimus eos. *Te neked ez forbatlatot agga* (Ibid. 17.): Tibi hanc dabit vicissitudinem, retributionem. Vita MS. S. Alexii: *Imágyon Rómáért — agyatok útat:* Oret pro Roma — date viam. Sacri Sermones MSS. *Ezeket mongya bölts Salamon — Algyon meg minket Isten — Agyad nekünk te Idvezéjtödet:* Haec dicit sapiens Salamon — Benedicat nos Deus — Da nobis Salutare tuum. Vita S. Margarethae: *És meg mongya vala a' zolosmát* (pag. 159.): Et recitauit horas canonicas. *Alázatost imágya vala* (pag. 256.): Humiliter adorauit.

Sunt et librorum prelo expressorum Scriptores, iique, quo antiquiores, eo tenaciores pronunciationis vulgaris. Komjáthius quidem, vbi ab etymologia deficit, huic se accommodat: *Ha valaki tí nektek prédikálongya* (Ad Galat. I. 9.): Si quis vobis euangelizauerit. *Az ſzabadságot ne agyátok* (Ibid. v. 13.): Ne libertatem detis. Siluester vero eam vbique fidelissime exprimit: *A' ki látanga* (Epist. I. Ioann. III. 17.): Qui viderit. *Ha valaki azt mondanga* (Ibid. IV. 20.): Si quis dixerit. *Tuggatok, eg galkosnak sincsen örök élete* (Ibid. III. 15.): Scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam. Pariter et Pestius: *Vonangya* (pag. 197.): Attraxerit. *Ne zúgógyatok* (Ibid.): Nolite murmurare. Cum his conuenit Stephanus Székelyius: *Azt mongiac* (pag. 3.): Hoc dicunt. *Tugiue* (pag. 7.): Scimus. *Maragion* (pag. 142.): Maneat,

Etiam Michael Libetzius in Epigrammate de Székelyio: *Olvasanga*, Legerit; *Az szónac mógga*, Dictionis modus.

Non pauci sunt, qui vsu inconstante vtramque rationem miscent. Tinodius, supra memoratus, et ista habet: *Sok jót mongyatok* (N. 2.): Multa bona dicite. *Prófétàk mógyokra* (I. 1.): Prophetarum more. De posterioribus noto Gasparum Tasium, qui ista, et similia, *kérgye, mongyák* (pag. 53, et 54.), interrogat, dicunt, secundum vulgi pronunciationem scribit; non item alia, simplici consona terminata, ex. gr. *adgya, tudgya*, dat, scit.

Scripserunt non pauci, aetate remotissima, etiam postea longa temporis serie, omnino ad etymologiam, integra et radice, et affixo.

Funebris Allocutio antiquissima, vt paulo ante vidimus, radices *d* consona terminatas, et affixa iis adnexa, iam corrupta exhibet, pigra vulgi pronunciatione tam mature inualescente. Sed in radicibus *t* consona finitis seruatam ostendit etymologiam: *latiatuc, zocoztia, mulchotia, temetiuc;* quae ita legimus: *látjátok*, videtis; *szakasztja*, rumpit; *múlhatja*, praeterire potest; *temetjük*, sepelimus. Item et alia monumenta mss. Vita S. Alexii: *orchuyat apolgatya*, *y* pro *j* sumto; quod est procul dubio sic restituendum: *ortzáját ápolgatja*, faciem eius disuauiatur. Vita S. Pauli I. Eremitae: *meg mutathya*, more nostro *meg mutatja*, ostendit. Vita S. Margarethae: *halgatya, faraztyatok* (pag. 272, 279.): certe *hallgatja, fárasztjátok*, audit, defatigatis. Vita S. Christinae habet vero radices etiam *d* consona terminatas ad etymologiam exactas: *ezth mondya — imádiad — nem tudya;* more prorsus nostro: *ezt mondja*, hoc dicit; *imádjad*, adores; *nem tudja*, non scit.

Inter Scriptores, ab editis operibus nominatos, Komjáthius (iam anno 1533), vbi vulgum non est secutus,

eutus, vt supra indicauimus, etymologus fuit potius. *Dychekedyem az Jesus Chriſtus altal* (Ad Rom. XV. 17.): *Oth meg vydamulyak (meg nyugodyam) veletek* (Ibid. 32.): *Ne negydeskedyel* (Ibid. XI. 30.). Scriptione hodierna: *Ditsekedjem a' Jezus Kriſztus által*; Habeam gloriam, glorier in Christo Iesu: *Ott meg vídámúljak (meg nyugodjam) veletek*; Ibi refrigerer, conquiescam vobiscum: *Ne negédeskedjél*; Noli altum sapere, superbire.

Heltaius vero multo constantior eam seruat legem (In Chronico Hungarico Claudiopoli edito anno 1575): *Ezt mondiac vala* (fol. 36. pag. auers.): Hoc dicebant. *Mindiárást* (fol. 35.): Illico. *Engedien — viſzſza adia — tudiad* (fol. 35. et 36.): Cedat — reddat — scias.

Stephanus Katona Gelejensis edidit (Albae Juliae anno 1645) Grammaticae Hungaricae Obseruationes: inter quas et nostram hanc legem etymologicam clare docet, ac sollicite inculcat (§. VII, et VIII.). „Mint „*vádolja*, *gondolja*, *bánja*, *ſzánja*, *mutatja*, *oktatja*. „Mellyeket vulgo így ſzoktak írni: *vádollya*, *gondollya*, „*bánnya*, *ſzánnya*, *mutattya*, *oktattya*; de nem igazán; „mert a' thémában tsak egyes consonans vagyon: *vá-* „*dol*, *gondol*, *bán*, *ſzán*, *mutat*, *oktat*. — A' hol mind „azon által a' thémában kettős consonansok vagynak, „ott a' több persónákban is meg kell őket hagyni. Mint „*áll*, *álljon*, *hall*, *hallja*, *ſzóll*, *ſzólljatok*." Sic etiam de radicibus *d* consona finitis. „Mint *adja*, *tudja*, „*mondja*, *imádja* — *adj jó ſzót neki* — *eredj jámbor* — „*védj Úr Isten!*" Exacte seruauit hanc legem, a se defensam, idem Katona in suo etiam Opere, tribus spissis voluminibus edito: *Váltság — Titka*, *Geleji Katona István — által. Váradon.* 1645 — 1647 — 1649.

Etymologicam rationem sequebatur et Paulus Medgyesius in tribus Funebribus Concionibus: *Erdély*, *'s egéſz Magyar Nép Hármas Jajja — Váradon*, 1653.

Exempla de iis desumta sunt sequentia: *kezdjem* (pag. 5.), incipiam; *azt mondja* (pag. 6.), hoc dicit; *mindjárt* (pag. 10.), illico; *jól tudjuk* (pag. 30.), bene scimus; *azért adják* (pag. 51.), propterea dant; *meg verék hadjokat* (pag. 6.), profligarunt exercitum eorum; *fel vehetjük* (pag. 7.), assumere possumus: *siratjuk* (pag. 53.), deflemus: *életnek illatja* (pag. 7.), vitae odor; *nemzetünk állapotja* (pag. 59.), gentis nostrae status; *plántáljon*, *fundáljon* (pag. 58.), plantet, fundet; *ſzánja meg az Isten* (pag. 55.), Deus misereatur eius.

Tanto vsu, et tot exemplis praeeuntibus, Ioannes Tsétsius, cum Samuele Kaposio, adscitus Socius Nicolao Tótfalusio, in Hollandia Bibliorum editione óccupato, redux in Patriam, *confectas in hoc triumuiratu Obseruationes Orthographico-Grammaticas in ordinem redegit, auxit, illustrauit, ac quinquies intra viginti tres annos Auditoribus cum fructu praelegit.* Lubens prosequor verba reliqua Praefatiunculae his Obseruationibus praemissae. *Cum vero Lexicon Pápaianum Leutschoviae imprimeretur* (anno 1708), *Typographus industrius aeque, ac eruditus, vidit, adamauit, publicationem Auctori obtulit; qui lubens laetusque eidem accommodauit, ac talem Praefatiunculam praemisit:* „*Volens praeposterae vocum Hungaricarum Scriptioni,* „*Lectioni, et Constructioni quadamtenus mederi, pla-* „*cuit has Obseruationes, post amplam aliorum Mes-* „*sem, quasi Spicilegium in gratiam eorum, qui mihi* „*operam dant, exhibere.*“ *Atque ita optimum scribendi modum in Lingua Hungarica stabiliuit.*

Triplicis consuetudinis pauca hic exempla, sed opinione nostra ad probationem sufficientia, interseruimus. Copiosissima exhibet, ex omni aetate superiore, vel remotissima, pulchro ordine collecta, indicato quorundam vsu etiam promiscuo, Excellens Hun-

garici nostri Collegii Cultor, quem ad solatium nostrum, cum merita eius laude, lubenter memoramus', Stephanus Horváth, AA. LL. et Philosophiae Doctor, Iurisprudentiae in annum primum Auditor, in Obseruationibus suis de eodem hoc Argumento, sermone patrio, diligenter, et erudite conscriptis: *Horváth Istvánnak — Éſzrevételei — Elsö Szakaſz, Pesten,* 1803, in 8.

Hanc antiquitatis consuetudinem non norunt aduersarii: qui Tsétsium primum arguunt insolentem tulisse legem; eique noua ignoratione falsum affingunt huius facti consilium, vt scribendi faceret compendium. Immortale Viri meritum de reducta orthographia atterunt homunciones, nec mentis perspicacitate pares, nec linguae arcanis ita imbuti. Qui eum attente legunt, obseruare debent: non aliud fuisse illi consilium, quam rectam, scribendi, et loquendi rationem, ad etymologiae leges exactam. Pronunciationem quidem, quam hodierni adeo iactant, pro orthographiae principio non eum sumsisse, aperte indicant verba clarissima, iis omnino exemplis adiecta, de quibus disceptamus.

Haec ita scribi docet: *mondja, ſzenteljük, kívánjátok, tartják;* non *mondgya, ſzentellyük, kívánnyátok, tarttyák.* Quibus continuo notulam iungit: *Vitiosam istam scriptionem inuexit sola pronunciatio* (§. II. Reg. XIV.). Deinde *gondja*, cura eius, *akaratja*, voluntas eius; non *gondgya, akarattya. Etiam hanc scriptionem peruersam inuexit pronunciatio* (§. III. Reg. II.).

Quae pronunciatio scriptionem inuehit vitiosam, et peruersam; vltro intelligitur et ipsa, vi-

tiosa, et peruersa esse. Talem autem fieri loquentium segnitie organa rite adhibendi, ad quasque literas genuine exprimendas, iam satis et nos exposuimus, et ipsi aduersarii pariter in istis exemplis, ac in aliis, quae non probant, si aequiores esse velint, vltro fateri debent.

Nostra ergo pronunciatio, par ipsi rectae scriptioni, aeque recta est, probata et veterum vsu. Antiquissima exempla, vt sunt scripta, ita sunt etiam pronunciata: *látjátok*, *temetjük*, *ſzakaſztja*; *vonja*, *kívánja*, *kínja*; *falja*, *tsodálja*; *tudja*, *módja*, *mondja*, *gondja*. Haec, et alia, sic et nos tuto proferimus, et sic proferenda docemus.

Qui istam prouunciationem, ingratam, et auditu horrificam dictitant, fastidio suo saepe immoderatius expresso; eodem id vitio factitant: quo aures, malo fidium concentu adsuefactae, rectum tolerare non possunt. Nostra pronunciatio in his quidem exemplis, *tudja*, *módja*, *mondja*, *gondja*, sono est aperte leniore; quam aduersariorum sit pronunciatio in suis illis, vel vulgi morem excedentibus, formis certe violentioribus: *tud-gya*, *mód-gya*, *mond-gya*, *gond-gya*. Litera *d* cum *j* multo amicius conuenit. Conueniunt cum ea et reliquae *l*, *n*, *t*, etiam sociae liquescentes *ly*, *ny*, *ty*, pariter et *gy*, sono ita facili; vt nulla opus sit corruptione: *falja*, *tsodálja*; *vonja*, *kívánja*, *kínja*; *látjátok*, *temetjük*, *ſzakaſztja*; *anyja*, *atyja*; *nagyja*, *hagyja*.

Horum pronunciationem talem omnino fuisse, qualis erat eorum scriptio; radicum nempe consonis postremis, et *j* affixi litera concreta, sono proprio distincte expressis; vltro quidem persuademur eo primum: quod ea pleraque ita sint olim simpliciter scripta; deinde, quod iam diximus, iis ita prolatis nullus audiatur sonus durus, et impeditus. Sed confirmatiores manemus in hac sententia veterum duplici vsu singulari.

Monuimus hos cumprimis halitus *v*, et *j*, propter soni vicinitatem, inter se fuisse permutabiles. Funebris Allocutio vetustissima habet huius exempla etiam in nominibus: *intotvinec*, *ildetuitvl*. Quae nos ita legimus: *intet-vé-nek*, *üldet-vé-töl*, monito-eius, a-persecutione-eius; vt reuera legi debuerant et olim, vtrisque literis *t*, et *v*, sono proprio distincte pronunciatis. Eadem pronunciatio mansit, procul dubio, et *j* litera in locum *v* substituta: *intet-jé-nek*, *üldet-jé-töl*.

Tanto autem certius hoc est: quod porro litera *j* olim post literas etiam sibilantes diu sono proprio expressa fuerit. In eadem Allocutione Funebri duo sunt huius vsus exempla: *helhezie*, et *ilezie*; recta lectione *helyhezje*, *éleſzje*, collocet, viuificet. Cuiusdam Andreae Vér chirographus, anno 1483 exaratus, habet *másja*, par eius, copia eius. Alia item monumenta mss. his, similibusque sunt referta: *meg oltalmazja*, defendit; *el orozja*, suffuratur; *meg alazja*, humiliat; *meg hozja*, adducet: *el ne veſzjek*, ne peream; *jegezjed meg*, signato; *akaſzjátok fel*, appendite eum; *le terjeſzje magát*, prosternat se (Codex MS. Transl. Bibl. Precum Liber MS. Dicta MSS. S. Bernardi.). Familiaria erant haec et Tinodio: *a' népet ſzidalmazja* (f. 2.), populo obtrectat; *őket meg ajándékozja* (R. 1.), eos munere donat; *tsatákat űzjenek* (H. 7.), praelia committant; *lóhoz keveset bízjatok* (f. 3.), equo parum confidite.

Sed in his euphonia, serius inualescens, assimilationem inuexit, ob nimiam halitus *j* lenitatem, sibilis pronissime cedentem.

C. ETYMOLOGIA NON OMNEM EVPHONIAM NEGLIGIT.

Concursum literarum omnino durum, et asperum, recte emollit euphonia: et hanc, communi vtique consensione firmatam, etymologia non reiicit, sed explicat tantum; quam proinde et orthographia fideliter exprimit.

Iam monuimus huc pertinere cumprimis imperatiuos, huiusmodi concursu difficili, pronunciatione faciliore sibilantes. Deinde notauimus et affixi pronominis *ja*, *je*, assimilationem consonis sibilantibus; minore quidem necessitate, cum id aliquando et integrum diu sit adhibitum; praeualente tamen vsu soni facilioris, ex halituum natura sibilis cedente, iam vniuersim receptam. Pari consuetudine et *v* halitus assimilationem memorauimus, in casu mutatiuo, organico, et sociatiuo, iam dudum stabilitam.

Quare incassum obiiciunt aduersarii: literas, quo fine inuentae sunt, non ita a nobis adhiberi solere. Nos vero sonum quemque, quem etymologia, quem recta euphonia commendat, literis omnino propriis genuine exprimimus. Pronunciationem vitiosam quia probare non possumus: etiam scriptionem, illi accommodatam, iure aequo renuimus.

D. DEFICIENTI ETYMOLOGIAE SVCCVRRIT RECTA CONSVETVDO.

Rariorem diximus in lingua nostra casum illum, vt etymologia deficiat: quod euenire solet in vocibus tantum primitiuis, iisque admodum paucis. Recta tunc consuetudo succurrit, malamque corrigit.

Serpit hodie quorundam pigre loquentium vsus in his vocibus: *hej*, locus; *mej*, pectus; *méj*, profundus; *tengej*, axis; *ojj*, *ojjan*, talis; *mijjen*, qualis; *foj*, fluit; *moj*, tinea. Sed paucorum hanc consuetudinem recentem valide refellit meliorum vsus frequentior, consuetudine firmatus antiqua, diuturna, nunquam a maioribus interrupta. Nam, potiores quidem Scriptores hodierni, et cumprimis antiqui omnes, ita scriptas habent vnanimiter, et constanter, voces easdem: *hely*, *mely*, et *melly*, *mély*, *tengely*, *olly*, *ollyan*, *millyen*, *foly*, *moly*.

Leuicula est illa quorundam argutatio: vt pectus, *mej*, ista scriptione corrupta exprimatur ad differentiam a relatiuo pronomine *melly*, qui, quae, quod. Nam quot essent voces sono similes hac de caussa, si ea staret, corrumpendae, cum ingenti, analogiae, et etymologiae conuulsione? Attenti poscuntur lectores, non mente vagi, quibus scribimus; qui in similibus differentiam norint ex ipso sensu capere.

Eadem haec pigritia in loquendo, pariter inualescens in aliis etiam vocibus, ex. gr. *Mihaj*, *Kiráj*, *Kastéj*, potentius refelli, acriusque redargui potest, iam ipso etymologiae praesidio. Illae enim linguae, de quibus sunt voces istae, habent

eas cum *l* consona, *Michael*, Kral, *Castellum*; et primigenium hunc sonum vel nostrorum vsus melior, licet emollierit, non tamen penitus corrupit, *Mihály*, *Király*, *Kastély*.

CAPVT II.

DE ORTHOGRAPHIAE REGVLIS SINGVLARIBVS.

§. I. REGVLAE DE VOCIBVS SINGVLARIBVS.

De vocibus singularibus orthographiae leges dare singulares, nostra quidem sententia, necessum non est. In his enim pauca pendent a consuetudine, vltro vtique, et facile combibenda: quae consonae in qua voce geminandae, vel simplices ponendae; quae vocales producendae, quae corripiendae. Reliqua autem orthographia, quam latissime protensa, ab etymologia regitur. Qui itaque etymologiae rationes omnes, proprio loco euolutas, perceperit: eadem opera et orthographiae rectam accepturus est cognitionem.

§. II. REGVLAE DE VSV LITERARVM MAIVSCVLARVM.

Quare ad ea transimus, quae tradi solent de vsu literarum in vocum principio maiuscularum: in quo cum Latinis vtcunque conuenimus.

Maiusculo charactere, eoque notabiliore, signantur literae initiales orationis.

In huius porro decursu noua quaeque sententia, vel periodus, post punctum a maiuscula inchoat litera.

Item post signa interrogationis, et exclamationis, si et ea sententiam absoluant. *Nem de nem mindnyájan halandók vagyunk? Még is mi igen kevesen gondolkodnak róla! Emlékezzetek meg a' halandóságról.* Nonne omnes morituri sumus? Sed quam pauci de hoc cogitant! Mementote mortalitatis.

Etiam post dua puncta, quando cuiuspiam verba citantur. *Üdvözítőnk ſzava ez: Szeressed felebarátodat.* Seruatoris nostri vox est: Diliges proximum tuum.

Deinde in carminibus versus quisque, sententia etiam non completa, initialem literam accipit maiusculam.

Iſzom lótus füvön,
És gyenge mirtuson,
Kényemre el terülve.

Teneris superque myrtis,
Super et virente loto,
Recubans bibam lubenter.

Anacreontis Oda IV.

A maiuscula incipiuut litera nomina propria, et adiectiua ab iis deriuata. *Péter*, Petrus; *Leopold*, Leopoldus; *Buda*, *Pest*, *Győr*. Buda, Pestum, Iaurinum; *Budai*, *Pesti*, *Győri*, Budensis, Pestanus, Iaurinensis.

Eandem seruant legem nomina dignitatum, honorum, aut officiorum, tam ciuilium, quam sacrorum, praesertim in stilo curiae. *Felség*, Maiestas; *Felséges Király*, Sacratissimus Rex; *Kegyelmes Fejedelem*, Clementissimus Princeps; *Belső Tanátsos Úr*, Intimus Consiliarius; *Fö Ispán*, Supremus Comes; *Szolga Bíró*, Iudex Nobilium. *Szentséges Atya*, Sanctissimus Pater; *Érsek*, Archiepiscopus; *Püspök*, Episcopus; *Apátúr*, Abbas; *Esperes*, Archidiaconus.

In dedicationibus, supplicibusque libellis, et epistolis, ad principes, et viros primarios, solent et ipsa pronomina, ad eos relata, venerationis caussa, maiusculis literis signari. *Te Felséged*, Tua Maiestas; *Ő Nagysága*, Sua Magnificentiá.

Maiusculis literis scribuntur praeterea nomina scientiarum, et artium; cumprimis vero operum tituli, qui merito pro nominibus propriis habentur. *Böltselkedés*, Philosophia; *Ékesen ſzóllás*, Eloquentia; *Költés*, Poesis; *Nyelv tanítás*, Grammatica; *Kép írás*, Pictura; *Pázmán Kalauza*, Hodoegus Pazmani; *Igazság Paizsa*, Clypeus Iustitiae; *Tavaſzi Virágok*, Flores Verni; *Zsugori*, Euclio.

§. III. REGVLAE DE RECTO LITERARVM VSV.

Literarum vsus rectus esto. Rectus est autem hic vsus, si literae adhibeantur sono cuique destinatae, et propriae.

A. *I*, *Y*, ET *U* VOCALES
CVM CONSONIS *J*, ET *V* NON CONFVNDENDAE.

Olim, quod iam alibi indicauimus, aliqua Latinae scriptionis imitatione, eo cumprimis peccatum est: vt vocales *i*, *y*, et *u*, cum consonis *j*, et *v*, passim confusae fuerint, vsuque promiscuo vtraeque iam vocales, iam consonas valuerint. Haec vitia Katona Gelejensis, et Tsétsius, iam satis mature distinxerunt, et pulchre correxerunt.

Nobis ea est regula: vt signa vocalium *i*, et *u*, ibi perpetuo adhibeantur, vbi hae ipsae sonant vocales; ita et consonarum signa *j*, et *v*, vbi eaedem audiuntur consonae.

Quare *jrok*, *bjró*, *vennj*, perperam sunt scripta pro his, *írok*, *bíró*, *venni*, scribo, iudex, accipere: vicissim et ista, *iárok*, *iámbor*, pro his *járok*, *jámbor*, ambulo, probus.

Non absimili modo vitiosa erat et horum scriptio: *vram*, *vti társ*, *uáros*, *uilág*, *vduar*, *hiuatal*; pro istis, *uram*, domine mi; *úti társ*, viae comes; *város*, ciuitas; *világ*, orbis; *udvar*, aula; *hivatal*, vocatio.

Deinde *y*, cum sit iam signum tantum, emolliendis consonis destinatum, literae valore pro *i* vocali nuspiam esse potest. Quapropter non recte superest adhuc in nominibus propriis ex vetusto vsu vitioso: *Várady*, *Pesty*, *Tolnay*; quae ita sunt restituenda, *Váradi*, *Pesti*, *Tolnái*. Sed in his quaedam pertinacia regnat, propter diplomatum auctoritatem, non grammatica ratione.

Vsu veterum, hodie non probando, sumtum est *y* non modo pro *i* vocali, sed etiam pro *j* consona: *yrok*, *byrok*, *venny*; *yarok*, *yambor*; pro *írok*, *bíró*, *venni*, *járok*, *jámbor*. Et vice versa tam *i*, quam *j*, pro *y* liquescendi signo, promiscue comparuit: *hogi*, et *hogj*; *leáni*, et *leánj*; *atia*, et *atja*; pro *hogy*, *leány*, *atya*, vt, quod, filia, pater.

B. LITERAE GRAECAE, ET LATINAE SVPERFLVAE, NOSTRO MORE EXPRIMENDAE.

Vult Tsétsius idem *y* in vocibus etiam peregrinis, iam vsu Hungaricis, scribi per *i*: *Tirus*, *Siria*, *Babilonia*, etc. ex *Tyrus*, *Syria*, *Babylonia*, etc.

Eo suasore et reliquae literae, Graecis adspiratae, erunt nobis in adoptatis vocibus per puras efferendae: *ch* per *k*, *ph*, per *f*, *th* per *t*, *rh* per *r*. *Kerubim*, *Krisztus*, non *Cherubim*, *Christus*; *Filosofus*, *Efesus*, *Páfus*, non *Philosophus*, *Ephesus*, *Paphus*; *Ródus*, *Rétor*, non *Rhodus*, *Rhetor*; *Tamás*, *Máté*, non *Thamás*, *Máthe*.

Iam mentionem feci de literis Latinis, in lingua nostra superfluis: et harum sonos nostro potius more esse reddendos; quod esset nostrae quidem scriptioni, propter vulgum, multo accommodatius. Sed adieci illico et contrariam eorum, qui eruditiores esse ambiunt, de vtrisque sententiam. Hi vrgent voces, et Graecas, et Latinas, quae praesertim puriores manent in lingua nostra, eadem orthographia propria esse exprimendas.

C. CONSONAE COMBINATAE *CZ*, ET *CS*, ETIAMSI ADMITTANTVR, NON QVOVIS LOCO ADHIBENDAE.

Pro combinatis *tz*, et *ts*, hodie vsu communi receptis, nonnulli resumunt vetusta *cz*, et *cs*. Disceptatio, quae propterea suscitatur, vtra combinandi ratio melior sit, mea quidem opinione, non est magni momenti. Signa sonorum sunt vtique arbitraria. Quod his aequius obiici possit; est temeritas, vel, vt mitius dicam, leuitas recedendi ab vsu communi, et quaedam antiquitatis affectatio. De hoc tamen monendi sunt, qui his potius signis *cz*, et *cs*, oblectantur, ea se non posse vbique recte adhibere; quemadmodum nec vncinata, *č*, et *ç*, si in consuetudinem venirent.

Habent ea locum in vocibus primitiuis: ex. gr. *czél*, *eczet*, *perecz*; *čél*, *ečet*, *pereč*; scopus, acetum, armilla: *csat*, *mocsár*, *kalács*; *çat*, *moçár*, *kaláç*; fibula, palus, torta. Vbi vero hos sibilos edit inflexio, vel deriuatio; vocum etymologia est seruanda.

Quare non possunt valere *teczik*, *láczik*, neque *tečik*, *lačik*, apparet, videtur, sed ita sunt haec scribenda *tet-ſzik*, *lát-ſzik*. Quia radices genuinae sunt *tet*, *lát*: quae increscunt accepto *eſz* verborum formatiuo, vocali congruenter mutata, *tet-öſz-ik*, *lát-oſz-ik*; vti *fek-öſz-ik*, *nyug-oſz-ik*, iacet, quiescit, de radicibus *fek*, et *nyug*; formatiui vero vocali absorpta *tet-ſz-ik*, *lát-ſz-ik*, vti

etiam *fek-ſz-ik*, et *nyug-ſz-ik*. Eadem sunt indole *játſzik*, et *metſzen*, ludit, et scindit, etc.

Vitium haberent et ista: *imácság*, *veſzöcség*, vel *imáçág veßöçég*. Nam horum radices sunt: *imád*, orat; *veſzöd-ik*, conflictatur, resecto *ik* pronomine affixo *veſzöd:* quibus accedit affixum, nominum formatiuum, *ság*, *ség:* et, vtrisque integris manentibus, genuina sunt deriuata, *imád-ság*, *veſzöd-ség*, oratio, conflictatio.

Neque imperatiui recti essent: *roncs*, *kölcs*, vel *ronç*, *kölç*, destrue, impende; *tanícs*, *segícs*, vel *taníç*, *segíç*, doce, iuua. Nam verba ipsa, de quibus sunt hi imperatiui, *t* habent non corruptibile, *ront*, *költ*, *tanít*, *segít:* et *j*, imperatiui formatiuum, iis adnexum, hoc concursu solum sibilat; sincera proinde eorum scriptio ista est, *ront-s*, *költ-s*, *tanít-s*, *segít-s*.

CAPVT III.

DE NOTIS ORTHOGRAPHICIS.

Notas orthographicas, quae vulgo interpunctiones dicuntur, quidam accuratius exponunt, easque propterea triplices esse volunt: alias, quae tonum viuae vocis indicant; alias porro, quae, partes sententiarum, et ipsas sententias secernunt; et alias demum, quae sunt ad perspicuitatem scriptorum in rebus singularibus.

§. I. SIGNA TONVM INDICANTIA.

Tonus, qui hic praecipue intelligitur, est orationis, iam in prosodia memoratus. Huius itaque

signa cumprimis explanamus. Eadem vero fidelia et vocis tonum resumimus, huius quoque signis breuiter expositis.

A. SIGNA TONVM ORATIONIS INDICANTIA.

Signa, quae tonum orationis, seu vocem viuam, affectumque loquentis, indicant, tantum duo sunt: signum interrogationis (?), et signum exclamationis (!).

1. SIGNVM INTERROGATIONIS.

Ponitur signum interrogationis post interrogationem directam, et ad ipsum quidem sententiae finem, vbi vox loquentis notabiliter attollitur. *Ki vagy te?* Quis es tu? *Mi neve az atyádnak?* Quod est nomen Patri tuo? *Hogyan esik, hogy senki sem elégſzik meg sorsával?* Qui fit, vt nemo sorte sua contentus viuat?

Sed quando interrogatio tantum narrando refertur; tum eius signo non opus est. *Nem tudom, mi tévő legyek.* Nescio, quid mihi agendum sit. *Azt kérdette tőlem, hol lakom.* Quaesiuit ex me, vbi habitem.

2. SIGNVM EXCLAMATIONIS.

Adhibetur signum exclamationis post interiectiones: quae motum, et tonum exprimunt affectuum, doloris, laetitiae, admirationis, indignationis, et aliorum: ex. gr. *jaj!* vae! *haj! huj!* io! euohe! *ejnye!* papae! *aha!* ah quam!

Si interiectionibus, voces aliquae, vel sententiae sunt adiunctae; signum interrogationis vulgo his adscribitur. *Jaj nekem ſzegénynek!* Hei misero mihi! Quidam vero interiectiones commate distinguunt, et exclamationis signum sententiis addunt. *O, én ſzerentsétlen ember!* O, me infelicem hominem! *Fájdalom, annyira hasonlottunk el!* Tantum, proh dolor, degenerauimus!

Ponitur praeterea signum exclamationis post quamque sententiam, quae cum vi exprimenda est. *Éljen a' Királyunk!* Viuat Rex noster! *Mi halavány a' ſzíned!* Quam pallido es colore!

Exclamatio habet quandoque interrogationis speciem: quo tamen casu exclamationis, non interrogationis, signo vtimur. *Mi tsendesen folyna az embereknek életök: ha kiki, az igazságot, és az egyességet ſzeretné!* Quam tranquille decurreret vita hominum: si quisque, iustitiam, et concordiam diligeret!

In pronuncianda sententia, signo exclamationis notata, voces priores proferuntur sono elato, et vehementiore; posteriores vero remisso, ac debiliore.

B. SIGNA TONVM VOCIS INDICANTIA.

Tonus vocis, seu accentus, cum vulgo triplex doceatur, acutus, grauis, et circumflexus; totidem dantur et signa, hos sonos indicantia.

1. ACCENTVS

1. ACCENTVS ACVTVS.

Accentus acutus, qui syllabam pronunciandam attollit, atque vna, in nostra certe lingua, producit etiam, pro signo habet virgulam obliquam, dextrorsum inclinatam (′): ex. gr. *vám*, telonium; *vég*, finis; *hìd*, pons; *ló*, equus; *bú*, moeror; *kö*, lapis; *mü*, opus, opificium.

Hoc signum vnicum est hodie, quod de accentibus fidelissime obseruatur, ad toni, seu longae syllabae, aberrationes tanto certius vitandas; quod breues nullo prorsus signo notare soleamus.

2. ACCENTVS GRAVIS.

Accentus, qui syllabam deprimit, vulgo grauis audit. Huius signo, pro quo est itidem virgula obliqua, sed sinistrorsum inclinata (‵), nos hodie non vtimur. Vbi olim a nonnullis adhibitus est, ex. gr. in pronominibus demonstratiuis apocopatis, *à*, *è*, ille, iste, nos hodie ratione meliore apostrophum vsurpamus, *a'*, *e'*, ad indicandam literae *z* absentiam.

3. ACCENTVS CIRCVMFLEXVS.

Accentus circumflexus, cum quadam mora proferendus, pro nota habet duas obliquas virgulas in apice coalescentes, instar tectuli (^). Cuius vsus rarissimus est ad indicandum vocalis *e* sonum obtuse productum, ad differentiam a sono acuto: quando ea vel ex duabus concrescit, ex. gr. *êndöl*, comederis, ex *eendöl*; vel literam vitiose omissam mora sua compensat, ex. gr. *ê ment*, abiit, pro *elment*.

M

Signa quantitatum, quas habent syllabae, in explicanda varia versuum mensura, singularia sunt, huic solum vsui destinata: lineola transuersa, horizontalis (¯) est signum syllabae longae, seu producendae; breuis autem, seu corripiendae, arcus exiguus, semicircularis, cornua sursum curuans (˘); communem vero, vel ancipitem, indicat signum vtrumque, alterum alteri impositum (˘̄).

§. II. SIGNA SECERNENTIA.

Signa, quae partes sententiarum, ac periodorum, et ipsas sententias periodosque secernunt, ac propterea apte secernentia vocari possunt, quatuor numerantur: punctum (.), duo puncta (:), media nota (;), et comma (,).

A. PVNCTVM.

Punctum ponitur in fine periodi, et cuiusque sententiae perfectae: vbi vox notabiliter cadit, et in loquendo, vel legendo longior fit pausa. *Az ö atyja Neokles volt.* Pater eius Neocles fuit. *A' mell'y gyalázat ötet meg nem törte, hanem inkább fel támaſztotta.* Quae contumelia non fregit eum, sed erexit.

B. DVO PVNCTA.

Adhibentur duo puncta praecipue ad distinguendam periodi partem priorem, seu protasim, a posteriore, siue apodosi; indicantque vna pausam aliquanto breuiorem, quam ipsum punctum. *Mivel a' hadnak neméröl ſzóllottam már: most annak nagy voltáról ſzóllok egy keveset.* Quoniam de genere belli dixi: de magnitudine pauca dicam.

Ponuntur praeterea duo puncta (:) quando cuiuspiam verba citantur, vel memorabilis adducitur sententia. *Jerónimus mondása: Az észnek tükörre az artza.* Hieronymi dictum est: Speculum mentis est facies. *Kíméljed egészségedet, és el hitesd magaddal: hogy a' ki derült fő többet tehet egy órában, hogy sem a' beteges napott napestig.* Indulge valetudini tuae, et tibi persuasum habe: sereno capite plus hora vna effici posse, quam aegrotante per solidum diem.

Item quando partitiones fiunt. *Két dolog neveli az ifjúságot: a' tudományok, a' jóságos erkölts.* Duo adolescentiam alunt: studia, et virtus. *Három isteni jóságok vagynak: hit, reménység, és szeretet.* Tres sunt virtutes theologicae: fides, spes, et charitas.

C. MEDIA NOTA.

Media nota, cum pausa breuiore, vsurpatur in periodis ad membra partium inter se distinguenda. *Nekem ugyan olly kellemetes volt ezen munkának el készülése: hogy, nem tsak el törlötte vénségemnek minden bajait; hanem még könnyűvé, és vídámmá, tette vénségemet.* Mihi quidem ita iucunda huius libri conscriptio fuit: vt, non modo omnes absterserit senectutis molestias; sed et effecerit, mollem, et iucundam senectutem.

Deinde in sententiis minoribus de re eadem; sed quae per particulas aduersatiuas separantur. *Szép testében; de sokkal szebb lelkében.* Pulcher est corpore; sed multo pulchrior animo.

In sententiis porro contrariis, sibi oppositis. *Meg egyezéssel az apró dolgok nevekednek; viszsza vonással a' leg nagyobbak is el oszlanak.* Concordia res paruae crescunt; discordia maximae dilabuntur. *A' hálá adó embert a' jó tétemény mindég gyönyörködteti; a' hálálatlant tsak egyszer.* Gratum hominem semper beneficium delectat; ingratum semel.

In sententiis demum accumulatis de re eadem; siue iungantur particulis copulatiuis, seu non. *Hozzá látnak a' prédához. Ezek a' börét nyúzzák; mások darabokra vágják; mások nyársokra húzzak; amazok az üstöket készítik; mások tüzet raknak.* Praedae se accingunt. Hi tergora diripiunt co tis; alii in frusta secant; alii veribus figunt; illi ahena locant; alii flammas ministrant.

D. COMMA.

Comma, quod et virgula dicitur, pausam habet breuissimam, separatque primum sententias minores. *A' választattak Delfusba küldetének, hogy meg kérdenék Apollót.* Delecti Delphos missi sunt, vt consulerent Apollinem. *Ha egeszséges vagy, azt szeretem.* Si vales, bene est.

Deinde incisa, sententiis, et membris interiecta. *Vallyon, úgy mond, téged látlak e itt?* Tene, ait, hic video? *Az egy Pompéjus az, a' ki nem tsak azoknak az embereknek, kik most élnek, az ditsöségöket, hanem a' régiségnek is emlékezetét, jósággal felül haladta.* Vnus Pompeius est, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt,

gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam, virtute superauit.

Praeterea eiusdem sententiae voculas accumulatas. *El ment, meg ſzökött, ki rohant, el ſzaladott.* Abiit, excessit, erupit, euasit. *Ezt az embert te érzés nélkül valónak, némának, ostobának, embertelennek, bárdolatlannak mondanád.* Hunc tu hominem sine sensu, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum diceres.

§. III. SIGNA AD PERSPICVITATEM.

Signa, quae sunt ad perspicuitatem scriptorum in rebus secundariis, notantur sequentia.

A. PARENTHESIS.

Parenthesis, cuius signum efficiunt duo arcus obuersi ( ), vel totidem retinacula aeque obuersa [ ], continet sententiolam dictioni obiter, et per occasionem, interiectam: quae in legendo celerius, et voce debiliore, proferri solet. *A' jó téteménynek viſzontag való meg adásában (ha ugyan hiſzunk Hesiodusnak) követnünk kell a' termékeny ſzántó földeket: a' mellyek sokkal többet hoznak, hogy sem a' mennyit vettek.* In referenda gratia (si modo Hesiodo credimus) debemus imitari agros fertiles; qui multo plus adferunt, quam acceperunt.

B. APOSTROPHVS.

Sequitur apostrophus, cuius nota est commatis figura, superne adiecta voci, cui litera aliqua aufertur. Frequentissimus est in pronominibus demonstratiuis apocopatis, *a', e', ama', ime',* ille,

iste, ad indicandam *z* consonam suppressam: deinde in particula copulatiua, cum est vocali absorpta: ex. gr. *hallam*, *'s tsodálom*, audio, et miror; *eſzem*, *'s iſzom*, edo, et bibo; quae vocali retenta sic dicuntur, *hallom*, *és tsodálom*; *eſzem*, *és iſzom*.

Apostrophus ea inscribitur parte, qua litera tollitur. Perperam adhibetur in medio vocum, ad indicandas contractiones. Falso etiam datiuum absorptum notat in vsu possessionum; quod in syntaxi opportunius doceo.

C. DIVISIONIS, ET CONIVNCTIONIS SIGNVM.

Idem est signum diuisionis, et coniunctionis, lineola transuersa, horizontalis (-), sed nomen accipit diuersum ab vsu.

1. DIVISIO.

Diuisionis signum est, cum adhibetur in vocibus compositis ad seperandas partes componentes: ex. gr. *haj-ſzál*, pilus; *jegy-ruha*, dos; *le-írom*, describo; *el-mondom*, recito.

Hodie haec nota superflua esse putatur, ac propterea a plerisque negligitur; ne typus, et scriptio, eius vsu frequenti deformetur. Sed de eo non satis inter nos conuenit: iunctimne scribendae sint voces compositae, *hajſzál*, *jegyruha*, *leírom*, *elmondom*; an aliquo internallo separatae, *haj ſzál*, *jegy ruha*, *le írom*, *el mondom*. Priorem quidem rationem suadent aliorum gentium exempla: quae

partes componentes constanter iunctas exhibent. Sed nos in vsu simili multum turbat linguae nostrae singularis proprietas, quaedam etiam nostra debilitas.

Primum enim composita verba nostra primam compositionis formam non seruant semper eandem, sed partes componentes, pro varia construendi ratione, frequentissime separantur aliquo interiecto, et priores posterioribus inuerso ordine postponuntur. Sumimus pro exemplis quaedam verba composita: *el feledem*, obliuiscor; *meg teſzem*, perficio; *fel emelem*, attollo; *által viſzem*, transfero; *meg fizetem*, persoluo; *elő adom*, profero, depromo. Horum prima ista forma non manet accedente negandi particula, vel verbo alio; quae partibus componentibus interseri poscunt: *el nem feledem*, non obliuiscar; *meg nem teſzem*, non perficiam; *fel akarod emelni*, vis attollere; *által fogod vinni*, occipies transferre, pro futuro transferes. In imperatiuis peruertitur ordo: *fizesd meg*, persolue; *adjad elő*, profer, deprome. Omitto rationes alias. Haec iungi negant. Quare, vt aequabilitas sit in scribendo, putantur partes componentes nec in forma prima esse iungendae. Eadem haec lex, de ipsis verbis accepta, transfertur postea etiam ad nomina de iis deriuata; vt partes componentes et in his interuallo separentur; *el feledés*, obliuio; *meg tevés*, perfectio, etc.

Porro de compositis nominibus recta est obseruatio: horum plura dici composita aliarum gen-

tium more, quam sint reuera secundum linguae nostrae proprietatem.

Multa enim nomina nominibus iuncta vim habent adiectiui: ex. gr. *szoba leány*, Stubenmädchen, cubicularia puella; *fa ember*, Holzmann, ligneus homo; *hal piatz*, Fischplatz, piscarium forum; *szilva íz*, Pflaumengeschmack, pruneus sapor. Sic denominantur etiam species arborum, et herbarum: *füz fa*, Weidenbaum, salix, saligna arbor; *bolha fü*, Fliegenkraut, persicaria herba.

Deinde nomina composita cum participiis, et actionum substantiuis, proprie sunt accusatiui, vt dici solent, absorpti: *hús evő*, Fleischfresser, carniuorus; *fa vágó*, Holzhacker, lignisector; *föld mivelés*, Feldbau, agricultura; *szám vetés*, Rechnung, numeratio, computatio, arithmetica; *nyelv tanítás*, Sprachlehre, linguae institutio, grammatica: quae et sic efferimus cum accusatiuo expresso, *húst evő*, *fát vágó*, *földet mivelés*, *számot vetés*, *nyelvet tanítás*.

Iam, cum adiectiua, et accusatiui, non soleant cum iis, ad quae referuntur, coniungi; ingentem compositorum hanc seriem imaginariam, sic reductam, recte nos interuallo distinguemus.

Multo itaque pauciora erunt nomina stricte composita, quae nos omnino coniuncta scribemus: ex. gr. *éjfél*, media nox; *éjszak*, septentrio; *atyafi*, cognatus; *hazafi*, patriae filius, ciuis; et reliqua: quae et illi coniuncta scribunt, qui composita alia signo diuisionis separant.

Possemus vero et verba cum particulis coalita, prima compositionis forma, item nomina de his compositis deriuata, pulchro cum compendio, iunctim scribere: *elfeledem*, *megteszem*, etc, *elfeledés*, *megtevés*, etc. Et separationem haberemus tantummodo in disiectione partium componentium. In vtrisque praeeunt nobis exemplo Germani. Habent enim et illi verba composita, non modo prima compositionis forma, sed etiam partibus disiectis, pro varia construendi ratione.

Lenior nos detinet caussa, quae obiectatur: composita iunctim scripta lectu fore impeditiora; quod syllabae non semper vltro possint, praesertim a pueris, et incipientibus, rite separari, altera componente parte a vocali inchoante: ex. gr. *felirom*, adscribo; *megégetem*, comburo, etc. Sed est de separandis syllabis et haec regula: in compositis secernendas esse partes componentes. Qui hanc discunt legem, discant vna eam et exemplis distinguere a lege alia; quae est de consona inter duas vocales ad sequentem reiicienda: *fel-i-rom*, *meg-é-ge-tem* etc. Nulla sentitur molestia in Germanicis, et Latinis huiusmodi compositis: cur tantum in nostris recte distinguendis nos adeo tardos esse patimur?

Vltro fateor, me inuitum, hac vnica de caussa, vt fauerem debilioribus, qui in istis adhaerescunt, composita nostra saltem interuallo separare; posteaquam diuisionis signum statui negligendum esse. Ego vero ad composita nostra, quae distinxi ab imaginariis, iunctim scribenda inclino.

2. CONIVNCTIO.

Iam signum idem tum est coniunctionis: cum vocem in fine lineae non completam indicat, reliqua eius parte in lineam sequentem translata; sed quam cum parte priore coniungendam poscit in legendo.

D. SIGNVM CITATIONIS.

Pro signo citationis adhibentur commata geminata („): quibus notantur verba ex quopiam Scriptore aliquanto prolixius adducta, tam in ipso horum principio, et fine, quam etiam in principio cuiusque lineae; vt haec aliena a reliquis tanto clarius distinguantur. *A' Törvény tudó Pompónius imígyen ſzóll: „ Terméſzettől való köz igazság „ ez, hogy más kárával senki ne gazdagúljon.*" Pomponius Iurisconsultus ita loquitur: „ Natura hoc „ aequum est, neminem cum alterius detrimento „ fieri locupletiorem."

E. SIGNVM PAVSAE, ET OMISSIONIS.

Idem vnumque est signum et pausae, et omissionis, transuersa linea aliquanto longior (—), recentioribus quam maxime vsitatum.

1. PAVSA.

Signum pausae, etiam suspensionis, illud est; quo mora notabilis indicatur interrupti quandoque sermonis: quod fit in affectibus; deinde ante voces, quae, vel cum pondere exprimi debent, vel habent aliquid inexspectati; item post voculam, inceptae quidem, sed mox suppressae sententiae,

Eredj — Maradj — Nem! nem! eredj inkabb. Abi — Mane — Non! non! abi potius. *Ő még holta után is — kegyetlen.* Ille vel mortuus est adhuc —, crudelis. *Tört fogott, mellyének szegezte, és — által nem szúrta magát.* Pugionem rapuit, pectori admouit, et — non se transfixit. *Ő ugyan tudós férfiú; de —* Ille quidem doctus vir est; sed —

2. OMISSIO.

Fit saepe, vt verba aliena, cum adducuntur, mutilentur superfluis, ad propositum non pertinentibus: qui hiatus solent signo omissionis indicari; ne citata ab auctore proprio continenter posita putentur, fidèsque descriptoris in dubium vocetur.

F. SIGNA NOTARVM.

Signa notarum vel stellulae sunt, vel cruculae; sed multo aptiores notae alphabeticae, et numerorum (*), (†), (a), (b), (c), etc. (1), (2), (3), etc. Haec ducunt legentem ad notas varias, claritatis caussa, extra sermonis contextum, loco distincto, plerumque in ima pagina, separatim adiectas.

Si huiusmodi nota vna, alteraue, recurrat in eadem pagina: stellulae, et cruculae valere possunt, altera nota signi geminationem non molestam poscente. Sed notarum numero increscente, ne signa, pariter augenda, maius spatium rapiant, accommodatior est huic vsui series notarum alphabeticarum, vel numerorum.

GRAMMATICAE HVNGARICAE PARS QVARTA.

ETYMOLOGIA.

Etymologia, vocum indagatrix, qua sint illae origine, ac proprietate; eadem et magistra ipsas rite inflectendi, deriuandi, et componendi; tribus istis occupationibus vltro in totidem secernitur partes: in *inflexionem*, *deriuationem*, et *compositionem*.

Inflexio est vocum variatio terminationibus diuersis, ad exprimendam earum in sermone relationem ad voces alias.

Deriuatio est vocum de voce priore deductio per adiectiones varias, quibus originis prima notio in deductis augetur notionibus secundariis.

Compositio est vocum duarum, etiam plurium, separatim claram notionem habentium, coniunctio, cum notione jam duplici, et ampliore.

Et inflexionum terminationes, et deriuationum adiectiones, in lingua nostra generico nomine vocantur *affixa formatiua*: quod vocibus a fine adiectae iisdem formam dent variam, et ad relationem, et ad noua earum genera.

Haec in linguis Europaeis, separata a vocibus, quibus adnexa sunt, vulgo dicuntur nullam habere significationem, et sumta esse a linguae auctoribus tantum ad arbitrium.

Qua opinione imbuti plerique eadem dictitant etiam de linguae nostrae affixis. Ignoratione arcanorum, quae recondita habet lingua nostra, quid mirum est sic istos errare?

Nostra enimuero affixa omnia, etiam separata, significantia sunt: voces vtpote olim verae in lingua primigenia.

Admirando consilio, non temere, sunt illa a primis linguae auctoribus adhibita, significatione accommoda ad indicandas vocum, quibus coniuncta sunt, et relationes, et auctas notiones secundarias. Ea euoluta, et genuinis significationibus expressa, circumscriptionum apparatu, concinno nihilominus compendio, sermonis nostri emphasim, et excellentem genium, reuera orientalem, pulchre, et eximie loquuntur.

Praereptum huius rei exemplum de pluribus sit hoc vnicum ad aliquam claritatem: *Szer-et-em aty-ám-at;* Amo patrem meum. In hac enunciatione voces primariae, et afformantes, singulae genuine expressae, istae sunt: *ardor (amor)*, *facit*, *ego*, *pater*, *ego*, *obiectum*. Hae, ista collocatione ad statum construetum positae, circumscriptionem continent, sed contractione in lingua quidem nostra mire concinnam, et emphaticam: *ardorem (amorem) facio ego patris mei obiecto.*

Do ego ista affixa nostra pleraque locis suis elucidata; quantum hactenus in iis euoluendis proficere potui. Iam dudum video diligens studium in his ponendum esse. Sic enim poterit Grammatica nostra legibus tandem certioribus figi: si affixa nostra, totius Grammaticae negotium praecipuum, penitius nota fuerint; non modo quae ea sint, sed etiam quid ea proprie significent, quemque poscant propterea vsum rectum, sine errandi periculo.

Horum aliqua vltro nobis clarissima praebet lingua nostra; etiam separatim reuera significantia, partim

nominis, partim verbi valore: ex quorum porro euidentia tuto inferre liceat, eadem esse indole etiam reliqua omnia, quae adhuc implexa sunt, significatione obscura in vsu affixo, vera, ac genuina dudum elapsa, ipsis huiusmodi vocibus vsu separato per desuetudinem iam exoletis. Ad ea nihilominus euoluenda, et potiora quidem quam clarissime, reliqua vero cum magna veri similitudine, opportuna suppetunt auxilia linguae aliae, nostrae affines, cumprimis orientales. Ea certe omnia ex oriente sunt allata: quod, adhibita vel modica inuestigatione, aperte indicat, plerorumque et sonus, et vsus idem, ex accommoda significatione. De more occidentali hoc tantum illis accessit satis copiosis, non tamen omnibus; vt collocationis vsum orientalem mutarint, et ex praefixis abierint in affixa; vocalium quoque pronunciatio in aliis praecesserit consonam, in aliis subsecuta fuerit, *retro gradiendo*, vt egregie docet Henselius (In Synopsi Vniuersae Philologiae Axiomate III. pag. 32. et seqq.).

Siquidem affixa nostra reuera voces sunt, excitandis certis notionibus olim destinatae: in lingua nostra, et inflexio, et deriuatio, est potius compositio, duas, et plures notiones in vna vocula coniungens. Manet tamen vtraque appellatio: cum iam in more sit, terminationes vocum ad indicandam earum in sermone relationem vulgo inflexionem vocare; deriuationem vero adiectiones ad formanda alia vocum genera.

Porro, cum affixa voces sint, consequens est, ea *syllabica* esse debere: qualia tamen complura non sunt. Nam saepe consona vnica, omni vocali destituta, omnino *asyllaba*, isto est vsu. Qua de re iam principio monere debeo: affixa, hodie asyl-

laba, olim fuisse syllabica; sed successu temporum, in nexu cum vocibus, pronunciandi celeritate, vocali absorpta, facta esse asyllaba. Et ea quidem, in concursu duriore, vocalem suam pleraque et hodie resumunt.

Affixis huiusmodi idem euenisse et in linguis orientalibus docent earum Grammaticae: quare tanto etiam certius est, hoc pariter vsu venisse in lingua nostra, reuera orientali.

In memoriam reuocandum est et hoc loco; quod est in euphonica literarum ratione explanatum: in adiiciendis affixis vocales eorum mutari congruenter vocalibus vocum, quibus ipsa adnectuntur.

Voces, a quibus aliae deriuantur, *radices* vocari iam dictum est in Introductione. Sed haec denominatio locum non habet solum in deriuationibus; verum etiam in inflexionibus vsurpatur; dicunturque vulgo *radices* et illae voces, quae terminationibus variantur.

Discrimen adhibetur in iis ita nominandis: quod illae *radices deriuationum* vocentur; istae vero *radices inflexionum*.

Distinguuntur porro radices vtraeque primum a serie, qua fiunt formationes successiue, in *primas*, *secundas*, *tertias*, et sic porro in reliquas; deinde ab interuallo, quo sunt voces formatae radicibus suis propiores, vel ab iis remotiores, in *proximas*, et *remotas*.

Radices, et affixa formatiua, probe inter se distincta, in inflexione, ac deriuatione, non sunt

semper sola; sed intercedit saepe, cumprimis in concursu duriore, aut hiulco, tertium quiddam, litera scilicet aliqua; quae ea, lenius, ac suauius connectat, quaeque propterea *litera connectens* vocatur.

Ea vero connectens litera, radice in consonam desinente, et affixo itidem a consona inchoante, in duriore harum concursu, est vocalis congrua, semperque breuis, *a, e, o, ö:* ex. gr. *társ-a-ság*, societas; *ſzüz-e-ség*, virginitas: quae secus duriora essent consonantium concursu, *társ-ság*, *ſzüz-ség.*

Grammatici Hebraei vocalem huiusmodi, cuius interuentu fit connexio affixi cum voce, *punctum adglutinationis* vocare solent.

Est ea saepe et consonans, exilis potissimum spiritus *j*, quandoque et obtusus *v:* cum nempe radix vocali terminata, et affixum aeque a vocali inchoans, hiulcum facit sonum, vel saltem facere videtur: ex. gr. *i-j-and-om*, *e-j-end-em*, bibero, comedero, pro *i-and-om*, *e-end-em:* deinde *lassú-v-an*, *sürü-v-en*, lente, dense, pro *lassú-an*, *sürü-en.*

Non est vero haec connectens consona confundenda cum eo *j*, quod cum affixo pronomine aduenit; neque cum *v*, in quibusdam vocibus ex quiete in motum resuscitato.

Sed, radicibus in vocalem exeuntibus, affixisque similiter a vocali incipientibus, hoc solet fieri omnium frequentissime: vt vocales, in compositione iam contiguae, et affixi quidem vocalis plerumque radicis vocali sese accommodans vtraeque in

in vnam coalescant, eamque duplici valore longam efficiant. Sic sunt certe facta ex rudi formatione ista ex. gr. pluralia: *ſzilvák*, pruna; *fügék*, fici: eorum singularia, *ſzilva*, *füge*, iuncta plurali formatiuo, *ſzilva-ök*, *füge-ök*; deinde vocalibus sese accommodantibus, *ſzilva-ak*, *füge-ek*; demum coalescentibus, *ſzilvák*, *fügék*.

Radices, breui vocali terminatae, eam, acceptis affixis a consona inchoantibus, plerumque producunt: ex. gr. *tiſzta*, purus, *tiſztá-tól*, a puro; *kefe*, setaceum, *kefé-vel*, cum setaceo.

Radices, in consonam desinentes, longa vocali praeeunte, hanc, acceptis affixis vocalibus, plerumque corripiunt: ex. gr. *kenyér*, panis, *kenyer-et*, panem; *fonál*, filum, *fonal-ak*, fila.

Radices bene multae, consona terminatae, antecedente vocali breui, dum increscunt acceptis affixis vocalibus, postrema breui illa vocali sua absorpta, contrahi solent, cum syllabarum compendio; quod faciunt complures etiam radices secundae, tertia praesertim persona praeteriti secundi: ex. gr. *dolog*, labor; *dolg-ok*, non *dolog-ok*, labores: *kesereg*, moeret; *keserg-ek*, non *kesereg-ek*, moereo ego: *adott*, dedit; *adt-a*, non *adott-a*, dedit ille determinatum aliquid.

In huiusmodi formationibus, rite instituendis, debet vtique praeparari ista, quam sic inposterum vocabimus, *radix contracta postrema vocali absorpta.*

Quae sunt hactenus de radicibus, et affixis formatiuis, ex ipsa linguae indole, breuiter, ac generatim adducta; vltro ea nos monent, alia esse ponenda formationum principia; quam quae sunt hucusque posita a plerisque Grammaticis, ad arbitrium, vel Europaeorum imitatione, non ex linguae nostrae genio: ipsas nempe voces nudas, radices primas, de quibus sunt formationes primae faciendae; deinde etiam secundas, ac tertias, si eas exposcent formationes vlteriores.

Atque his, in etymologiae liminibus, in antecessum explanatis, iam ad interiora successiue penetremus per partes singulas.

ETYMOLOGIAE
PARS PRIMA
DE VOCVM INFLEXIONE.

SECTIO PRIMA
DE
INFLEXIONE NOMINVM.

NOTIONES PRAEVIAE.
§. I. DE NOMINVM GENERIBVS.

Nomen, vt est eius definitio iam data in Introductione (Cap. I. §. II.), est vox, quae denominandis rebus inseruit. Illic indicata est et prima eius diuisio: qua id *substantiuum*, et *adiectiuum* dicitur. Nunc iam ista sunt enucleatius exponenda.

A. DE SVBSTANTIVO.

Substantiuum est nomen rei per se subsistentis, vel quasi per se subsistentis.

Res per se subsistentes sunt corporeae, in natura existentes, ab aliis separatae: ex. gr. *homo*, *equus*, *arbor*, *gramen*. Nomina rerum huiusmodi vocantur *substantiua concreta*.

Res quasi per se subsistentes eae dicuntur: quae in natura per se non subsistunt separatae, sed reperiuntur tantummodo in rebus; sic tamen concipiuntur, et exprimuntur, quasi per se subsisterent: ex. gr. *mors*, *virtus*, *vitium*, *dulcedo*, *suauitas*. Similium nomina vocantur *substantiua abstracta*.

Substantiua porro alia dicuntur *nomina propria*, alia *appellatiua*, alia *collectiua*.

1. *Nomina propria* ea sunt, quae indicant, personas, vel res singulares, tanquam solae existerent.

Talia sunt singularium hominum praenomina, et cognomina: *Stephanus*, *Petrus*, *Bátorius*, *Pázmánus*, *Agnes*, *Catharina*. Sic habent propria sua nomina siluae singulares, montes, fluuii, lacus, insulae, regiones, vrbes, etc. ex. gr. *Bacuntia*, *Matra*, *Danubius*, *Volcea*, *Corsica*, *Hungaria*, *Buda*, etc.

2. *Nomina appellatiua* vno eodemque nomine plures denotant res singulares; quae propter similitudinem, quam inter se habent, eiusdem sunt generis, simulque eandem efficiunt speciem.

Huiusmodi nomen est *equus;* quo indicatur non meus solum equus, vel vicini mei; sed generatim omnia quadrupedia animalia eiusdem speciei. Pariter appellatiua sunt nomina: *homo*, *miles*, *liber*, *ensis*.

3. *Nomina collectiua* ea dicuntur: quae denotant copiam indefinitam eiusmodi rerum singularium; quas secernere non possumus, vel non solemus.

Praecipua nomina collectiua sunt:

a. Nomina rerum fluidarum: ex. gr. *aqua*, *ignis*, *aer*, *lac*, *vinum*, etc.

b. Nomina rerum de regno vegetabili, vel animali, quibus vescimur: ex. gr. *triticum*, *siligo*, *fructus*, *caro*, *caseus*, etc.

c. Nomina materiarum, de quibus ars, vel natura, res singulares effingit: ex. gr. *aurum*, *argentum*, *cuprum*, *lapis*, *terra*, etc.

B. DE ADIECTIVO.

Adiectiuum est nomen, quod indicat qualitatem, seu proprietatem aliquam; quae rei, per se subsistenti, attribuitur, et cum ea coniuncta concipitur, simulque exprimitur: ex. gr. *viuidus homo*, *celer equus*, *procera arbor*, *recens gramen*.

Adiectiuum, substantiuo iunctum, est *praedicatum subiecti*, substantiuo nomine expressi, eius notionem amplificans; sed quod sententiam tamen non absoluit. In hac coniunctione, ex. gr. *viuidus homo*, *hominis*, vt subiecti, simplex notio augetur

viuidi notione, quae illi qualitas per hoc praedicatum attribuitur, et cum ea coniuncta esse indicatur.

§. II. DE NOMINVM ACCIDENTIIS.

Accidentiae nominum tres sunt in lingua nostra: *numerus*, et *casus* substantiuorum; adiectiuorum vero, praeter numerum, et casum, etiam *gradus*. Huc pertineret et *genus*, si eius discrimina haberet lingua nostra.

A. DE NVMERO.

De rebus eiusdem speciei, et eodem nomine indicatis, potest vel vna tantum, separata ab aliis, considerari, vel plures iunctim. Haec consideratio induxit *numerum*, vt rerum, ita et nominum, quibus res istae indicantur, *singularem*, et *pluralem*.

Ad hanc differentiam, nominibus dandam, natae sunt formae distinctae, *singularis*, et *pluralis*.

1. Forma singularis, vt in aliis, sic in nostra quoque lingua, est ea ipsa nominis forma prima, qua uomèn, rei denotandae destinatum, absolute expressum est: ex. gr. *hal*, piscis; *gém*, ardea. Multiplex est eius terminatio, per singulas alphabeti literas excurrens, sed parcius in nonnullis, in aliis copiosius.

2. Forma autem pluralis est affixum distinctum; quod, nominis formae singulari adnexum, id iam in plurali numero esse indicat.

a. Hoc vero affixum, primum in lingua nostra, est *ök*, vocali congruenter mutata etiam *ek*, *ok*, et *ak*, origine sua nomen adiectiuum, *multus*. Quare apud nos forma pluralis; ex. gr. *hal-ak*,

hoc proprie exprimit, piscis-multus; *gém-ek*, ardea-multa.

Certum est, hanc formam nostram esse ipsam Hebraicam formam pluralem foemininam וֹת *(oth)*; sed in labiis nostrorum, praeter vocalem *o* rotundius prolatam, *öt*, etiam ת *(tav)* consona in כ *(caph)* mutata, abiisse in *ök*. Huiusmodi mutationum exempla complura suppeditat vel ipsa lingua nostra: tanto pronius est eas fieri in vocibus, quas linguae diuersae vsurpant.

וֹת *(oth)* Hebraicum, formatiuum significans, est reuera cum notione *multi*, de nomine אַתָּה *(atha)*, *multus, copiosus*, apud Arabes superstite, vt Stockius notat Koerberum secutus.

Fuit vero idem nomen, vocali tantum post consonam enunciata, et nostris maioribus, significatione prorsus eadem, certe vsitatum, *tö*, multus: de quo hodieque superest comparatiuus *több*, multus magis. Idem *tö*, sed iam auctum ad emphasim, *töméný*, valore omnino eodem, adhibuit persaepe Lépesius. *Töméný ezernyi ſzámú napok el múlnak* (*De Inferno pag.* 137.): Dies praeteribunt multorum millium numero. *Töméný ezer eſztendeig* (*Ibid. pag.* 347.): Vsque ad multa millia annorum. Augmentum huiusmodi est etiam in voce *keméný*, durus; cuius prima simplex radix *ke*, certe et cum halitu obscuro in fine *kev*, fuit olim apud nos quoque in vsu; vt est hodieque apud Esthones, dialecto variante, *kowwa*, *köwwa*, hart, durus; vocali in fine absorpta, *kow*, *köw*: sicut de voce aeque Esthonica *kiwwi*, Stein, lapis, est *kiw*, et nobis olim *köw*; hodie, spiritu obscuro quiescente, *kö*, idem omnino significans.

Habent et Lappones nomen adiectiuum *taiwe*, significatione prope eadem, inuoluta certe *multi* notione, *frequens*, *quod saepe fit*. Hoc, vt modo factum est, vocali in fine absorpta, est *taiw*; deinde et spiritu ob-

scuro *v* neglecto, *tai*, tanto propius nostro *tö*. Procul dubio vtrumque de eadem origine. Sed Lapponum deflexum, halituum, et vocalium vsu illis familiari.

Clarum hoc formatiuum Hebraicum וֹת *(oth)* obseruo in pluralibus Esthonicis: ex. gr. *Jummal-ad*, Dii, a *Jummal*, Deus; *mel-ed*, mentes, a *meel*, mens; *aasta-id*, anni, ab *aasta*, annus; *ramat-ud*, libri, a *ramat*, liber. Terminationes *ad*, *ed*, *id*, *ud*, variante vocali, habent *d* plenum, ac lene; sed quod, assumtis nouis terminationibus, abit plerumque in *t* soni tenuioris, ac durioris.

In Fennicis vero sonat ipsum hoc *t*: ex. gr. *cala-t*, pisces, a *cala*, piscis; *leiwå-t*, panes, a *leipå*, panis; *wierah-at*, hospites, a *wieras*, hospes; *jånex-et*, lepores, a *jånes*, lepus.

At in Lapponicis, vt Ganandriana exhibet Grammatica, iam *ach*, et *ech*, auditur; adspirato ת *(tav)*, *tha*, in וֹת *(oth)* primigenio, quod vtique pronum erat, in ח *(chet)*, *cha*, spiritum asperiorem abeunte. Vt vero, Lindahliana, et Oerhlingiana docet Grammatica, *ah*, et *eh*, est ea forma, cum ה *(hhe)*, *hha*, spiritu tantum aspero. Vtraque ratio videatur in exemplis: *cabmag-ach*, calcei, a *cabmag*, calceus; *kijttem-ech*, gratiarum actiones, à *kijttem*, gratiarum actio; *mâdie-ch*, auium greges, a *mâdtie*, auium grex; *ja-ge-ch*, anni, ab *jagkie*, annus: deinde *kabmak-eh*, calcei, a *kabmak*, calceus; *almatj-eh*, homines, ab *almats*, homo; *akka-h*, vxores, ab *akka*, vxor; *usto-h*, cupiditates, ab *usto*, cupiditas.

Vnde non vane coniicio, apud nos quoque ת *(tav)* adspiratum, *tha*, principio in ח *(chet)*, spiritum asperiorem, *cha*, fuisse mutatum: quod ipsum ח *(chet)*, gutturale profundius, transiit postea sono puriore, qui et hodie viget, in כ *(caph)*, *ka*, palatinum forte. Fuerunt proinde et nostra pluralia primigenia, vt superio-

ribus vtar exemplis, *hal-ath*, pisces, *gém-eth*, ardeae; antiquiora postea *hal-ach*, pisces, *gém-ech*, ardeae; vnde nata demum hodierna, *hal-ak*, *gém-ek*.

b. Fuit in lingua nostra primigenia et altera pluralis forma, *i* nempe multitudinis nota, et sola, et cum socia vocali *a*, *e*, illi congruenter praemissa, *ai*, *ei*; quae hodie in statu tantummodo affixo possessionum superest. Hac formatione exempla nostra et sic pluralia sunt: *hal-i*, *gém-i*; *hal-ai*, *gém-ei*; pisces, ardeae.

Hebraeorum formam pluralem masculinam satis probat Vaterus (Gram. Hebr. Part. II. Sect. II. Cap. III. §. 274, et seq.) hanc esse primam, et antiquissimam, ִי (*i*), et ַי (*ai*): ex. gr. כָּרִי (*câri*), duces; יְדֵי (*jâdai*), manus; a כַּר (*car*), et יַד (*jad*); dux, manus. Quae eadem perstitit postea in vsu tantum constructo; cum altera auctior nata est forma, ad statum absolutum adhibita, accedente ad priorem formam, in dialecto Hebraica ם (*mem*), in Chaldaica vero, ac Syriaca, ן (*nun*) litera: כָּרִים (*cârim*), et כָּרִין (*cârin*), duces; יָדַיִם (*jâdaim*), et יָדַיִן (*jâdain*), manus.

Sed Grammatici alii contrarium hactenus explicatunt: formam auctiorem ִים (*im*) et ַיִם (*aim*), propriam esse, et primigeniam; sed eam in statu constructo, seu nexu cum voce consequente, pronunciandi celeritate, absorpta ם (*mem*) litera, natura sua admodum leni, factam esse breuiorem. Hoc duplici pluralium vsu, sic sese distinguente, vltro nata est et numeri pluralis denominatio aeque distincta, absoluti, et constructi.

Hanc formam pluralis constructi (*i*, et *ai*,), iam adolescente lingua humana ortam, et vsitatam, patet remotissima illa aetate communem fuisse cum Hebraeorum originibus, nostris etiam, et Fennorum originibus,

Nam, vt apud nos, quod iam supra exposui, sic apud istos quoque supersunt conspicua huius *i* vestigia in pluralibus; vbi ea nouis increscunt terminationibus, priore absoluta forma plurali neglecta. Possunt ea videri de superioribus exemplis, vno Fennico, et altero Lapponico, ob oculos posito.

Ex Vhaëlio.

Cala.	Piscis.	*Cala t.*	Pisces.
Cala-n.	Piscis.	*Calai-n.*	Piscium.
Cala-lle.	Pisci.	*Calai-lle.*	Piscibus.
Cala-sta.	De Pisce.	*Caloi-sta.*	De Piscibus.
Cala-tta.	Sine Pisce.	*Caloi-tta.*	Sine Piscibus.

Ex Ganandro.

Cabmag.	Calceus.	*Cabmag-ach.*	Calcei.
Cabmag-a.	Calcei.	*Cabmagi-i.*	Calceorum.
Cabmag-ast.	De Calceo.	*Cabmagi-st.*	De Calceis.
Cabmag-etta.	Sine Calceo.	*Cabmagi-itta.*	Sine Calceis.

Quia formatiua, cumprimis orientalium, significantia sunt: et hoc ים *(im)* certe tale esse debet. In sermone nostro solent substantiuis substantiua praemitti adiectiuorum valore. De hac est consuetudine et illa locutio, inde sane a prima sermonis humani adolescentia ad nos propagata; vt rei cuiuspiam multitudinem, praesertim nimiam, adiecto *maris* vocabulo exprimamus: *tenger nép*, mare populus; *tenger gyümölts*, mare fructus. Cuiusmodi expressiones hunc habent sensum: *populus multus, vt mare; fructus multus, vt mare.* יַם *(jam) mare* est Hebraeis, aquarum multitudo, nomen antiquissimum, linguae vtpote primigeniae; quia simplicissimum est, syllaba vnica expressum. Hoc, in sermone humano sensim efformando, accommoda significatione aptum visum est ad exprimendam rerum multitudinem, et hac destinatione nomina formauit plura-

lia, tantum vocali mutata. Multitudinis notio, eo excitata, mansit et in eius parte priore sola, in י (*jod*) litera; posteaquam pars posterior, ם (*mem*) litera, ob lenitatem suam euanuit. Hoc pacto est illa, non modo Hebraeis, sed etiam nobis, et Fennis, *notu multitudinis*, in raro illo apud vtrosque vsu constructo, quem iam indicaui.

Nimiam illam, quam memoro, literae *m* lenitatem, vt etiam absorbeatur, experimur in nostra quoque lingua. Auditur certe vulgus nostrum, in quibusdam prouinciis, et sic loqui: *eg látom*, *eg ette*, pro *meg látom*, *meg ette*, videbo, comedit, absumsit. Edocti sumus eius indolem et in Latina lingua. Eliditur in fine vocis a vocali vocis sequentis. Atque id, non modo in versibus, sed etiam in sermone soluto, sic fere in vsu fuisse discimus ex Quintiliano. *Litera m, quoties vltima est, et vocalem verbi sequentis, ita contingit, vt in eam transire possit, etiamsi scribitur, tamen parum exprimitur (Inst. Orat. Libr. IX. C. IV. §. 40.).*

B. DE CASIBVS.

Relationes vocum ad alias, in linguis omnibus, quaedam exprimuntur adiectione vocularum, quae praepositiones vocantur, in nostra vero lingua, quia postponi solent, postpositiones; quaedam vero, ad quas desunt aptae huiusmodi voculae, indicantur singularibus vocum in fine inflexarum terminationibus, quas vulgo *casus* nominant.

Casus itaque, definitione propria, sunt terminationes nominum, in fine varie inflexorum, ad indicandam eorum relationem ad alia.

Nominum huiusmodi terminationes distinctae in lingua Latina sunt sex; totidem proinde et ca-

sus: *nominatiuus*, *genitiuus*, *datiuus*, *accusatiuus*, *vocatiuus*, et *ablatiuus*.

Quia iam a pueritia Latinae linguae praeceptionibus imbuimur; iisdem solemus vti in nostra quoque explananda. Quo fit, vt etiam casus totidem, atque eosdem et nomine, linguae nostrae tribuamus, prorsus non secundum eius indolem.

Nam terminationes nostrae, quae casibus Latinis respondere videntur, penitius spectatae, praeter nominatiuum, non sunt reuera casus huiusmodi; sed voces, etiam separatim sumtae, significantes, pleraeque postpositionum valore, quae casus Latinos reddunt per circumscriptionem.

Et, si postpositiones istae, praeter significationem nominibus additam, Latinis fere similem, propterea etiam casus dicuntur; quia cum nominibus in vnam vocem coalescunt: casuum nomine erunt vocandae et reliquae postpositiones omnes; quaecunque eadem sunt indole, vt nominibus iunctim adhaereant. Quod quidam fecerunt, ad numerum satis amplum progressi, iam in nostra quoque lingua; vt est idem, et in Fennica, et in Lapponica factum a Grammaticis harum linguarum.

Sed nos mediam inibimus viam. Latinos casus, quia lingua nostra cum Latina comparatur, nostris reddemus, non quidem proprie casibus, sed circumscriptionibus; casus tamen vocabimus ex more Latino, adiectis et aptioribus eorum nominibus, ex ipsa postpositionum, quibus redduntur, natura petitis. Addemus praeterea casus aliquot, factos

nostro hoc more, peculiares, et in lingua nostra frequentes: vt, praesertim in syntaxi, sic breuiter nominati, facilius intelligantur, et compendio sint.

1. *Nominatiuus casus*, in singulari numero, est ea forma: qua nomen quodque, destinatum rei cuipiam significandae, absolute expressum est, qualicunque sit ea terminatione: ex. gr. *hal*, piscis; *gém*, ardea; *kár*, damnum; *pénz*, pecunia; *ſzilva*, prunum; *füge*, ficus.

In plurali autem numero casus nominatiuus est ipse nominatiuus singularis, ad indicandam rei significatae pluralitatem, iam forma plurali auctus. Hunc videre licet in exemplis iisdem: *hal-ak*, pisces; *gém-ek*, ardeae; *kár-ok*, damna; *pénz-ek*, pecuniae; *ſzilvá-k*, pruna; *fügé-k*, fici.

Vterque, est radix proxima ad formandos casus reliquos; qui sunt in numero vtroque prorsus iidem.

2. *Genitiui casus* formatiuum est *é*, et *jé*, ipsum personae tertiae pronomen singulare *ő*, *jő*, is, ille, hoc vsu vocali nunquam mutabili, et cum valore reciproci *suus*, *sua*, *suum*. Quo fit, vt in lingua nostra et ipse genitiuus, sicuti nomen quodque, per casus inflectatur.

Exempla superiora dant genitiuum in vtroque numero: *hal-é*, non *piscis* nude, sed *piscis suum aliquid*; quod in sermone indicatum est, quodque genitiui formatiuo, tanquam relatiuo, in memoriam reuoeatur: ita et reliqua: *gém-é*, *gémek-é*; *kár-é*, *károk-é*; *pénz-é*, *pénzek-é*; *ſzilvá-jé*, *ſzilvák-é*; *fügé-jé*, *fügék-é*.

Huic casui in lingua Latina *genitiui* nomen datum est: quod de eo soleant formari casus reliqui, ac propterea quasi ab eo gigni concipiantur. In nostra vero lingua aptius vocabitur *casus possessiuus*, propter possessionis notionem; quam eius formatiuum, ipsum nempe pronomen reciproci valore, radici adiungit.

Genitiuus noster, per casus inflexus, habet nomen peculiare *genitiui inflexi*.

De eo, et de intima genitiui nostri natura, agetur prolixius inter pronomina (*Etym. Part. I. Sect. II. Cap. I.* §. II. B.), deductione singulari, ad euidentiam.

Lingua Hebraica genitiuum non habet. Hanc notionem accipit nomen non inflexum tantum a collocatione; qua id nomini possesso, celerius expresso, illico postponitur: ex. gr. כְּבוֹד דָּוִד (*kebod dâvid*), honor Dauidis; secus possessum profertur cum mora כָּבוֹד (*kâbod*)). מַמְלְכוֹת אֶרֶץ (*mamlekoth eretz*), regna terrae; alias possessum productius effertur מַמְלָכֹת (*mamlákoth*). Hoc monuisse proderit in syntaxi.

Chaldaei, ac Syri, sequuntur quidem et Hebraicum morem nominis non inflexi; sed habent praeterea etiam formam genitiui, nostrae simillimam: Chaldaei pronomen relatiuum דִּי (*di*), qui, quae, quod, nomini praemissum; Syri solum ד (*daleth*), idem pronomen relatiuum vocali absorpta; quod mihi reciproci valore, sicut nostri genitiui formatiuum, exprimendum esse videtur. In quo construendi modo est insuper et hoc cum nostro more consentiens: quod nomen quoque, a tali genitiuo possessum, auctum sit pronomine affixo. Exemplum Chaldaicum: רֵוֵהּ דִּי רְבִיעָאָה (*rivêh di rebjhgáá*), adspectus eius suus quarti; Syriacum vero, sed Hebraicis literis expressum: מִלּוֹהִי דַאלָהָא (*melavhai daloho*), verba eius sua Dei. Atque haec,

ista quidem nominum collocatione, sed quasi abrupta, et nos ita exprimimus, imo etiam auctiora pronominibus, neque iis superfluis; vt de more Chaldaico, ac Syriaco, notant Grammatici plerique, Latini sermonis genium spectantes; sed reuera ex linguae nostrae indole orientali, geminationum amicae, ad maiorem emphasim: *az ö nézése, a' harmadik'é; az ö szavai, az Istené.*

Porro videtur mihi et in lingua Fennica genitiui forma *än, en*, more nostro aeque pronomen esse, ipsum nempe *hän*, is, ille, congruens cum nostro *ön*, et idem etiam in plurali recurrens: ex. gr. *wieras*, hospes, *wierah-an*, hospitis, plenius vero, hospitis suum aliquid; *jänes*, lepus, *jänex-en*, leporis, et eo amplius, leporis suum aliquid: sic in plurali *wierast-an*, hospitum, *jänest-en*, leporum; in quibus *t*, pluralis formatiuum, absorpta vocali constringitur.

Idem obseruo et in lingua Lapponica, certe in singulari: *kabmak*, calceus, *kabmak-en*, calcei, calcei suum aliquid; *puorak*, bonus, *puorak-en*, boni, boni suum aliquid. In qua dialecto hoc deest, substitui obseruo in eius locum *ha* simplex, antiquius pronomen, tantum in vsu inseparabili superstes, de communi lingua primigenia, ipsum nempe Hebraicum הוּ (*hu*), sed adspiratione neglecta, vt nostrum *ü*, *ö*, et hoc pariter cum notione certe ampliore: ex. gr. *cabmag-a*, calcei, *kijttem-a*, gratiarum actionis; quod in plurali in *i* migrat, multitudinis notae *i* sese accommodans, *cabmagi-i* calceorum, *kijtemi-i*, gratiarum actionum; vel cum ea coalescit, *kabmaki*, calceorum, *puoraki*, bonorum.

Ipsum hoc formatiuum *ha*, remotissimae antiquitatis reliquiae, tot linguis commune, in vsu aeque tantum inseparabili, adspiratione iam neglecta, iam in vicinam consonam abeunte, constanter adest in genitiuis etiam Esthonicis, vtriusque numeri, certe et in his

solito significantius: ex. gr. *Jummal-a*, Dei, *Jummalat-te*, Deorum: *päiw-ä*, diei, *päiwid-e*, dierum; *kattus-se*, tecti, *kattüst-e*, pluralis formatiuo contracto, dierum.

3. *Datiui casus* formatiuum est *nek*, vocali congruenter mutata *nak*, origine sua nomen, quod *relationem*, *oppositum*, *aduersum*, significat.

Exempla assumta in hoc casu sic erunt in numero vtroque: *hal-nak*, *halak-nak*, vulgo pisci, piscibus; pari modo et reliqua: *gém-nek*, *gémek-nek*; *kár-nak*, *károk-nak*, *pénz-nek*, *pénzek-nek*, *ſzilvá-nak*, *ſzilvák-nak*, *fügé-nek*, *fügék-nek*. Sed formatiui valore genuine reddito, *hal-nak*, *halak-nak*, ampliore sunt sensu: *piscis*, *piscium relatione*; *in oppositum piscis*, *piscium*; *pisci*, *piscibus aduersum*.

Apud Latinos huius casus nomen est a dando; sed non semper aptum. Nos, in lingua nostra, rectius dicemus *casum relatiuum*, et *oppositiuum*.

Vberiora de eo recurrent in euolutione postpositionum (Etym. Part. II. Sect. III. Cap. I.), deinde in syntaxi (Sect. II. Cap. I.). Patebit isthic, qua emphasi ponatur in rerum possessione possessor etiam ad datiuum. Vltro intelligitur et huius constructionis ratio, *a' hegynek menni*; si noster simplex esset Latinorum datiuus, vt vulgo putatur, ad verbum, *monti ire*; sed, datiuo nostro genuine expresso, est hoc *monti aduersum ire*.

Apud Hebraeos, Chaldaeos, ac Syros, datiui formatiuum est לְ (*lamed cum scheva*), ipsa אֶל (*el*) praepositio, *ad*, *in*, *apud*, *iuxta*, *super*, *coram*, voci iunctim praefixa: ex. gr. לְדָוִד (*ledâvid*), Dauidi.

Singulari consensione idem habent datiui formatiuum, in vtroque numero, et Esthones, et Fenni, sed more nostro nominibus affixum. Illud tamen intercedit discrimen: quod Esthones tantum *l* simplex, etiam vocali auctum *le*, adhibeant; Fenni vero geminent, et semper cum adiuncta vocali exprimant, *lle*: ex. gr. *Jummal àl*, *Jummal-àle*, Deo, *Jummalatt-èl*, *Jummalatt-èle*, Diis; *kattuss-èl*, *kattuss-èle*, tecto, *kattust-e-l*, *kattust-e-le*, tectis; *cala-lle*, pilci, *caloi-lle*, piscibus; *leiwä-lle*, pani, *leiwi-lle*, panibus; *wierah-a-lle*, hospiti, *wierahi-lle*, hospitibus; *jånex-e-lle*, lepori, *jånexi-lle*, leporibus: in quibus distinguo et connectentis vocalis vsum.

4. *Accusatiui casus* formatiuum verum est syllabicum *et*, vocali congruenter mutata etiam *at*, *ot*, *öt*; sed quod saepe tamen, vocali absorpta, asyllabum quoque vsurpatur, solum nempe *t*, post consonas huic consonae amicas, et concursu non duro; origine sua reuera nomen, *obiectum*, *subiectum* significans.

Exempla nostra, assumto hoc formatiuo, in accusatiuum sic abeunt in vtroque numero: *hal-at*, *halak-at*, piscem, pisces, pleno autem valore, tanquam cum appositione, *piscem*, *pisces obiectum*, *subiectum*; ita et reliqua: *gém-et*, *gémek-et*; *kár-t*, *károk-at*; *pénz-t*, *pénzek-et*; *szilvá-t*, *szilvák at*; *fügé-t*, *fügék et*.

Si ista spectemus, accusatiui nomen Latinum nobis non est accommodum ad hunc casum indicandum: aptius dicemus *obiectiuum*, vel *subiectiuum*.

Commune

Commune est nobis hoc formatiuum cum Hebraeis, et Chaldaeis. Nam et isti accusatiuos suos praemissis, אֶת (*eth*), et יַת (*jath*) notis formant: ex. gr. אֶת הָאוֹר (*eth haor*), ignem; אֵת הַשָּׁמַיִם (*eth haschschamaim*), coelos. Quod tamen signum saepe etiam negligunt, et nomen non inflexum in accusatiuo esse intelligitur ex adiecto illi verbo; quod ipsum ita et nos frequenter facimus: ex. gr. *fa vágni megyek*, eo sectum ligna; quod secus sic dicendum esset, *fát vágni megyek.*

Lexica Hebraica docent formatiuum אֶת (*eth*), nominis valore, esse *obiectum*, *subiectum*. Loescherus quoque *obiecti* notionem illi tribuit (*De Causis Linguae Ebraeae Libr. II. Cap. VI.* §. *V.*): postea loco alio vberius sese explicat: אֵת (*eth*) *vsurpatur ad indicandam tendentiam actionis versus obiectum* (*Libr. eod. Cap. VII.* §. *I.*).

Idem formatiuum est et in Esthonica lingua, non tamen in omni nominum genere perpetuum; ex. gr. *Jummal-at*, Deum, *Jummalai-d*, Deos; deinde *kattus-t*, tectum; sed non iam in plurali.

Habent id et Fenni, sed vocali postposita, et tantum in nominibus in consonam *s* et *t* desinentibus: ex. gr. *wieras-ta*, hospitem; *tullut-ta*, aduenientem; *wierahi-ta*, hospites; *tullehi-ta*, aduenientes.

Adhibent et Lappones, sed tantummodo in numero plurali; et, secundum Ganandrum, fortius exprimunt, iunctis *dt* consonis: ex. gr. *cabmagi-idt*, calceos; *kijttemi-idt.*, gratiarum actiones; simplici vero *t* efferunt, secundum Lindahlium, et Oerhlingium: *kabmaki-t*, calceos; *puoraki-t*, bonos.

5. *Vocatiuus casus*, in vtroque numero, a nominatiuo prorsus non diuersus, ex sermonis contextu dignoscendus est. Saepissime praemissam habet inclamantis interiectionem o! ex. gr. *o atya!*

O

o anya! o pater! o mater! Praeterea accipit non raro affixum pronomen personae alloquentis, seu primae, more possessionis, idque vel honoris, vel blandiendi caussa, vel ad fiduciam indicandam: ex. gr. *uram!* mi domine! *édesem!* mi dulcis! *barátom!* mi amice!

6. *Ablatiuum casum* Latinorum, non absolutum, sed illum auctum praepositione *ab*, cum conjuncta auferendi notione, vt vulgo sistitur in paradigmatibus, ita et nos exprimimus, formatum adiecta respondente particula *töl*, vocali congruenter mutata *tól*, olim vero *tül*, et *túl*; cuius significatio propria est composita, *extra obiectum*, *ex obiecto*.

Exempla nostra, hoc formatiuo aucta, in vtroque numero, sic sunt in hoc casu: *hal-tól*, *halak-tól*, a pisce, a piscibus, nostrae vero particulae vi genuine reddita, *extra obiectum*, *ex obiecto piscis*, *piscium*; simili modo et alia: *gém-töl*, *gémek-töl*; *kár-tól*, *károk-tól*; *pénz-töl*, *pénzek-töl*; *ſzilvá-tól*, *ſzilvák-tól*; *fügé-töl*, *fügék-töl*.

Particulae *töl* composita significatio explanatur in euolutione postpositionum (*Etym. Part. II. Sect. III. Cap. I.*)

Absolutus Latinorum ablatiuus quibus porro formis efferatur in lingua nostra; cum is temporis est, modi praeterea, et instrumenti: opportunius explicatur in syntaxi.

Esthones, et Lappones pulchre conueniunt in formando casu ablatiuo, adhibito, in vtroque numero, eodem formatiuo *ast*, *est*: et Fenni eo tantum differunt, quod vocalem post consonantes efferant, *sta*, *ste*: ex.

gr. *Jummal-ast*, de, ex, a Deo; *Jummallatt-est*, de, ex, a Diis; *kattuss-est*, *kattusi-st*, de, ex, a tecto, tectis. *cabmag-ast*, *cabmagi-st*, de, ex, a calceo, calceis; *kijttem-est*, *kijttemi-st*, de, ex, a gratiarum actione, actionibus: *cala-sta*, *caloi-sta*, de, ex, a pisce, piscibus.

Huius formationis vestigium superest in lingua nostra in aduerbiis *öröm-est*, *bizony-ost*, libenter, certo, et reliquis, quae sunt hac terminatione satis frequentia. Sunt ea de substantiuis cum circumscriptione per formatiuum *est*, *ost*; cuius valor in lingua nostra respondet praepositioni *cum*. Quare *öröm-est*, *bizony-ost*, genuine redditum, est *cum gaudio*, *cum certitudine*: quod patet etiam ex adiectiuo huiusmodi aduerbiis praemisso, *édes öröm-est*, certe sic reddendum, *cum dulci gaudio*. Haec propria huius voculae significatio vberius euoluitur inter postpositiones (*Etym. Part. II. Sect. III. Cap. I.*). Explanatur illic et compositio huius *est* particulae cum particula *ül*, eiusdem significationis, cum geminatione proinde ad intensiorem societatis expressionem, *estül*, *ostul*, Latine *vna cum*: ex. gr. *feleség-estül*, *leány-ostul*, vna cum vxore, vna cum filia. Hic ista propterea attinguntur; vt inter casus reliquos notionem demus *casus* etiam *sociatiui*.

Datur apud Lappones *locatiuus* quoque *casus*: cuius formatiuum est *an*, *en*, postpositio respondens Latinae praepositioni *in*, *super*: ex. gr. *cabmag-an*, in calceo, super calceum; *puorak-en*, in bono, super bonum. Eadem postpositio *an*, vocali congruenter mutata, *en*, *on*, *ön*, nobis cum iis communis, significatione prorsus eadem, nominibus similiter iuncta, dat similem et nobis terminationem; quam, si placet, *casum* aeque *locatiuum* apte dixerimus: ex. gr. *asztal-on*, in mensa, super mensam; *a' fedel-en*, in tecto, super tectum.

Habent hunc casum et Fenni, sed cum nostro, ac Lapponico, non conuenientem, cum postpositione tamen idem significante: ex. gr. *cala-sa*, in pisce; *caloi-sa*, in piscibus.

Sed omitto casus reliquos memorare, a natura postpositionum, quibus formantur, facile denominandos. Tantum de duobus agam adhuc, vsus in lingua nostra singularis, de *mutatiuo* nempe, et *substitutiuo*.

7. *Mutatiuus casus*, in lingua nostra expressio peculiaris, fit adiectione formatiui *vá*, vocali congruenter mutata *vé*; quod integrum manet, si nomen, cui iungitur, in vocalem desinit; secus, post consonas, *v* eius istis assimilatur. Origine sua et hoc nomen est, proprie *mutatio*. Indicat rei, de qua sermo est, mutationem in aliam, cuius id nomini adhaeret. Latini idem exprimunt plerumque adminiculo praepositionis *in* cum accusatiuo.

Exempla sunto: *a' víz jég-gé lett*, aqua in glaciem versa est; ad verbum vero sic reddendum, *aqua mutatione glacies facta:* deinde *a' ſzolgám katoná-vá lett*, vt vulgo redditur, seruus meus miles factus est; expressa autem et voculae *vá* significatione, *seruus meus mutatione miles factus*.

Vá, nomen primitiuum, vberius demonstratum, redit cum suis deriuatis loco opportuniore, (*Etym. Part. II. Sect. I.*).

Casum mutatiuum habent et Lappones, et Fenni; sed eum Grammatici *factitiuum* vocant. Apud Lappones congruit is cum locatiuo: ex. gr. *kabmak-en*, in calceum; *puorak-en*, in bonum. Apud Fennos vero clare differt; *cala-xi*, *caloi-xi*, mutatus in piscem, in pisces. In hanc formam transierit, vt ego coniicio, de

nostro *vá*, olim vtrisque communi; *v* spiritu obscuro, primum in spiritum lenem *h*, ex hoc demum in sibilum abeunte; et *á* longo in *í*: *vá*, *ví*, *hi*, *si*, *xi*.

8. *Substitutiuus casus*, aeque peculiaris in lingua nostra, fit adiectione formatiui *ül*, vocali congruenter mutata *úl*; cuius valorem adaequatum reddit Latinum *instar*, praepositio *pro*, et compositiones istae, *in modum*, *ad modum*.

Eius exempla sunt: *ajándék-úl adom*, do instar muneris, pro munere; *jel-ül ki teszem*, expono instar signi, pro signo; *látó úl jöttem*, veni in modum videntis, videndi caussa.

Sed casus iste alternat quandoque cum mutatiuo: *fiam-úl fogadtam*, vel *fiam-má fogadtam*, adoptaui ipsum instar filii meï, vel in filium meum, genuine *adoptaui ipsum mutatione filium meum*.

Et hunc casum habent tam Lappones, quam Fennī; verum, et a nostro, et inter se differentem; et quem Grammatici *nuncupatiuum* dicunt: ex. gr. *eabmagan*, instar calcei; *kijttem-en*, instar gratiarum actionis: *cala-na*, instar piscis; *leipä-nä*, instar panis.

C. DE GRADIBVS.

Qualitas, et proprietas, adiectiuo expressa, et per hoc alicui subiecto attributa, gradum habet. Definitur autem *gradus* iste facta collatione subiecti, de quo sermo est, cum subiectis aliis; quae eadem sunt qualitate, ac proprietate, et hac spectata, vel superant subiectum illud, vel sunt eo inferiora.

Sed huiusmodi collatio non semper instituitur. Nam saepissime absolute effertur subiecti qualitas,

ac proprietas: ex. gr. *bonus ciuis*, *fortis miles*. Quando autem instituitur, fit ea modo duplici. Nam subiectum, de quo agitur, comparatur vel cum vno tantum, aut cum nonnullis: ex. gr. *Maior Hunyadio*, *Illustrior Bátoriis*; vel cum omnibus generatim, quibus ea conuenit qualitas, ac proprietas; ex. gr. *felicissimus mortalium*, *miserrimus omnium*.

Collatio subiecti cum subiectis aliis, sintne qualitate, ac proprietate spectata, eo superiora, an inferiora, *comparatio* dicitur.

Qualitatis, ac proprietatis gradus, adiectiuo absolute expressus, est *positiuus*; habetque terminationem adiectiui, ad absolutam expressionem destinati.

Is vero gradus qualitatis, ac proprietatis, qui, collatione subiecti, cum vno tantum, vel cum nonnullis facta, exprimitur, *comparatiuus* dicitur; ille vero *superlatiuus*, qui, collatione cum omnibus generatim instituta, indicatur.

Forma vtriusque, singularis, ac distincta est; etiam separatim sumta olim certe significans, vt omnes reliquae, in lingua quidem nostra.

1. *Comparatiui gradus* formatiuum est *öb*, vocali congruenter mutata, *ab*, *ob*, *eb*, origine sua nomen adiectiuum, *abundans*, *copiosus*, *nimius*; quod comparatiuum praebet cum circumscriptione, adiectiuo absoluto, quod inflectitur, aduerbii modo affixum. Eius consona ad emphasim geminari solet; cum nonnullis vero consonantibus

etiam asyllabum, vocali absorpta, solum nempe *b*, pulchre iungitur.

Huius formationis exempla praebeant adiectiua absoluta: *nagy*, magnus; *szük*, angustus; *tágas*, amplus; *édes*, dulcis; *puha*, mollis; *gyenge*, tener. *Nagy-obb*, maior; *szük-ebb*, angustior; circumscriptione genuine reddita, *magnus abundanter, copiose; angustus nimium*; sic et reliqua: *tágas-b*, *édes-b*, *puhá-bb*, *gyengé-bb*.

Est hoc formatiuum ipsum adiectiuum, hodieque superstes, eadem significatione, quam exposui, *bő*, vocali serius post consonam pronunciata. Eam vero videtur id in principio, etiam seperatim sumtum, ante consonam habuisse. Siquidem apud Lappones *åbla*, cui consonam *l*, et vocalem in fine, addidit intensior pronunciatio, reuera a vocali inchoat, aeque *abundans, copiosus*. Olim fuit haec vocula ore etiam rotundissimo prolatum, *bű*; vnde et inuersum *üb* comparatiuum dedit *nagy-ub*, vt saepe recurrit apud Siluestrum: Nagyub vagi te az mi atankual Jacobnal (Ioan. Cap. IV. vers. 12.; Numquid tu maior et patre nostro Iacob? Habuit et spiritum obscurum, qui hodie quiescit, *böv*, *büv*; quod etiam inuersum retinuit, *vöb*, *vüb*. Et eo in spiritum lenem abeunte, *jöb*, *jüb*, natus est frequens comparatiuus *boldod-jab*; qualem inter ceteros habet Lépesius: *Boldogjab orszâg* (De Regn. Coel. pag. 95.); Beatius regnum.

Principio certe fuit *åbla* et Lapponibus simplicius, *ob*, *ub*, *oub*; etiam vocali post consonam expressa, *bu*, *buo*. Formauit et illis, hodieque format comparatiuos, et prolixius, et breuius: *jorbabbuo*, rotundior, a *jorba*, rotundus; *ånebbuo*, breuior, ab *åne*, breuis; dialecto autem australium *ånekub*, breuior, ab *ånek*,

breuis; praeterea *nioskab*, humidior, a *nioska*, humidus; *zjabbeb*, pulchrior, a *zjaabbe*, pulcher.

Fennis quoque idem est comparatiui formatiuum: pro dialecti tantum ratione, vocali in fine mutata; et consona *b* cum eiusdem organi consona *p* alternante; deinde in harum geminatione, ex more eorum, priore *b*, vel *p*, in *m*, eiusdem aeque organi consonam, abeunte: ex gr. *mustembi*, *mustempi*, nigrior, a *musta*, niger; *sywembi*, *sywempi*, profundior, a *sywä*, profundus. Vltro patet, haec, literis formatiui pure enunciatis, etiam geminando, vt Lappones faciunt, sic esse debere: *mustebbü*, *sywebbü*.

Literarum eiusdem organi commutabilitas, apud has gentes admodum frequens, clare indicat Esthonum quoque formam comparatiui, in dialecto Revalensi, consonam vtpote *m*, esse eandem *b* consonam. Sed statim liquidius confirmatur hoc dialecto Dörptensi, in qua ad *m* et *b* accedit: ex. gr. *surrem*, *surremb*, maior, a *surr*, magnus; *keletum*, *keletumb*, magis mutus, a *keleto*, mutus. Et ista, purius prolata, procul dubio sic essent: *surreb*, *keletub*; *surrebb*, *keletubb*.

2. *Superlatiui gradus* formatiuum est *leg*, comparatiuo praemissum; origine sua et hoc nomen pariter adiectiuum, *superfluus*, *vltra modum multus*, *valde nimius*; priori circumscriptioni, ad summam intensionem, aeque aduerbialiter adiectum.

Comparatiui superiores, praemisso hoc formatiuo, sic fiunt superlatiui: *leg nagy-obb*, maximus; *leg szük-ebb*, angustissimus; intensae circumscriptionis vi genuine expressa, *superflue magnus abundanter*; *superflue angustus nimium*; simili modo et alia: *leg tágas-b*, *leg édes-b*, *leg puhá-bb*, *leg gyengé-bb*.

a. Est vero *leg* istud, hac *superflui*, et *vltra modum nimii* notione, saepe vel solum, sine comparatiuo, cum solo tantum positiuo iunctum, sufficiens ad exprimendum superlatiuum, qualem vulgo habemus in his formulis: *leg elsö*, *leg utólsó*, *leg alsó*, primus omnium, vltimus omnium, infimus omnium.

b. Solet tamen vulgo, ad intensionem longe maximam, etiam geminari, copula *és* interiecta, tam ante hos positiuos, quam etiam ante ipsos comparatiuos: *leg és leg elsô*, *leg és leg nagyobb*; sed in quo nexu, pronunciandi celeritate, copula *és*, amisso accentu correpta, priori *leg* adiungitur: *leges leg elsö*, *leges leg nagyobb*.

Leg nostrum: origine sua reuera nomen, idque adiectiuum, viget hodieque apud Esthones, et Lappones, ex lingua primigenia, ad nostros, et ad eorum maiores, pariter propagatum. Sed cuius illi erant nostris tenaciores vsu latiore. Nostri incurii, vt multa alia, ita et hoc fere elabi siuerunt: et, vbi superest, in formando scilicet superlatiuo, esset notione tantum obscura; nisi affines linguae istae facem praeferrent. Esthonibus enimuero *liig*, *ligà*, Lapponibus autem *like*, qui vocem fere omnem amant vocali terminare, hac omissa vtrumque cum nostro tanto congruentius, eadem est reuera significatione, quam iam dedi, überlaſt, zu viel, zu sehr; *superfluus*, *vltra modum multus*, *valde nimius*.

Esthones porro etiam in superlatiuo formando prorsus eundem habent, quem nos, morem: comparatiuo adiiciunt in dialecto Revalensi *keige*, in Dörptensi *kige*, deriuatum nominis adiectiui *keig*, omnis, totus;

quod, aduerbii modo, hoc ferme reddit, *prae omni, in toto, generatim:* ex. gr. *keigè surrem, kige surremb,* maximus; *keige keletum, kige keletumb,* maxime mutus; proprie, geminata circumscriptionis vi ad verbum expressa: *prae omni, in toto, magnus abundanter, mutus nimium.*

Conspirat et Lapponum consuetudo cum nostra, et in modo quidem vtroque. Nam et illi *mus* idem, superlatiui formatiuum proprium, origine sua itidem nomen, et positiuo, et comparatiuo, promiscue adiiciunt. Positiui *zjabbes*, pulcher, *jorbes*, rotundus, dant comparatiuos *zjabbes-eb*, pulchrior, *jorbes-eb*, rotundior; de quibus vtrisque, de ipsis nempe positiuis, et comparatiuis, distincti fiunt superlatiui: *zjabbes-e-mus, jorbes-e-mus;* etiam *zjabbeseb-mus, jorbeseb-mus;* pulcherrimus, rotundissimus.

Hoc nomen *mus* est Lapponibus commune cum Hebraeis, Chaldaeis, Syris, et Arabibus. Et cum Hebraeis quidem est hoc illis commune etiam superlatiui formatiuum. Hebraei, inter reliquas superlatiui circumscriptiones, et hac vtuntur: מְאֹד (*mod*) adnectunt positiuo, ex. gr. טוֹב (*tob*), bonus; quo fit טוֹב מְאֹד (*tob mod*), optimus. Est vero מְאֹד (*mod*), nominis valore, *multitudo, copia, abundantia;* aduerbialiter autem, *multum, copiose, abundanter, valde.* Quare טוֹב מְאֹד (*tob mod*), est proprie *bonus abundanter, bonus valde.* Idem מְאֹד (*mod*), consona ד (*daleth*) sibilante *mos*, conuenit cum alio nomine Hebraico, Chaldaico, Syriaco, vel est idem ipsum potius dicendum, auctum a fine ה (*he*), et א (*aleph*), adspirationibus: מִסָּה (*miszsza*), מִסָּא (*miszszá*), מְסָא (*meszszá*), *sufficientia, multum satis.* Omissis literis finalibus, haec monosyllaba facta, restituunt simplicem primigeniam vocem מַס (*masz*), hac forma apud Arabes superstitem, cum eadem significatione, *sufficiens,*

multus. Et haec, inter se collata, ostendunt luce clarius; idem *mus*, *mos*, *mas*, vt orientale, ita et Lapponicum esse, ad gentes istas certe ex lingua primigenia deriuatum.

Apud Fennos demum superlatiui forma est *mustin*, *sywin*, nigerrimus, profundissimus, de positiuis *musta*, *sywä*, niger, profundus. In quo videor mihi videre quandam speciem circumscriptionis rursus Hebraicae: quae fit adminiculo particulae מִ (*mi*), hoc vsu *prae*, ex מִין (*min*), *inter*, *ex*, *de*; quando scilicet gradus qualitatis, quae adiectiuo exprimitur, maior indicatur, quam sit in ipsis subiectis, quae ea qualitate excellunt: ex. gr. מָתוֹק מִדְּבַשׁ (*máthok midbasch*), *dulcis prae melle*, id est, *dulcissimus.* Ex hoc vsu inualuerit apud Lappones *in* idem, tantum *m* in *n* mutato, vt fere apud Latinos praepositio *prae*, ad superlatiuum significandum sola sui affixione ad adiectiuum: *mustin*, ex *musta* et *in*, eadem collocatione *niger prae*, Latina vero *praeniger*, sicuti *praedulcis*, *praediues.*

D. DE GENERE.

Ad accidentias refertur et genus in linguis aliis. Sed nos generis discrimina, nec articulis, nec terminationibus habemus distincta. Magno itaque discentium commodo absunt hac parte molestiae, aliarum linguarum studio satis notae.

Indicamus tamen, praeeuntibus Grammaticis praecipuis, Molnáro, et Pereszlényio, quaedam nomina hominum, et animalium: quae institutione sui sexum a sexu distinguunt.

1. NOMINA SEXVS MASCVLINI.

Masculini sunt sexus primum nomina virorum propria: *Antal*, Antonius; *Lajos*, Ludouicus; *Péter*, Petrus; *Tamás*, Thomas.

Deinde nomina naturae virilis: *férfi*, et *férfiú*, vir; *atya*, pater; *fi*, et *fiú*, filius; *legény*, iuuenis; *bátya*, frater maior natu; *ötse*, frater minor natu; *ip*, socer; *vő*, gener, etc.

Nomina officiorum virilium: *király*, rex; *hadnagy*, belli dux; *bíró*, iudex, etc.

Accedunt brutorum nomina tantum mares significantia: *hím*, nomen genericum, masculus; *kakas*, gallus; *gúnár*, anser masculus; *kan*, verres; *kos*, aries; *bak*, hircus; *bika*, taurus; *mén*, *ménló*, equus admissarius.

2. NOMINA SEXVS FEMININI.

Similiter feminini sunt sexus primum nomina mulierum propria: *Borbála*, Barbara; *Erzsébet*, Elisabetha; *Ilona*, Helena; *Katalin*, Catharina.

Deinde nomina naturae femineae: *aſzſzony*, mulier; *nő*, femina, vxor; *feleség*, itidem vxor; *anya*, mater; *leány*, *leányzó*, filia, et puella; *néne*, soror maior natu; *húg*, soror minor natu; *napa*, socrus; *meny*, nurus, etc.

Item nomina officiorum muliebrium: *dajka*, nutrix; *bába*, obstretrix, etc.

Sequuntur nomina brutorum tantum femellas significantia: *nöstény*, nomen genericum, femella; *tehén*, vacca; *kantza*, *katzola*, caballa; *jértze*, gallina; *jerke*, agna; *eme*, porca; *magló*, equa: *magdiſznó*, porca.

3. VTRIQVE SEXVI COMMVNIA.

Quaedam vtrique sexui communia sunt: *ember*, homo; *gyermek*, puer, puella, proles; *ro-*

kon, cognatus, cognata; *atyafi*, frater, soror, cognatus, cognata. Tobias sic alloquitur vxorem (V. 20.): *Ne gondolj véle, atyámfia!* Ne sollicita sis, soror mea!

His quandoque ad sexus differentiam addi solet sexus nomen genericum: *férfi gyermek*, soboles mascula; *leány gyermek*, soboles femella.

Sunt et officiorum nomina communia: *fejedelem*, princeps; *próféta*, propheta; *gazda*, hospes; *szakáts*, cocus; sed quibus vulgo addi solet nomen feminae, *aszszony*, ad sexum femineum aperte indicandum: *fejedelem aszszony*, princeps femina; *próféta aszszony*, prophetissa; *gazda aszszony*, hera, hospita; *szakáts aszszony*, coca.

Similiter et animalium nomina quam plurima vtrumque sexum complectuntur: *veréb*, passer; *galamb*, columba; *sas*, aquila; *egér*, mus; *matska*, catus; *bárány*, agnus, etc. Quibus ad sexus differentiam adduntur generica sexuum nomina, *hím*, et *nöstény*: *hím veréb*, *nöstény veréb*. Telegdius sic distinguit agnum anniculum, *esztendős hím bárány* (Part. II. pag. 33.). Sed pro *hím* dicitur vulgo et *kan*, verris nomen, praesertim de specie ferociore, vel lasciuiore: *kan matska*, *kan veréb*.

CAPVT I.

DE INFLEXIONE SVBSTANTIVORVM PER NVMEROS, ET CASVS.

Nominum cumprimis substantiuorum inflexio per numeros, et casus, *declinatio* vocari solet.

Ea in lingua quidem nostra, singulari compendio, proprie tantum vnica est; quod affixa formatiua numerorum, et casuum, seu horum terminationes, a quibus est in linguis aliis declinationum maior, vel minor numerus, in nostrorum nominum omni inflexione eaedem sint; et vocalium in iis mutatio, secundum leges euphoniae, modo in crassas, modo in tenues, discrimen non tantum adferat; vt harum ratione aliqua fieri debeat declinationum distinctio.

Si quod tamen adhibendum est in inflectendis nominibus discrimen; puto id oportunius sumendum esse ab ipsa eorum forma, et indole: qua de iis alia in consonam desinunt, et inter inflectendum vel integra manent, vel contrahuntur postrema vocali absorpta; alia vero vocali terminantur, vel pura, vel spiritu obscuro *v* in ea quiescente.

Atque hac omnino distinctione lubet exhibere delecta declinationum paradigmata: quae mihi magis accommoda videtur ad quasdam etiam deflexiones, vel prorsus tollendas, vel certe facilius explicandas.

Quo consilio iam quatuor erunt declinationes nostrae; singulae, ad maiorem claritatem, plurium

paradigmatum dupliici serie propositae, tenuium, et crassarum vocalium.

Prima declinatio nominum, in consonam desinentium, radice integra, per omnes casus in vtroque numero.

Secunda nominum, in consonam desinentium praeeunte vocali breui, et radice contracta, ob eam vocalem absorptam, in accusatiuo singulari, et in toto numero plurali.

Tertia nominum, pura vocali terminatorum, per omnes casus vtriusque numeri.

Quarta nominum, in vocalem exeuntium, quiescente in ea spiritu obscuro *v*, sed in accusatiuo singulari, et in toto numero plurali, in motum posito.

§. I. DECLINATIO PRIMA NOMINVM IN CONSONAM DESINENTIVM, RADICE INTEGRA.

A. PARADIGMATA.

1. VOCALIVM CRASSARVM.

a. Singulari Numero.

	Limes.	Propinquus.	Gallina.
Nom.	*Határ.*	*Rokon.*	*Tyúk.*
Gen.	*Határ-é.*	*Rokon-é.*	*Tyúk-é.*
Dat.	*Határ-nak.*	*Rokon-nak.*	*Tyúk-nak.*
Acc.	*Határ-t.*	*Rokon-t.*	*Tyúk-ot.*
Abl.	*Határ-tól.*	*Rokon-tól.*	*Tyúk-tól.*
Mut.	*Határ-rá.*	*Rokon-ná.*	*Tyúk-ká.*
Subst.	*Határ-úl.*	*Rokon-úl.*	*Tyúk-úl.*

b. Plurali Numero.

Nom.	*Határ-ok.*	*Rokon-ok.*	*Tyúk-ok.*
Gen.	*Határ-ok-é.*	*Rokon-ok-é.*	*Tyúk-ok-é.*
Dat.	*Határ-ok-nak.*	*Rokon-ok-nak.*	*Tyúk-ok-nak.*
Acc.	*Határ-ok-at.*	*Rokon-ok-at.*	*Tyúk-ok-at.*
Abl.	*Határ-ok-tól.*	*Rokon-ok-tól.*	*Tyúk-ok-tól.*
Mut.	*Határ-ok-ká.*	*Rokon-ok-ká.*	*Tyúk-ok-ká.*

2\. VOCALIVM TENVIVM.

a. Singulari Numero.

	Homo.	Stimulus.	Ignis.
Nom.	*Ember.*	*Öſztön.*	*Tüz.*
Gen.	*Ember-é.*	*Öſztön-é.*	*Tüz-é.*
Dat.	*Ember-nek.*	*Öſztön-nek.*	*Tüz-nek.*
Acc.	*Ember-t.*	*Öſztön-t.*	*Tüz-et.*
Abl.	*Ember-töl.*	*Öſztön-töl.*	*Tüz-töl.*
Mut.	*Ember-ré.*	*Öſztön-né.*	*Tüz-zé.*
Subst.	*Ember-ül.*	*Öſztön-ül.*	*Tüz-ül.*

b. Plurali Numero.

Nom.	*Ember-ek.*	*Öſztön-ök.*	*Tüz-ek.*
Gen.	*Ember-ek-é.*	*Öſztön-ök-é.*	*Tüz-ek-é.*
Dat.	*Ember-ek-nek.*	*Öſztön-ök-nek.*	*Tüz-ek-nek.*
Acc.	*Ember-ek-et.*	*Öſztön-ök-et.*	*Tüz-ek-et.*
Abl.	*Ember-ek-töl.*	*Öſztön-ök-töl.*	*Tüz-ek-töl.*
Mut.	*Ember-ek-ké.*	*Öſztön-ök-ké.*	*Tüz-ek-ké.*

3\. VOCALIVM ACVTARVM.

a. Singulari Numero.

	Pons.	Lusus.	Aqua.	Color.
Nom.	*Híd.*	*Játék.*	*Víz.*	*Festék.*
Gen.	*Híd-é.*	*Játék-é.*	*Víz-é.*	*Festék-é.*
Dat.	*Híd-nak.*	*Játék-nak.*	*Víz-nek.*	*Festék-nek.*
Acc.	*Hid-at.*	*Játék-ot.*	*Viz-et.*	*Festék-et.*
Abl.	*Híd-tól.*	*Játék-tól.*	*Víz-töl.*	*Festék-töl.*
Mut.	*Híd-dá.*	*Játék-ká.*	*Víz-zé.*	*Festék-ké.*
Subst.	*Híd-úl.*	*Játék-ül.*	*Víz-ül.*	*Festék-ül.*

b.

b. Plurali Numero.

Nom.	*Hid-ak.*	*Játék-ok.*	*Viz-ek.*	*Festék-ek.*
Gen.	*Hid-ak-é.*	*Játék-ok-é.*	*Viz-ek-é.*	*Festék-ek-é.*
Dat.	*Hid-ak-nak.*	*Játék-ok-nak.*	*Viz-ek-nek.*	*Festék-ek-nek.*
Acc.	*Hid-ak-at.*	*Játék-ok-at.*	*Viz-ek-et.*	*Festék-ek-et.*
Abl.	*Hid-ak-tól.*	*Játék-ok-tól.*	*Viz-ek-től.*	*Festék-ek-től.*
Mut.	*Hid-ak-ká.*	*Játék-ok-ká.*	*Viz-ek-ké.*	*Festék-ek-ké.*

B. OBSERVATIONES.

1. DE ACCVSATIVO SINGVLARI.

a. FORMATIVVM ASYLLABVM.

Accusatiui formatiuum in numero singulari asyllabum assumunt nomina terminata simplici consona *l*, *ly*, *n*, *ny*, *r*, *s*, *ſz*: ex. gr. *ital*, *italt*, potus; *étel*, *étel-t*, cibus; *guzsaly*, *guzsaly-t*, colus; *hüvely*, *hüvely-t*, vagina; *kan*, *kan-t*, verres; *len*, *len-t*, linum; *bálvány*, *bálvány-t*, idolum; *erſzény*, *erſzény-t*, marsupium; *kár*, *kár-t*, damnum; *vér*, *vér-t*, sanguis; *sas*, *sast*, aquila; *kés*, *kést*, culter; *kaláſz*, *kaláſz-t*, spica; *füréſz*, *füréſz-t*, serra.

Quaedam vero, etsi cum asyllabo formatiuo commode possent coalescere, sunt tamen syllabico amiciora; praeeuntemque vocalem, si ea longa est, plerumque corripiunt, praesertim polysyllaba: *fal*, *falt*, et *fal-at*, murus; *hal*, *hal-t*, et *hal-at*, piscis; *tál*, *tált*, et *tál-at*, patina; sic et reliqua, quae sunt huius indolis: *fonál*, *fonal-at*, filum; *ſzél*, *ſzel-et*, ventus; *fedél*, *fedel-et*, tectum; *levél*, *level-et*, folium, epistola; *kötél*, *kötel-et*, funis; *nyil*, *nyil-at*, sagitta; *kalán*, *kalan-at*, co-

chlear; *szén*, *szen-et*, carbo; *tehén*, *tehen-et*, vacca; *arany*, *arany-at*, aurum; *fövény*, *föveny-et*, arena; *vár*, *vár-at*, arx; *nyár*, *nyar-at*, aestas; *sár*, *sar-at*, lutum; *agár*, *agar-at*, vertagus; *madár*, *madar-at*, auis; *pohár*, *pohar-at*, poculum; *ér*, *er-et*, vena; *egér*, *eger-et*, mus; *szekér*, *szeker-et*, currus, plaustrum; *kenyér*, *kenyer-et*, panis; *vas*, *vas-at*, ferrum; *viasz*, *viasz-at*, cera; *ész*, *esz-et*, mens; *mész*, *mesz-et*, calx.

Quae in *j* desinunt, numero pauca, alia asyllabum accipiunt; *baj*, certamen, lucta; *faj*, genimen, stirps; *raj*, examen apum; *olaj*, oleum; *szilaj*, petulcus; *baj-t*, *faj-t*, *rajt*, etc. alia vero syllabicum: *vaj*, butyrum; *haj*, crinis, pilus; *háj*, axungia; *héj*, cortex, crusta; *fej*, caput; *téj*, lac; *szíj*, lorum; *vaj-at*, *haj-at*, *háj-at*, *héj-at*, *fej-et*, *tej-et*, *szíj-at*.

b. FORMATIVVM SYLLABICVM.

Nomina alia, desinentia in reliquas simplices consonas, *b*, *tz*, *ts*, *d*, *f*, *g*, *gy*, *h*, *k*, *m*, *p*, *t*, *v*, *z*, et quibuscunque duplicibus terminata, formatiuum poscunt syllabicum.

Exempla sunt de prioribus: *hab*, fluctus; *seb*, vulnus; *vadótz*, lolium; *peretz*, spira; *kaláts*, torta, circulus; *követs*, lapillus; *nád*, arundo; *ebéd*, prandium; *tsúf*, probrum; *réf*, vlua; *ág*, ramus; *ég*, coelum; *ágy*, lectus; *begy*, ventriculus volatilium, ingluuies; *juh*, ovis; *méh*, apis; *homok*, zabulum; *fenék*, fundus; *szám*, numerus; *szem*, oculus, granum; *nap*, sol, dies; *gyöp*, her-

betum, ager incultus; *tsat*, fibula; *rét*, pratum; *név*, nomen; *ſzív*, cor; *ház*, domus; *méz*, mel. Haec accusatiuum sic habent: *hab-ot*, *seb-et*, *vadótz-ot*, *peretz-et*, etc.

De posterioribus vero sequentia: *gomb*, nodus; *abronts*, circulus, circulus doliaris; *gyümölts*, fructus; *kard*, gladius; *rend*, ordo; *barlang*, antrum; *palatzk*, lagena; *hüvelk*, pollex; *lant*, lyra; *kert*, hortus; *társ*, socius; *vers*, versus. Haec accusatiuum sic formant: *gomb-ot*, *abronts-ot*, *gyümölts-öt*, *kard-ot*, etc. Deflectit *pénz*, pecunia, in accusatiuo *pénz-t*.

Nomina, syllabico formatiuo increscentia, vocalem, quam longam habent ante simplicem consonam postremam, plerumque corripiunt: vt iam supra vidimus nonnulla, quibus hic alia adiicimus, terminationum ratione huc referenda: *lúd*, *lud-at*, anser; *rúd*, *rud-at*, temo; *ég*, *eg-et*, coelum; *légy*, *legy-et*, musca; *téj*, *tej-et*, lac; *fenék*, *fenek-et*, fundus; *út*, *ut-at*, via; *kút*, *kut-at*, puteus; *név*, *nev-et*, nomen; *fűz*, *fűz-et*, salix; *tűz*, *tüz-et*, ignis, etc. vsu discenda.

Sunt vero alia, quae longam vocalem, etiam aucta, retinent; *beſzéd*, *beſzéd-et*, sermo; *ſzék*, *ſzék-et*, sedes; *vidék*, *vidék-et*, territorium, vicinia; *ép*, *ép-et*, integer; *kép*, *kép-et*, imago, iaculum; *nép*, *nép-et*, populus; *pép*, *pep-et*, pulmentum; *ſzép*, *ſzépet*, pulcher, etc. aeque vsu notanda.

c. FORMATIVI VOCALIS CONGRVA.

1) VOCALIS CRASSA.

Nomina crassarum vocalium *a*, *o*, *u*, partem maximam habent formatiuum syllabicum *ot*. Quae *at* poscunt, pauciora sunt, faciliusque possunt notari.

Vnicum de iis nominibus, quae in *b* exeunt, idque monosyllabum: *láb*, *láb-at*, pes. Comparatiuus vero gradus omnis: *jobb*, *jobb-at*, melior; *nagyobb*, *nagyobb-at*, maior, etc.

Monosyllaba in purum *d* desinentia: *had*, bellum; *vad*, fera; *kád*, cadus; *nád*, arundo; *lúd*, anser; *rúd*, temo; *híd*, pons: *had-at*, *vad-at*, *kád-at*, *nád-at*, etc.

Quaedam itidem monosyllaba in *g*, et *gy*: *ág*, ramus; *fog*, dens; *agy*, cranium; *ágy*, lectus: *ág-at*, *fog-at*, etc.

Aeque monosyllaba in *j*: *vaj*, butyrum; *haj*, capillus; *háj*, adeps, axungia; *héj*, cortex; *ſzíj*, lorum: *vaj-at*, *haj-at*, etc.

Vnicum in *k*: *nyak*, *nyak-at*, collum, ceruix.

Quaedam monosyllaba in *l*: *hal*, piscis; *nyál*, saliua; *ſzál*, scapus; *tál*, patina; *nyúl*, lepus: *hal-at*, *nyál-at*, etc.

Plura in *r*, praesertim ea, quae, formatiuo syllabico aucta, longam vocalem corripiunt: *vár*, *vár-at*, arx; *úr*, *ur-at*, dominus; *nyár*, *nyar-at*, aestas, etc. quae iam supra memorata sunt.

Quaedam in *s* monosyllaba: *has*, venter; *vas*, ferrum; *nyárs*, veru; *társ*, socius: *has-at*, *nyárs-at*, etc.

Vnicum in *z*: *ház*, *ház-at*, domus.

2) VOCALIS TENVIS.

Nomina tenuium vocalium *e*, *ö*, *ü*, proprium habent formatiuum syllabicum *et*. Quaedam nihilominus de iis, quae *ö*, et *ü*, vocalem sonant, etiam polysyllaba quidem his referta, sed cumprimis monosyllaba, et duplici consona terminata, malunt *öt*: *köldök*, *köldök-öt*, vmbilicus; *üstök*, *üstök-öt*, caesaries, coma; *köd*, *köd-öt*, nebula; *dög*, *dög-öt*, cadauer, lues; *böjt*, *böjt-öt*, ieiunium; *nyüg*, *nyüg-öt*, pedica; sic porro et *fürt*, fasciculus; *kürt*, buccina; *füst*, fumus; *üst*, ahenum; *ezüst*, argentum.

Monosyllaba tamen sequentia malunt formatiuum *et*: *könyv*, *könyv-et*, liber; sic *öl*, vlna, orgya; *öv*, cingulus, etc. deinde *fül*, *fül-et*, auris; sic *ſzüz*, virgo; *tüz*, ignis, etc.

2. DE FORMATIVO PLVRALI.

a. VOCALI CRASSA.

Formatiuum plurale, semper syllabicum, vocali crassa, *ok* est frequentissimum; *ak* rarius, in iis tantum nominibus, quae amant in singulari accusatiui formatiuum *at*.

Exempla priorum sunt: *ital-ok*, *guzaly-ok*, *kan-ok*, *bálvány-ok*, etc. deinde *háb-ok*, *vadótz-ok*, *kaláts-ok*, *homok-ok*, *ſzám-ok*, etc.

Posteriorum vero: *láb-ak*, *had-ak*, *ágy-ak*, *nyul-ak*, *agar-ak*, *has-ak*, *ház-ak*, etc.

b. VOCALI TENVI.

Vocali tenui formatiuum plurale, itidem syllabicum perpetuo, est *ek* vsus latissimi; *ök* plerumque nominum, *ö*, et *ü* vocalem plenius sonantium; praesertim eorum, quae poscunt in singulari accusatiui formatiuum *öt*.

Exempla priorum sunt: *étel-ek*, *hüvely-ek*, *len-ek*, *erſzény-ek*, etc. deinde *seb-ek*; *ebéd-ek*, *peretz-ek*, *követs ek*, *ſzem-ek*, etc.

Posteriorum vero: *öſztön-ök*, stimuli; *ködmön-ök*, pellicia, rhenones; *bün ök*, peccata, etc. deinde *köldök-ök*, *köd ök*, *böjt-ök*, *nyüg-ök*, *fürt-ök*, etc.

3. DE ACCVSATIVO PLVRALI.

Accusatiui formatiuum in plurali numero semper est syllabicum, semperque idem, vocali crassa *at*, vocali tenui *et*.

Exempla priorum sunt: *ital-ok-at*, *guzsaly-ok-at*, *hab-ok-at*, *vadótz-ok-at*, etc. deinde *láb-ak-at*, *had-ak-at*, *nyul-ak-at*, *agar-ak-at*. etc.

Posteriorum vero: *étel-ek-et*, *hüvely-ek-et*, *seb-ek-et*, *peretz-ek-et*, etc. deinde *köd-ök-et*, *böjt-ök-et*, *nyüg-ök-et*, *fürt-ök-et*, etc.

4. DE NOMINIBVS VOCALIVM ACVTARVM.

a. DE MONOSYLLABIS.

Nomina vocalium acutarum monosyllaba, alia accipiunt formatiua vocali crassa, alia vocali tenui,

vtraque vsu discenda. Ad hunc tamen laborem subleuandum de vtrisque suppeditantur praecipua.

Assumunt formatiua vocali crassa: *héj*, *héj-nak*, *héj-at*, cortex; sic et reliqua, *híd*, pons; *ij*, arcus; *szíj*, lorum; *tsík*, lampetra; *gyík*, lacerta; *sík*, aluta inaurata, planities, lubricus; *tík*, gallina; *nyíl*, sagitta; *ín*, neruus; *kín*, cruciatus; *síp*, fistula; *sír*, sepulcrum, bustum; *zsír*, pinguedo; *fing*, crepitus ventris.

Formatiua vero vocali tenui expetunt: *frigy*, *frigy-nek*, *frigy-et*, foedus; sic et alia, *hím*, acupictum, et masculus; *íny*, palatum, gingiua; *hír*, fama, nuntium; *hit*, fides; *hív*, fidelis; *szív*, cor; *íz*, artus, sapor; *tíz*, decem; *víz*, aqua; *kints*, thesaurus; *íng*, indusium; *sing*, vlna; *liszt*, farina; *tiszt*, honos, officium; *pinty*, fringilla; *fitty*, talitrum: quibus accedunt disyllaba: *irígy*, inuidus; *mírígy*, glandula, apostema; *bilints*, manica; *kilints*, pessulus: deinde multa cum *é* acuto, tanto certius huc referenda, quod hac vocali vnicum sit ad classem priorem pertinens, iam supra indicatum: *éj*, *éj-et*, nox; sic porro *téj*, lac; *kéj*, *kény*, libentia, delicium; *kém*, explorator, etc.

b. DE POLYSYLLABIS.

In nominibus polysyllabis, postrema vocali acuta, vtra sint formatiua adhibenda; vltro monstrant vocales antecedentes; quales nempe istae fuerint, vel crassae, vel tenues.

Sic formatiua erunt vocali crassa, propter antecedentes vocales crassas, in nominibus: *szomszéd*,

vicinus, *ſzomſzéd-nak*, *ſzomſzéd-ot*; *ágyék*, femur, lumbi; *árnyék*, vmbra; *fazék*, olla; *ſzándék*, intentio; *ajándék*, donum, etc.

Tenui vero in aliis, propter antecedentes vocales tenues: *beſzéd*, sermo, *beſzéd-nek*, *beſzéd-et*; *környék*, tractus, vicinia; *festék*, color; *főzelék*, edulium coctum; *nevendék*, nouellus, succrescens, etc.

Excipitur *derék*, corpus, systema, membrum, quod non respicit vocalem priorem, sed crassam poscit in affixis, *deréknak*, *derekat*. Praeterea *Húsvét*, Pascha, proprie *carnis sumtio*, post vernum scilicet ieiunium, quod Paschate clauditur, quia compositum est, Pázmáno, et aliis, posteriore compositi parte inflectitur, *húsvétnek*, *húsvétet*. Quare peccat vulgus vsu contrario, *húsvét-nak*, *húsvét-ot*, *húsvét-ra*.

§. II. DECLINATIO SECVNDA NOMINVM IN CONSONAM DESINENTIVM RADICE CONTRACTA.

A. PARADIGMATA.

I. VOCALIVM CRASSARVM.

a. Singulari Numero.

	Maledictum.	Rubetum.	Fletus.
Nom.	*Átok.*	*Bokor.*	*Siralom.*
Gen.	*Átok-é.*	*Bokor-é.*	*Siralom-é.*
Dat.	*Átok-nak.*	*Bokor-nak.*	*Siralom-nak.*
Acc.	*Átk-ot.*	*Bokr-ot.*	*Siralm-at.*
Abl.	*Átok-tól.*	*Bokor-tól.*	*Siralom-tól.*
Mut.	*Átok-ká.*	*Bokor-rá.*	*Siralom-má.*
Subst.	*Átk-úl.*	*Bokr-úl.*	*Siralm-úl.*

b. Plurali Numero.

Nom.	*Átk-ok.*	*Bokr-ok.*	*Siralm-ak.*
Gen.	*Átk-ok-é.*	*Bokr-ok-é.*	*Siralm-ak-é.*
Dat.	*Átk-ok-nak.*	*Bokr-ok-nak.*	*Siralm-ak-nak.*
Acc.	*Átk-ok-at*	*Bokr-ok-at.*	*Siralm-ak-at.*
Abl.	*Átk-ok-tól.*	*Bokr-ok-tól.*	*Siralm-ak-tól.*
Mut.	*Átk-ok-ká.*	*Bokr-ok-ká.*	*Siralm-ak-ká.*

2. VOCALIVM TENVIVM.

a. Singulari Numero.

	Delictum.	Bos.	Gratia.
Nom.	*Vétek.*	*Ökör.*	*Kegyelem.*
Gen.	*Vétek-é.*	*Ökör-é.*	*Kegyelem-é.*
Dat.	*Vétek-nek.*	*Ökörnek.*	*Kegyelem-nek.*
Acc.	*Vétk-et.*	*Ökr-öt.*	*Kegyelm-et.*
Abl.	*Vétek-töl.*	*Ökör-töl.*	*Kegyelem-töl.*
Mut.	*Vétek-ké.*	*Ökör-ré.*	*Kegyelem-mé.*
Subst.	*Vétk-ül.*	*Ökr-ül.*	*Kegyelm-ül.*

b. Plurali Numero.

Nom.	*Vétk-ek.*	*Ökr-ök.*	*Kegyelm-ek.*
Gen.	*Vétk-ek-é.*	*Ökr-ök-é.*	*Kegyelm-ek-é.*
Dat.	*Vétk-ek-nek.*	*Ökr-ök-nek.*	*Kegyelm-ek-nek.*
Acc.	*Vétk-ek-et.*	*Ökr-ök-et.*	*Kegyelm-ek-et.*
Abl.	*Vétk-ek-töl.*	*Ökr-ök-töl.*	*Kegyelm-ek-töl.*
Mut.	*Vétk-ek-ké.*	*Ökr-ök-ké.*	*Kegyelm-ek-ké.*

B. OBSERVATIONES.

1. DE CONSVETVDINE CONTRAHENDI VOCES.

Voces copiosas, vocaliores consonis simplicibus per intermediam breuem vocalem seiunctis, solet lingua nostra contrahere, cum syllabarum compendio, expuncta intermedia breui illa vocali:

quoties eae, formatiuis pure vocalibus, vel a vocali inchoantibus, increscunt; et simplices earum consonae concursum non habent pronunciatu difficilem.

Haec contrahendi ratio superest ex consuetudine olim admodum familiari: qua voces, accedentibus formatiuis principio quidem syllabicis vocaliores factae, sed pronunciandi celeritate, absorpta formatiuorum vocali, iis iam asyllabis, mox in vsu esse coeperunt contractae, in ipsa etiam forma prima.

Nomina nempe, quae sunt paulo frequentiora, potissimum a verbis deriuata, duplici affixo formatiuo *el-em*, *al-om*, iam in nominatiuo contracta vsurpauit antiquitas: ***kegelm***, gratia; ***hatalm***, potentia; sed quae nos dudum resoluta dicimus, ***kegyelem***, ***hatalom***.

Idem pronunciandi compendium secuta sunt et alia nomina, vocaliora hodie: ex. gr. ***titok***, arcanum, mysterium; ***gyilok***, sica; olim ***titk***, ***gyilk***. Quorum pleraque aeque deriuata esse, sed simpliciora, videbimus loco suo: vt proinde contractio in iis procliuior fuerit formatiuis syllabicis in asyllaba coactis.

Deinde verba etiam, iam in ipsa tertia singulari persona modi indicatiui, fuerant aeque contracta in vsu: ***tsikorg***, stridet; ***érdeml***, meretur; pro hodiernis vocalioribus, ***tsikorog***, ***érdemel***.

Nominum hunc vsum contractum, in casu etiam recto, olim viguisse testantur et Codices MS. et libri

alii prelo expressi. Est *hatalm*, potentia, potestas, in vetustissima Allocutione Funebri. Occurrunt porro in Codice MS. Transl. Bibl. *értelm*, intellectus (Baruch III. 14. Dan. V. 14; *félelm*, metus, pauor (Iudith XIII. 29. Baruch VI. 4.); *siralm*, fletus (Iudith VI. 14. Esther XVI. 21.); et plura alia locis aliis. Deinde *gyötrelm*, poena, cruciatus; *kegyelm*, gratia; *oltalm*, defensio; *nyugalm*, quies, requies; *hiedelm*, refocillatio; *fajdalm*, dolor; et non pauca alia videri possunt in Sacris Sermonibus MSS. de M. V. Maria, in Vita MS. S. Pauli Eremitae, S. Alexii, S. Christinae. Legitur *titk*, arcanum, in Codice MS. Transl. Bibl. (Iudith II. 2. Esther VIII. 3.). Quaedam et hodiernus vsus promiscue contracta adhuc dicit, et magis vocalia: *sark*, et *sarok*, calx, calcaneum, cardo; *fark*, et *farok*, cauda. Fuit huiusmodi contractio olim frequens etiam in verbis, potissimum quae sunt de nominibus, accedente *og*, et *el*, formatiuo. Legitur *tsikorg*, stridet, in Codice MS. Transl. Bibl. (Amos II. 12; VIII. 3; IX. 5.). Deinde *érdeml*, meretur; *vezérl*, ducit, dirigit; *gyakorl*, frequentat, exercet; et alia habet Telegdius (Part. II. pag. 233. Part. III. pag. 476., 650.). Praetereo Pétsium, Lépesium, Marosvásárhelyium, et alios.

Veteres his nominibus, ita contractis, adiecerunt affixa formatiua, etiam a consonis inchoantia, quin ipsis concursus huiusmodi durior visus fuerit: *kegyelm-nek*, *kegyelm-töl*; *hatalm-nak*, *hatalm-tól*. Sunt et horum exempla in superstitibus eorum exemplis. Adiecerunt iisdem multo facilius, perinde ac nominibus duplici consona terminatis, affixa formatiua a vocali inchoantia. Haec ad nos ita peruenerunt, non item illa altera. Siquidem et rectos casus, *kegyelm*, *hatalm*, pronunciandi mol-

lities, serius inualescens, reperit aliquanto duriores: quapropter reddidit eos prolatu faciliores, reuocata vocali absorpta. Quod quidem ita dudum accidit; vt, priorem vsum aliquando viguisse, nulla sit apud vulgum memoria.

Huius vetusti vsus ignoratione, quia vocaliora, *kegyelem*, *hatalom*, dudum sola supersunt, formas alteras, natas de contractis per affixionem formatiuorum a vocali inchoantium, vsu vetusto aeque superstites, cum prioribus conciliare non norunt Grammatici nostri. Quare formationem commenti sunt non veram: quae fieret per *metathesim*, hoc est, propria vocali transposita, non aliunde, non a foris accepta.

Sic ista conceptis verbis docet Pereſzlényius (Part. I. Cap. II. §. 6. p. 19.); et alii omnes, certe eum secuti. Molnárus recte quidem ait elisionem in his fieri (Libr. I. Cap. XI. §. II. p. 54.): *Quaedam in accusatiuo singulari, et vbique in plurali numero, elidunt o ante g, k, l, m, n, r. finales.* Sed mox nutantem se ostendit adiecta nota dubia: o *eliditur in quibusdam casibus, vel metathesim patitur.* Quam postea repetit (Lib. I. Cap. XIV. p. 68.): *In hac quoque declinatione quaedam voces elidunt* e, *et* ö, *in quibusdam casibus, vel metathesim patiuntur.*

Auxit hunc errorem ignorata etiam formatiuorum natura. Nobis vero vocalia sunt ista, et significantia: aliqua, non omnia, absorptis vocalibus, quandoque bene iunguntur asyllaba; sed eas mox resumunt concursu duriore, fiuntque syllabica. Hae vocales, formatiuis suis propriae, cum iisdem acce-

dunt et istis nominibus, vsu vetusto contractis, elisa omnino eorum vocali, compendii caussa, non vero transposita; aliunde ergo, et reuera a foris veniunt, vt ipsa formatiua, quorum sunt partes, et quibuscum vna indicant adductam relationum notionem.

Expungi, seu elidi vocales clarum est etiam de verbis, in praeterito secundo, accedentibus nouis affixis formatiuis: ex. gr. *mos-ott*, lauit; *nyes-ett*, putauit, amputauit; assumto affixo pronomine personae primae, cum congrua mutatione, non dicimus, *mos-ott-am*, *nyes-ett-em*; sed elisa vocali *o*, et *e*, de praeteriti formatiuo, etiam consona *t* simplici, quae tantum ad emphasim est geminata: *mos-t-am*, laui; *nyes-t-em*, putaui, truncaui. Iam prout in his metathesim fieri non recte dixerimus, ita neque in illis nominum exemplis. Et in his quidem, etiamsi obscura sit formatiuorum natura, metathesim subsistere non posse vltro patet vel ex eo: quod vocalis, quae transponi dicitur, non sit loco altero semper eadem, sed diuersa: ex. gr. *hatalom*, *hatalm-at*, *hatalm-ak*; non vero *hatalm-ot*, *hatalm-ok*.

Est vero similis contractio apud Latinos quoque in vsu. Ex. gr. *pater*, *ager*, acceptis genitiui formatiuis, non dicuntur *pater-is*, *ager-i*; sed *patr-is*, *agr-i*, vocali, propter sonum breuissimum et alias raptim vtique prolata, inter consonas non duri concursus iam penitus absorpta. Haec ita fieri adeo clarum est; vt nulli in mentem venerit absurdam in his comminisci metathesim. Nos itaque in vsu simillimo, quem lingua ipsa planissimum exhibet, cur ficto vtamur explanandi adminiculo; vt, vbi manifesta est vocalis elisio, transpositionem dicamus fieri, non conuenientem cum nouis affixis formatiuis, propria vtique vocali sua iam praeditis, vel ipsis certe vocalibus?

a. NOMINA PROLIXIORA.

Nomina, quae nimiam vocalitatem suam elisa vocali moderantur, rarius hodie, quam olim, acceptis formatiuis vocalibus tantum, et a vocali inchoantibus, plurima sunt duplici formatiuo, *al-om*, et *el-em* nata, suaque hac forma prolixiora, et notatu faciliora: *irgalom*, misericordia; *kegyelem*, gratia; *diadalom*, victoria, praeualentia; *veszedelem*, pernicies, exitium.

b. NOMINA ALIA SIMPLICIORA.

Non numero, sed varietate sunt maiore nomina simpliciora, compendii causa olim pleraque, in casu etiam recto, pariter contracta; hodie vero cum formatiuis tantum a vocali inchoantibus. Eorum copiam facio secundum consonantium seriem, quae expuncta vocali intermedia, concursum olim fecerunt pronunciatu non tam durum, vt hodie facere sentiuntur, ipsis nominibus casu recto prolatis.

B cum *l*, *r*, *z*, concurrens, iam resolutum intermedia vocali in nominibus, quae sequuntur. *Kebel*, sinus; *köböl*, modius; *öböl*, gremium, sinus; *szobor*, statua, columna, palus; *tsöbör*, medimnus, tina; *koboz*, lyra. Eadem contracta: *kebl*, *köbl*, *öbl*, *szobr*, *tsöbr*, *kobz*.

Ts cum *k*. *Motsok*, macula. Contractum *motsk*.

D cum *r*. *Veder*, hydria; *szeder*, morum; *gödör*, cauerna. Vocali expuncta: *vedr*, *szedr*, *gödr*.

Szeder tamen curatiores cum adiecto *j* enunciant, *szederj*: quae forma iam non potest contrahi.

G cum *ly*, *z*. *Bagoly*, bubo; *fogoly*, perdix, et captiuus; *tegez*, pharetra. Eadem contracta: *bagly*, *fogly*, *tegz*.

J cum *m*. *Majom*, simia. Contractum: *majm*.

K cum *l*, *ny*, *r*. *Akol*, caula; *pokol*, infernus; *gyakor*, frequens; *ököl*, pugnus; *takony*, pituita, mucus; *bokor*, rubetum; *ökör*, bos; *tükör*, speculum. Contracta: *akl*, *pokl*, *ökl*, *takny*, *gyakr*, *bokr*, *ökr*, *tükr*.

L cum *g*, *k*, *m*. *Dolog*, labor, res; *lélek*, anima; *gyilok*, sica; *tulok*, iuuencus; *álom*, somnus, somnium; *halom*, tumulus, collis; *malom*, mola. Contracta: *dolg*, *lélk*, *gyilk*, *tulk*, *álm*, *halm*, *malm*.

Non sequuntur horum legem, licet ita sint vocalia, *balog*, sinister, *gyalog*, pedes.

Ly cum *k*, *m*. *Sulyok*, fistuca, tudes; *selyem*, sericum; *sulyom*, nux aquatioa. Contracta: *sulyk*, *selym*, *sulym*.

M cum *r*. *Gyomor*, stomachus. Contractum: *gyomor*.

Abludit *komor*, toruus, morosus.

P cum *ts*, *r*. *Kapots*, fibula; *kapor*, anetum; *eper*, fragum. Contracta: *kapts*, *kapr*, *epr*.

Sed hoc postremum accuratiores malunt cum adiecto *j*, *eperj*; quae forma iam non huc pertinet.

R cum *g*, *h*, *k*, *m*, *ny*. *Féreg*, vermis; *kéreg*, assula, cortex; *méreg*, venenum, virus; *nyereg*, ephippium; *horog*, hamus; *tereh*, onus; *árok*, fossa; *farok*, cauda; *marok*, vola; *sarok*,

calx, calcaneum, cardo; ***berek***, nemus, lucus; ***torok***, guttur; ***ſzurok***, pix; ***barom***, pecus, iumentum; ***három***, tria; ***járom***, iugum; ***verem***, scrobs; ***ſzirom***, membrana colorata; ***korom***, fuligo; ***köröm***, vnguis; ***üröm***, absinthium; ***torony***, turris. Contracta: ***férg***, ***kérg***, ***mérg***, ***nyerg***, ***horg***, ***terh***, ***írk***, ***fark***, ***mark***, ***sark***, ***berk***, ***tork***, ***ſzurk***, ***barm***, ***hárm***, ***járm***, ***verm***, ***ſzirm***, ***korm***, ***körm***, ***ürm***, ***torny***.

Renuunt contrahi, quamuis ita sint vocalia: ***sereg***, exercitus; ***üreg***, cauus; ***öröm***, gaudium.

Sz cum *k*, *l*, *n*. ***Féſzek***, nidus; ***piſzok***, sordes; ***jáſzol***, praesepe; ***haſzon***, vtilitas; ***váſzon***, tela. Contracta: ***féſzk***, ***piſzk***, ***jáſzl***, ***haſzn***, ***váſzn***.

T cum *k*, *r*. ***Átok***, maledictum; ***retek***, raphanus; ***étek***, cibarium; ***vétek***, erratum, delictum; ***ſzitok***, conuicium; ***titok***, arcanum, mysterium; ***lator***, latro, improbus; ***bátor***, animosus. Contracta: ***átk***, ***retk***, ***étk***, ***vétk***, ***ſzitk***, ***titk***, ***latr***, ***bátr***.

Deflectit ***sátor***, tentorium.

Ty cum *r*. ***Szatyor***, fiscilla, sporta. Contractum ***ſzatyr***.

Habent et Hebraei voces multas, celeriore pronunciatione sic contractas: אֵבְר (*ébr*), ala; קֹדְשׁ (*kódsch*), sanctitas; קֶצְף (*ketzph*), ira, indignatio; חֵרְב (*thérb*), pinguedo, omentum: quae, restituta vocali intermedia, vt Grammatici vocant, subsidiaria, fiunt et illis vocaliora: אֵבֶר (*éber*); קֹדֶשׁ (*kódesch*); קֶצֶף (*ketzeph*); חֵרֶב (*théreb*). Est haec consuetudo et Arabibus frequens.

2. DE

2. DE FORMATIVORVM VOCALI CONGRVA IN NOMINIBVS CONTRACTIS.

Duo sunt tantum in declinationibus formatiua praecipua, a vocali inchoantia, alterum accusatiui singularis, alterum pluralis numeri: quae huiusmodi nomina contracta esse volunt. Genitiui formatiuum, licet vocale, ea integra patitur. Illorum ergo vocales, quae sint hac inflexione congruentes, iam explanandae veniunt.

Contrahuntur haec nomina et alibi, cumprimis in affixione pronominum, ad indicandam possessionem, quod et ista a vocalibus inchoent. Vocalium congruens mutatio fere eadem est et in illo vsu, quae hic exponitur.

a. IN NOMINIBVS PROLIXIORIBVS.

Nomina prolixiora vocalium crassarum, duplici formatiuo *al-om* deriuata, habent accusatiui formatiuum perpetuo *at*, pluralis vero numeri *ak*: ex. gr. *siralom*, fletus, in accusatiuo est *siralm-at*, in plurali autem *siralm-ak*.

Sic et alia: *hatalom*, potestas, potentia; *alkalom*, pactum, conuentio; *ártalom*, nocumentum; *nyugalom*, quies, requies; *oltalom*, defensio; *ſzorgalom*, diligentia; *tartalom*, contentum; *fajdalom*, dolor; *bizodalom*, fiducia; *lakodalom*, conuiuium, etc.

Quae vero tenuibus sunt vocalibus, duplici formatiuo *el-em* nata, accusatiui formatiuum congruens accipiunt *et*, pluralis autem numeri *ek*: ex

gr. *kegyelem*, gratia, in accusatiuo est *kegyelm-et*, in plurali vero *kegyelm-ek*.

Ita et reliqua: *értelem*, intellectus; *félelem*, metus; *figyelem*, attentio; *gyötrelem*, cruciatus; *sérelem*, laesio; *sietelem*, properatio; *ſzerelem*, amor; *engedelem*, venia; *fejedelem*, princeps; *késedelem*, mora, etc.

b. IN NOMINIBVS SIMPLICIORIBVS.

Nomina simpliciora, vocalibus crassis, habent formatiuum et accusatiui, et pluralis numeri, harum vocalium nominibus familiarius, *ot*, et *ok*: ex. gr. *átok*, maledictum, *átk-ot*, *átk-ok*; *bokor*, rubetum, *bokr-ot*, *bokr-ok*; *ſzitok*, conuitium, *ſzitk-ot*, *ſzitk-ok*; *sulyok*, tudes, *sulyk-ot*, *sulyk-ok*, etc.

Quae vero tenues sonant vocales, his formatiuis differunt. Nomina enim, vocali *e* praedita, accipiunt *et*, atque *ek*; quae vero *ö*, et *ü*, vocalibus gaudent, assumunt *öt*, et *ök*; vtraque vocalibus suis omnino congruentia. Priorum sunt exempla: *vétek*, delictum, *vétk-et*, *vétk-ek*; *kebel*, sinus, *kebl-et*, *kebl-ek*; *féſzek*, nidus, *féſzk-et*, *féſzk-ek*, etc. Posteriorum vero: *ökör*, bos, *ökr-öt*, *ökr-ök*; *gödör*, cauerna, *gödr-öt*, *gödr-ök*; *tükör*, speculum, *tükr-öt*, *tükr-ök*, etc.

§. III. DECLINATIO TERTIA NOMINVM PVRA VOCALI TERMINATORVM.

A. PARADIGMATA.

1. VOCALIVM CRASSARVM.

a. Singulari Numero.

	Exemplum.	Forfex.	Pagus.
Nom.	*Példa.*	*Olló.*	*Falu.*
Gen.	*Példá-é*, vel *példá-jé.*	*Olló-é*, vel *olló-jé.*	*Falu-é*, vel *falu-jé.*
Dat.	*Példá-nak.*	*Olló-nak.*	*Falu-nak.*
Acc.	*Példá-t.*	*Olló-t.*	*Falu-t.*
Abl.	*Példá-tól.*	*Olló-tól.*	*Falu-tól.*
Mut.	*Példá-vá.*	*Olló-vá.*	*Falu-vá.*
Subst.	*Példá-úl.*	*Olló-úl.*	*Falu-úl.*

b. Plurali Numero.

Nom.	*Példá-k.*	*Olló-k.*	*Falu-k.*
Gen.	*Példá-k-é.*	*Olló-k-é.*	*Falu-k-é.*
Dat.	*Példá-k-nak.*	*Olló-k-nak.*	*Falu-k-nak.*
Acc.	*Példá-k-at.*	*Olló-k-at.*	*Falu-k-at.*
Abl.	*Példá-k-tól.*	*Olló-k-tól.*	*Falu-k-tól.*
Mut.	*Példá-k-ká.*	*Olló-k-ká.*	*Falu-k-ká.*

2. VOCALIVM TENVIVM.

a. Singulari Numero.

	Siparium.	Silva.	Annulus.
Nom.	*Serge.*	*Erdő.*	*Gyűrű.*
Gen.	*Sergé-é*, vel *sergé-jé.*	*Erdő-é*, vel *erdő-jé.*	*Gyűrű-é*, vel *gyűrű-jé.*
Dat.	*Sergé-nek.*	*Erdő-nek.*	*Gyűrű-nek.*
Acc.	*Sergé-t.*	*Erdő-t.*	*Gyűrű-t.*
Abl.	*Sergé-től.*	*Erdő-től.*	*Gyűrű-től.*
Mut.	*Sergé-vé.*	*Erdő-vé.*	*Gyűrű-vé.*
Subst.	*Sergé-ül.*	*Erdő-ül.*	*Gyűrű-ül.*

b. Plurali Numero.

Nom.	*Sergé-k.*	*Erdő-k.*	*Gyűrű-k.*
Gen.	*Sergé-k-é.*	*Erdő-k-é.*	*Gyűrű-k-é.*
Dat.	*Sergé-k-nek.*	*Erdő-k-nek.*	*Gyűrű-k-nek.*
Acc.	*Sergé-k-et.*	*Erdő-k-et.*	*Gyűrű-k-et.*
Abl.	*Sergé k-től.*	*Erdő-k-től.*	*Gyűrű-k-től.*
Mut.	*Sergé-k-ké.*	*Erdő-k-ké.*	*Gyűrű-k-ké.*

B. OBSERVATIONES.

DE INCHOANTE FORMATIVORVM VOCALI.

1. COALESCENTE.

Formatiua, cum significantia sint, origine sua verae scilicet voces, sunt hoc ipso et vocalia. In his quae praeeuntem habent vocalem, vti vocibus consona terminatis et hodie sua hac vocali integra accedunt, ea principio quidem, rudi adhuc formatione, sic omnino accesserunt vocibus etiam in vocalem desinentibus: primum, sicuti in illis, mutatione tantum congrua subsecuta; deinde serius inualescente etiam concretione vocalium sese contingentium: in qua praeualuit sonus vtplurimum prioris, quandoque et posterioris, quin etiam vterque in medium abiuit.

In declinationibus duo formatiua, a vocali inchoantia, alterum accusatiui singularis, alterum pluralis numeri, tenent partem maximam coalescendi rationem, praedominante sono vocalium, quae nominum sunt. Hae, si breues sunt, praesersim *a*, et *e*, hac concretione, duarum jam valore, longae fiunt. Quamquam istae produci solent acceptis formatiuis etiam a consona inchoantibus.

Sed in vocales breues *i*, et *u*, non exeritur haec vis. Istae vero tres *ó*, *ö*, et *ü*, sunt plerumque iam longae.

Formatio itaque acsusatiui singularis, in assumtis nominibus, rudi more primigenio, haec fuerat: *példa-et*, *olló-et*, *falu-et*, *serge-et*, *erdö-et*, *gyürü-et*; accommodatis postea vocalibus, *példa-at*, *olló-ot*, *falu-ot*, *erdö-öt*, *gyürü-öt*; iis demum coalescentibus, *példá-t*, *olló-t*, *falu-t*, *sergé-t*, *erdö-t*, *gyürü-t*. Eadem fuit pluralis quoque numeri formatio: *példa-ök*, *olló-ök*, *falu-ök*, *serge-ök*, *erdö-ök*, *gyürü-ök*; deinde *példa-ak*, *olló-ok*, *falu-ok*, *serge-ek*; postremo *példá-k*, *olló-k*, *falu-k*, *sergé-k*, *erdö-k*, *gyürü-k*.

Suppeditantur exempla eodem modo inflectenda.

Akna, salina, salis fodina; *anya*, mater; *atya*, pater; *bánya*, fodina; *tsata*, poelium, pugna; *dudva*, vepretum, carectum; *gólya*, ciconia; *kátsa*, anas; *ruha*, vestis.

Ajtó, janua; *bimbó*, germen, bacca; *holló*, coruus; *hordó*, dolium; *korsó*, amphora; *orsó*, fusus; *posztó*, pannus; *rigó*, merula; *szantó*, arator.

Álgyú, tormentum; *alku*, pactio, conuentio; *gyalu*, dolabra; *gyanu*, suspicio; *kapu*, porta; *saru*, calceus; *válú*, trulla; *karmantyu*, pellita manica; *sarkantyú*, calcar.

Eke, aratrum; *elme*, mens; *fetske*, hirundo, *fejsze*, securis; *füge*, ficus; *íge*, verbum; *kéve*, manipulus; *mente*, lacerna, pallium; *teve*, camelus.

Erő, vis, robur; *felhő*, nubes; *gedő*, hoedus; *kürtő*, fumarium; *szőlő*, vitis; *tüdő*, pulmo; *ülő*, incus; *veszsző*, virga; *esztendő*, annus.

Bötü, litera; *fésü*, pecten; *gözü*, gurgulis; *gyöpü*, maceria; *gyüszü*, ascopera; *külü*, pistillum; *söprü*, scopa; *örü*, vervex.

Hanc formationum seriem, a rudi principio, intermedia postea vocalium accommodatione, vsque ad concretionem postremam, doceo ad euidentiam loco magis opportuno, in exacta personarum formatione (Etym. Part. I. Sect. III. Cap. I. §. IV.). Strictim tamen attingo quaedam etiam in pronominum originibus (Etym. Part. I. Sect. II. Cap. I. §. II. A. 1. a. 3); deinde A. 4. b. 4); in euolutione.). Hic nihilominus ad id tantum volo animum aduerti: cum formatiua a vocali inchoantia, etiam affixa pronomina sic comparata, nominibus consona terminatis adiecta, proprias suas vocales perpetuo secum habeant; has in affixione cum nominibus in vocalem desinentibus, non aliter posse perire, cum reuera pereant, quam concretione cum praecedentibus; vnde illae plerumque longae fiunt, si antea breues erant. Prorsus idem dicimus, si istas ab illis prioribus absorberi doceamus.

2. MANENTE CONGRVENTER MVTATA.

Sunt tamen nomina; quorum alia manentem poscunt horum formatiuorum vocalem, congruenter dumtaxat mutatam, pluralis praesertim numeri; alia variant, assumendo et manentem, et coalescentem, vsu promiscuo.

a. Fi, filius, idem etiam in compositis, *úrfi*, herulus; *férfi*, mas, vir; *atyafi*, consanguineus; *tyúkfi*, pullus; *baromfi*, pecus; accusatiuum sin-

gularem sic habet, *fi-at*, *úrfi-at*, *férfi-at*, *atyafi-at*, etc. Sed in compositis fit etiam concretio, *úr-fi-t*, *férfi-t*, *atyafi-t*, etc. In plurali vero, manente vocali, semper integrum est formatiuum, *fi-ak*, *úrfi-ak*, *férfi-ak*, *atyafi-ak*, etc.

Adiectiua porro in *i* desinentia, et nomina gentilia, accusatiuum singularem etsi coalescente vocali, pluralem tamen numerum constanter manente formant.

Adiectiuorum sunt exempla: *nyári*, aestiuus; *tavaſzi*, vernus; *parti*, ripensis, litoralis; *öſzi*, autumnalis; *téli*, hyemalis; *teli*, plenus; *mennyei*, coelestis; *földi*, terrestris, conterraneus. Haec ita sunt in accusatiuo: *nyári-t*, *tavaſzi-t*, etc. *öſzi-t*, *téli-t*, etc. sic autem in plurali, *nyári-ak*, *tavaſzi-ak*, etc. *öſzi-ek*, *téli-ek*, etc.

Gentilium vero nominum: *Római*, Romanus; *Londoni*, Londinensis; *Budai*, Budensis; *Posonyi*, Posoniensis; *Bétsi*, Viennensis; *Velentzei*, Venetus; *Pesti*, Pestinensis; *Győri*, Iaurinensis. Eadem in accusatiuo: *Római-t*, *Londoni-t*, etc. *Bétsi-t*, *Velentzei-t*, etc. in plurali autem, *Római-ak*, *Londoni-ak*, etc. *Bétsi-ek*, *Velentzei-ek*, etc.

b. Nomina in *ú*, et *ü*, itidem adiectiua, accipiunt vtrumque formatiuum, vsu promiscuo, coalescente, et manente vocali, melius tamen manente, praesertim plurale.

Exempla sunto: *lassú*, tardus, lentus; *ſzomorú*, tristis; *domború*, conuexus; *görbe lábú*, curuipes; *nagy tudományú*, magna scientia praeditus;

sürü, densus; *keserü*, amarus; *gyönyörü*, amoenus; *fél szemü*, vnioculus; *kétes értelmü*, dubium sensum habens. Horum accusatiui sic sunt: *lassú-t*, et *lassú-at*; *szomorú-t*, et *szomorú-at*, etc. *sürü-t*, et *sürü-et*; *keserü-t*, et *keserü-et*, etc. Similiter etiam pluralia: *lassú-k*, et *lassú-ak*; *szomorú-k*, et *szomorú-ak*, etc. *sürü-k*, et *sürü-ek*, *keserü-k*, et *keserü-ek*, etc.

1) Quaedam nomina substantiua in *ú*, haec formatiua dupliciter sumunt, coalescente quidem vocali, sed praedominante *ú*, vel ea in breuem *a* mutata. Ea vero haec sunt: *fiú*, filius, ipsum *fi* auctum; *atyafiú*, consanguineus; *ifjú*, iuuenis; *borjú*, vitulus; *fattyú*, nothus; *gyapjú*, lana; *varjú*, cornix; quibus accedit adiectiuum *hoszszú*, longus. In accusatiuo singulari, *fiú-t*, *fia-t*; *ifjú-t*, *ifja-t*; *borjú-t*, *borja-t*, etc. Pariter in plurali, *fiú-k*, *fia-k*; *ifjuk*, *ifja-k*; *borjú-k*, *borj-ak*, etc.

His se accommodat nomen *bíró*, iudex: *bíró-t*, *bíró-k*; etiam *bírá-t*, *bírá-k*; et haec quidem altera magis vsitata.

2) Sunt porro alia nomina in *u*: in quibus hanc literam vsus duplici valore esse voluit, vocalis, et consonae: *daru*, et *darv*, grus; *hamu*, et *hamv*, cinis; *odu*, et *odv*, cauerna; *szaru*, et *szarv*, cornu. Quae proinde dupliciter etiam inflectuntur, more nominum vocali terminatorum, et in consonam desinentium: *daru-é*, *darv-é*; *daru-nak*, *darv-nak*; *daru-t*, *darv-at*; *daru-tól*, *darv-tól*, *daru-k*, *darv-ak*, etc.

His olim socium fuit *magu*, et *magv*, semen (Lépesio teste inter ceteros de Infer. pag. 402, et 403.). Sed hodie, et dudum satis, *u*, et *v* neglecto, *mag* est tantum in vsu: audimus tamen quandoque superstitem ex veteri more accusatiuum *magv-at*, et pluralem *magv-ak*; constantius vero adiectiuum *magv-as*, granosus, acinosus; deinde cum affixis pronominibus *magv-am*, *magv-ad*, *magv-a*, semen-mei, semen-tui, semen-eius, etc.

Etiam *ü*, in *tetü*, pediculus, in *v* mutatum, *tetv*, duplicem facit huius nominis inflexionem. In quo saepe hoc *ü* alternat cum *ö*, *tetö*, soni vicinitate. Sic olim scripta sunt et haec nomina: *könyö*, liber; *enyö*, gluten; *nyelö*, lingua: certe rectius *könyü*, *enyü*, *nyelü*; *ü* postea vocali in consonam *v* mutata, *könyv*, *enyv*, *nyelv*, quae sola supersunt hodie.

§. IV. DECLINATIO QVARTA NOMINVM IN VOCALEM EXEVNTIVM QVIESCENTE IN EA SPIRITV *V*.

A. PARADIGMATA.

1. Singulari Numero.

	Nix.	Equus.	Lapis.	Opus.
Nom.	*Hó.*	*Ló.*	*Kő.*	*Mű.*
Gen.	*Hó-é.*	*Ló-é.*	*Kő-é.*	*Mű-é.*
Dat.	*Hó-nak.*	*Ló-nak.*	*Kő-nek.*	*Mű-nek.*
Acc.	*Ha-v-at.*	*Lo-v-at.*	*Kő-v-et.*	*Mű-v-et.*
Abl.	*Hó-tól.*	*Ló-tól.*	*Kő-től.*	*Mű-től.*
Mut.	*Hó-vá.*	*Ló-vá.*	*Kő-vé.*	*Mű-vé.*
Subst.	*Hó-v-úl.*	*Ló-v-úl.*	*Kő-v-ül.*	*Mű-v-ül.*

2. Plurali Numero.

Nom.	*Ha-v-ak.*	*Lo-v-ak.*	*Kö-v-ek.*	*Mü-v-ek.*
Gen.	*Ha-v-ak-é.*	*Lo-v-ak-é.*	*Kö-v-ek-é.*	*Mü-v-ek-é.*
Dat.	*Ha-v-ak-nak.*	*Lo-v-ak-nak.*	*Kö-v-ek-nek.*	*Mü-v-ek-nek.*
Acc.	*Ha-v-ak-at.*	*Lo-v-ak-at.*	*Kö-v-ek-et.*	*Mü-v-ek-et.*
Abl.	*Ha-v-ak-tól.*	*Lo-v-ak-tól.*	*Kö-v-ek-töl.*	*Mü-v-ek-töl.*
Mut.	*Ha-v-ák-ká.*	*Lo-v-ak-ká.*	*Kö-v-ek-ké.*	*Mü-v-ek-ké.*

B. — OBSERVATIONES.

1. DE HALITVVM VSV ANTIQVO.

Fuit olim et nostris maioribus, ex more adhuc orientali, valde familiare: vt, tam in principio vocum ante vocales, quibus illae inciperent; quam etiam in fine post vocales, quibus voces terminarentur; halitum quendam, siue adspirationem, efflarent.

Hic vero halitus, siue spiritus, in nostrorum ore, fuit et asper quandoque, *h* nempe; sed obscurus multo frequentior, *v* nimirum, leni *j* vicinior.

Apud Aeoles quoque, Graeciae populum, olim in more fuisse constat, sed tantum ab initio vocum, pro leni, et aspero, Graecorum spiritu digamma F: quod, vti notat Victorinus Afer, Aeolibus idem valuit, quod apud Latinos V, cum pro consonante scribitur. Aeoles proinde sic ista scripserunt: Fανὴρ pro ἀνὴρ; Fέπτα pro ἕπτα; *v* literae sono *vaner*, *vepta*, pro *haner*, *hepta*.

In vetustissima Allocutione Funebri apparent huius consuetudinis vestigia omnino manifesta. Sunt illic cum halitu ab initio: *vimád*, orat; *víz*, sapor; *vő*, is, ille; pro hodiernis iam puris *imád*, *íz*, *ő*. Probatur hic vsus et Lapponum exemplis.

In eodem monumento idem halitus recurrit identidem etiam in fine vocum, praesertim monosyllabarum: *miv*, nos; *tiv*, vos; *hamuv*, cinis.

Clare autem patet, eum in his non fuisse neglectum, vel in quietem missum, etiam cum affixa formatiua accessissent, a consonante inchoantia. Nam *jov*, cum postpositione *ben* coniunctum, est illic *jovben*, in bono. Fuit ergo pariter et cum reliquis formatiuis, *jovnek*, bono, *jovtól*, a bono.

Iam istis, hoc quidem pacto in consonam desinentibus, adiecta formatiua, etiam a vocali inchoantia, *v* vtique domesticum, radicale, ac proprium repererunt. Affigendi ratio tota proinde regularis fuit; nisi quod *o* vocalis in plerisque in *a* fuerit mutata.

Atque huius omnino vsus tenacitate sunt et illa posteriorum temporum exempla in nomine *böv*, abundans: *bövnek*, abundanti; *bövség*, abundantia; in verbo praeterea *hiv*, vocat; *hivtok*, vocatis; *hivnak*, vocant. Sed verba hoc halitu praedita recurrent loco suo.

Hic nomina tantum indico, pauca numero, eaque monosyllaba, veteri hoc more: *hov*, nix; *jov*, bonus; *lov*, equus; *sov*, sal; *ſzov*, vox; *tov*, palus, lacus; *lev*, ius, iusculum; *böv*, copiosus, abundans; *köv*, lapis; *töv*, truncus, basis; *füv*, herba, gramen; *müv*, opus; *nyüv*, vermis, teres; *ſzüv*, cor.

2. DE HALITVVM NEGLECTV AETATE POSTERIORE.

Sed haec, olim tam regularia, hodie iam anomala esse dicuntur. Sensim nempe remisit, ac demum exspirauit penitus, adspirandi, et halitum emittendi consuetudo: suffecitque vocales in fine, pure prolatas, sono tantum acutiore producere, in compensationem neglecti halitus.

Haec sic nudata cum sint hodie in vsu, credanturque reuera origine sua sic pura esse; et supersint nihilominus formationes variae, in quibus formatiua a vocali inchoantia non coalescunt, sed, manente vocali congruenter mutata, integra accedunt, retento *v* halitu antiquo, *ha-v-at*, *lo-v-at*, *kö-v-et*, *mü-v-et*, *ha-v-ak*, *lo-v-ak*, *kö-v-ek*, *mü-v-ek*: ignoratione vsus vetusti, hoc *v* reuera domesticum, radicale, proprium, dicitur vulgo, aliunde, a foris allatum esse, euphoniae tantum caussa, per epenthesim.

Nos vero decet rectiora de his tradere. Monosyllaba nomina *hő*, *jó*, *ló*, *só*, *ſzó*, *tó*, *ló*, *bő*, *kö*, *tő*, *fü*, *mü*, *nyü*, *ſzü*, quae in casu recto, et cum affixis formatiuis a consona inchoantibus, pura esse videntur, habent halitum *v*, vsu primigenio sibi proprium; sed, more prorsus Hebraeo, ob nimiam eius lenitatem, sequente cumprimis consona soni vtique fortioris, in quietem missum, occultatum: qui, vtprimum alia formatiua, et affixa pronomina, a vocali inchoantia, nominibus arctiore nexu accedunt, de quiete statim in motum

redit, auditurque ante vocales, quae eius lenitatem, vt consonantes faciunt, non obruunt.

Et quiqui in linguae nostrae arcana curiosius inspiciunt; ipsamque cum Hebraica, ceterisque orientalibus, mire congruere vident; hanc quietem sic omnino docere malunt. Praeclare hoc facit inter recentiores Paulus Szentheus in sua Schola Hungarica (*Magyar Oskola.* pag. 13, et 22.): item et Beregszászius (Aehnlichkeit der hung. Sprache mit den morgenländ. Sect. I. §. 3. pag. 7.).

De nominibus tamen, quorum *v* quiescere dixi, *szü*, mutata vocali in *i*, suum *v* expressum habet et hodie, *sziv.* Praeterea *lé*, vt vulgo pronunciatur, in Párizpápaio bene est cum *v* scriptum, *lév.*

Quam optime fit praeterea: quod et alia quaedam nomina, quae in fine asperum habent halitum *h*, in eodem Lexico cum eo iuncta expresse notentur: *méh*, apis; iterum *méh*, vterus; *keh*, tussis; *doh*, putor; *joh*, hepar, iecur; *juh*, ovis; *rüh*, scabies; quibus addi deberet et *düh*, furor, rabies. Haec vulgo neglecta adspiratione efferuntur, *mé*, *jú*, *rü*, etc. Aucta affixis formatiuis, a vocali inchoantibus, iam cum halitu pronunciantur, *mé-h-et*, *ju-h-ot*, *rü-h-öt*, etc. Paria natura, et lege, superioribus halitu obscuro *v* praeditis.

Et si in his rectius exprimitur *h*; neque in alteris vitium est *v* proferre, et scribere; quod quidam in nonnullis faciunt, vt supra indicatum est, satis tuti antiquitatis auctoritate.

Si tamen negligimus; cedimus consuetudini, certe etiam apud Hebraeos serius introductae, hunc halitum, ob nimiam lenitatem, praesertim in concursu consonantium, supprimenti.

Quamquam grassanti huic consuetudini plura etiam collibuit peruertere. Nam adiectiuum *jó*, bonus, vulgo sic iam est in accusatiuo, *jó-t*, sic in plurali, *jó-k*: cum affixis pronominibus auditur tamen *ja-v-am*, *ja-va-d*, *ja-v-a*, etc.

Etiam ***tó***, et ***tö***, assumtis iisdem formatiuis, promiscuo sunt vsu: ***tó-t***, ***tö-t***, ***tó-k***, ***tö-k***; vel ***ta-v-at***, ***tö-v-et***, ***ta-v-ak***, ***tö-v-ek***; sed haec altera sunt tamen rectiora. Verum ***só***, et *ſzó*, sic habent constantius, accusatiuum, ***só-t***, *ſzó-t*; pluralem variant, ***só-k***, *ſzó-k*, etiam ***sa-v-ak*** et *ſza-v-ak*.

Tria haec nomina monosyllaba, ***fö***, caput, ***nö***, vxor, ***vö***, gener, non censentur ad hanc classem referenda esse. Accusatiuus *fej-et*, et pluralis *fej-ek*, videtur potius esse de nominatiuo *fej*. Ipsum *fö* est coalescentibus vocalibus, ***fö-t***, ***fö-k***; sic etiam ***nö***, et ***vö***, certius ***nö-t***, ***vö-t***, ***nö-k***, ***vö-k***.

CAPVT II.

DE INFLEXIONE ADIECTIVORVM PER GRADVS.

Adiectiuorum inflexio per gradus *comparatio* dicitur. Inflectuntur vero per gradus, non solum adiectiua, quae qualitates indicant; verum etiam participia, et ipsa vtique adiectiuorum valore praedita.

Est autem comparatio in lingua nostra quam facillima, praesertim nominum declinatione iam praemissa. Eadem enim discrimina habent et hic nomina adiectiua, et participia, per gradus inflectenda, siue ipsi positiui: sunt nempe alii consona finiti, radice vtplurimum integra, paucissimi contracta; alii porro in vocalem puram desinentes, obscuro spiritu tantum in nonnullis sese insinuante.

Comparatiuus, ex positiuo formatus, accepto sui gradus formatiuo vel syllabico, vocali congruenter mutata, vel asyllabo, vltro dat superlatiuum huius formatiuo sibi praemisso.

Sed iam paradigmata promimus, duplici et hic serie; alia tenuium, alia crassarum vocalium: quibus mox adnectimus etiam obseruationes necessarias.

§. I. COMPARATIO ADIECTIVORVM IN CONSONAM DESINENTIVM RADICE INTEGRA.

A. PARADIGMATA.

1. VOCALIVM CRASSARVM.

Gradus	Positiuus.	Comparatiuus.	Superlatiuus.
Diues.	*Gazdag.*	*Gazdag-abb.*	*Leg-gazdag-abb.*
Sobrius.	*Józan.*	*Józan-abb.*	*Leg-józan-abb.*
Prudens.	*Okos.*	*Okos-abb.*	*Leg-okos-abb.*
Malignus.	*Gonosz.*	*Gonosz-abb.*	*Leg-gonosz-abb.*
Petulans.	*Vásott.*	*Vásott-abb.*	*Leg-vásott-abb.*

2. VOCALIVM TENVIVM.

Senex.	*Öreg.*	*Öreg-ebb.*	*Leg-öreg-ebb.*
Alienus.	*Idegen.*	*Idegen-ebb.*	*Leg-idegen-ebb.*
Suauis.	*Kedves.*	*Kedves-ebb.*	*Leg-kedves-ebb.*

Audax.	*Mérész.*	*Mérész-ebb.*	*Leg-mérész-ebb.*
Solidatus.	*Rögzött.*	*Rögzött-ebb.*	*Leg-rögzött-ebb.*

3. VOCALIVM ACVTARVM.

Laetus.	*Víg.*	*Víg-abb.*	*Leg-víg-abb.*
Recens.	*Fris.*	*Fris-ebb.*	*Leg-fris-ebb.*
Mitis.	*Szelíd.*	*Szelíd-ebb.*	*Leg-szelíd-ebb.*
Inuidus.	*Irígy.*	*Irígy-ebb.*	*Leg-irígy-ebb.*

B. OBSERVATIONES.

1. FORMATIVVM SYLLABICVM.

Comparatiui formatiuum est syllabicum, cum propria sibi vocali, reuera *öb*, ipsum scilicet nomen *bö* inuersum, vt iam alibi satis exposui.

In affixione mutatur et huius vocalis congruenter vocalibus praecedentibus, et lege quidem simplicissima. Nam post vocales crassas abit ea semper in *a*; excepto vnico, quod sciam, nomine *nagy*, magnus, cui affixum sonat vocalem *o*, *nagyobb*, maior. Post consonas vero tenues, sine omni exceptione, manet tonstanter in *e* mutata.

Origo ipsius clare docet consonam *b* in ea simplicem esse; qualem fortasse retinere posset, frequenti veterum exemplo, formatio prima, nullo augmento increscens: ex. gr. *gazdagab*, *józanab*, *okosab*, *gonoszab*, *vásottab*. Pronunciandi maior intensio geminationem inuexit, auditui omnino sensibilem, accepto incremento a vocali inchoante: ex. gr. in accusatiuo singulari, *gazdagabbat*, *józanabbat*, *okosabbat*, *gonoszabbat*, *vásottabbat*; deinde in numero plurali, *gazdagabbak*, *józanabbak*,

zanabbak, *okosabbak*, *gonoſzabbak*, *vásottabbak*. Et hanc geminationem, perpetua consuetudine iam firmatam, isthic tollere non possumus. Ac propterea putatur ea, nec prima formatione, nec aliorum affixorum, a consona inchoantium, accessione, tolli posse; ne de aequabilitate non seruata arguamur. Eodem est iure, quod simili consuetudine dudum sibi arrogauit, etiam temporis praeteriti secundi formatiuum: cuius vera origo *t* consonam aeque simplicem habet. Sed redit tamen vtrumque, dum asyllabum fit, ad primigeniam simplicem consonam: Alterum illud suo loco, hoc vero alterum mox hic videbimus in exemplis.

2. FORMATIVVM ASYLLABVM.

Didicimus formatiuum accusatiui, origine sua, vt reliqua omnia, reuera syllabicum, fieri etiam asyllabum, amissa primigenia vocali, post certas consonas sibi amicas: ex. gr. *sast*, aquilam; *kést*, cultrum; *lent*, linum; *kárt*, damnum; a nominatiuis *sas*, *kés*, *len*, *kár*.

Idem accidit comparatiui gradus formatiuo, et vsu quidem non modo antiquo, sed etiam hodierno, post consonas sibilantes *s*, *ſz*, *z*. De primigenio *öb*, amissa vocali, remanet tum *b* omnino simplex. Quare comparatiui vocaliores: *okosabb*, prudentior; *kedvesebb*, suauior; *gonoſzabb*, malignior; *méréſzebb*, audacior; deinde *igazabb*, aequior; *nehezebb*, grauior; fiunt hac formatione contractiores: *okosb*, *kedvesb*, *gonoſzb*, *méréſzb*, *igazb*, *nehezb*.

Antiquorum hunc vsum probant eorundem exempla. Habet Telegdius: *Annyéval bünösbek valának* (Part. III. pag. 612.): Tanto magis sontes erant. Deinde Pétsius: *Semmi sintsen kedvesb* (fol. 75.): Nihil est acceptius. Etiam Lépesius dixit *nömösb* (Regn. Coel. pag. 95.): nobilius. Rursum Telegdius: *Semmi gonoszb nem lehet* (Part. II. pag. 404.): Nihil malignius esse potest, *Igazbak legyünk* (Ibid. pag. 463.): Iustiores simus. Iterum et Pétsius: *Nehezbek voltanak* (fol. 16.): Grauiores fuerunt.

Sed veterum vsu, certe et nobis imitabili, est hoc formatiuum etiam latius adhibitum, post consonantes alias, *g*, *k*, *l*, *n*, *ny*, *r*. Damus et horum exempla singillatim.

Post *g*. Occurrit apud Telegdium: *Annyéval betegbek valának* (Part. III. pag. 612.): Tanto aegriores erant. *A' kik vastagbak* (Part. II. pag. 418.): Qui robustiores sunt. Item apud Lépesium: *Boldogb orszag* (Regn. Coel. pag. 95.): Beatius regnum.

Post *k*. Legitur iterum in Telegdio: *Semmi alnakb dolog nem lehet* (Part. II. pag. 404.): Nulla astutior res esse potest. Deinde in Lépesio: *Temérdekb setetség* (De Inf. pag. 153.): Crassiores tenebrae.

Post *l*. Singulare est in Pétsio: *Közelb az terméſzethez* (fol. 8.): Propius est naturae. Quod confirmat vsus vetustior Codicis MS. Transl. Bibl. *Közelbén vépék* (Iudith XIV. 14.): Accessit proximius.

Post *n*. Habet Telegdius: *Idegenbek lettenek* (Part. III. pag. 656.): Alieniores facti sunt. Idem vero hoc *n*, sono vicinum literae *m*, multis locis in hanc labialem mutat propter sequentem eiusdem organi literam *b*. *Midőn erötlembnek esmérnéje magát* (Part. III. pag. 591.): Cum debiliorem se nosceret. Sic etiam Lépesius: *boldogtalamb*, *el viselhetetlemb* (De Inf. p. 99.); infelicius, intolerabilius. Item Pétsius: *Mi lehet istentelemb dolog* (fol. 47.)? Quae potest esse res magis impia?

Post *ny*. Vt istos taceam, et huic vsui addictos, Medgyesium memoro, multo seriorem. *Keményb gyakorlás*. (pag. 120.): Durior exercitatio. Vetustiores et hoc *ny* in *m* mutarunt ante *b*. Sic habet Lépesius: *Tzérna ſzálnál ſzakadékomb*, pro *ſzakadékonyb* (De Iuf. pag. 321.): Filo tenui facilior laceratu.

Post *r*. Telegdium resumo: *Jámborbak legyünk* (Part. II. pag. 463.): Probiores simus. Addo exemplum ex Codice MS. Transl. Bibl. *Ha látandja tü ſzemélyeiteket öſztövérbeknek* (Dan. I. 10.): Si viderit vultus vestros macilentiores. Item aliud ex Precum Libro MS. *Liliomnál fejérb*: Lilio candidior.

3. FORMATIVVM AVCTIVS.

Vidimus ex Lépesio comparatiuum cum formatiuo asyllabo *boldogb*, beatius. Habet vero idem tam hunc, quam alium huic similem, etiam cum auctiore formatiuo; quod est in quibusdam partibus et vulgo nostro satis familiare: *boldogjabb orſzág*,

beatius regnum; *gazdagjabb fejedelem*, ditior princeps (Regn. Coel. p. 59. et 100.). Hoc formatiuum iam dixi esse de *böv* inuerso: *vöb*, et obscuro halitu *v* in lenem *j* mutato, *jöb*. Eius accessione est etiam comparatiuus *feljebb*, superius, de positiuo *fel*, supra; similiter et *beljebb*, interius, de *bel*, intus; deinde *küljebb*, et *ü* in *i* mutato *kiljebb*, exterius, de *kül*, extra: quae corrupte scribuntur pronunciatione vitiosa, *fellyebb*, *bellyebb*, *küllyebb*, *killyebb*.

4. EXEMPLA VOCALIVM ACVTARXM.

De exemplis vocalium acutarum duo memini monosyllaba, *víg*, laetus, et *híg*, liquidus, fluidus; quae formatiuum poscunt cum vocali crassa, *vígabb*, *hígabb*. Alia monosyllaba, *fris*, recens, *kis*, parvus, pusillus, vocalem amant tenuem, *frísebb*, *kisebb*. Disyllaba, quae sunt numero satis exiguo, indicantur prioribus vocalibus ad hanc classem alteram pertinere: *szelíd*, mitis; *rövid*, breuis; *kitsiny*, *kitsid*, paruus, pusillus; *írígy*, inuidus: *szelídebb*, *rövidebb*, *kitsinyebb*, *kitsidebb*, *írígyebb*.

5. EXEMPLVM IRREGVLARE.

Vnicum est exemplum irregulare adiectiui *szép*, pulcher, quod habet comparatiuum *szebb*. Fuit certe et hoc olim *szépebb*, vt est hodieque *épebb*, de adiectiuo *ép*, integer. Probat hoc Lapponum *zjabbeb*, pulchrior, de *zjaabbe*, pulcher, a nostro tantum vocali discrepans, et labiali *b* molliore pro

duriore *p*. Sed placuit nostris postea formatiuum in eo fieri asyllabum, vicinasque sono consonas in easdem mutari, earumque geminatione sonantiore acutum vocalis accentum perdi, *szépb*, *szébb*, *szebb*.

Comparatiuus *több*, plus, multus magis, est de vetusto *tö*, multus; quod inuersum dedit formatiuum plurale *öt*, *ök*, vt loco suo iam satis euolui. Positiuo deperdito superest comparatiuus, et superlatiuus. Quare defectiuum est hoc exemplum. *Sok*, quod defectum supplet, alia est radix, aeque multum significans. De hoc nostris non libuit, comparatiuum, et superlatiuum formare; cum iam in vsu fuerint alii de illo priore.

§. II. COMPARATIO ADIECTIVORVM IN CONSONAM DESINENTIVM RADICE CONTRACTA.

A. PARADIGMATA.

Animosus.	*Bátor.*	*Bátr-abb.*	*Leg-bátr-abb.*
Frequens.	*Gyakor.*	*Gyakr-abb.*	*Leg-gyakr-abb.*
Improbus.	*Lator.*	*Latr-abb.*	*Leg-latr-abb.*

B. OBSERVATIO.

De Adiectiuis haec tria scio, quae formam vocaliorem faciunt contractam, expuncta vocali posteriore, *bátr*, *gyakr*, *latr*: vt formatiua compendiosius accipiant a vocali inchoantia, *bátr-abb*, *gyakr-abb*, *latr-abb*.

§. III. COMPARATIO ADIECTIVORVM PVRA VOCALI TERMINATORVM.

A. PARADIGMATA.

1. VOCALIVM CRASSARVM.

Versutus.	*Furtsa.*	*Furtsá-bb.*	*Leg-furtsá-bb.*
Dignus.	*Méltó.*	*Méltó-bb.*	*Leg-méltó-bb.*
Gracilis.	*Kartsú.*	*Kartsú-bb.*	*Leg-kartsú-bb.*

2. VOCALIVM TENVIVM.

Tener.	*Gyenge.*	*Gyengé-bb.*	*Leg-gyengé-bb.*
Serus.	*Késö.*	*Késö-bb.*	*Leg-késö-bb.*
Densus.	*Sürü.*	*Sürü-bb.*	*Leg-sürü-bb.*

B. OBSERVATIONES.

1. FORMATIVI VOCALIS COALESCENS.

Comparatiui formatiuum, a vocali inchoans, dum affigitur adiectiuis vocali terminatis, sequitur communem similium formatiuorum legem; quam satis explanatam vidimus in nominum declinatione: vocalem nempe suam, praecedenti accommodatam, in vnam cogit, eamque vtplurimum longam. Eodem certe modo nati sunt comparatiui: vocalibus accommodatis, *furtsa-abb*, *méltó-obb*, *kartsú-obb*, *gyenge-ebb*, *késö-öbb*, *sürü-öbb*; iis deinde concretis, *furtsá-bb*, *méltó-bb*, *kartsú-bb*, *gyengé-bb*, *késö-bb*, *sürü bb*.

Praedominatur in his radicum vocalis. Sed sunt quaedam exempla, in quibus ea cedit, et formatiui vocalis praecellit. Nam *ifjú*, iuuenis; *hoszszú*, longus; *könnyü*, leuis, facilis; comparatiuum hunc habent, *ifj-abb*, *hoszsz-abb*, *könny-ebb*.

2. FORMATIVI VOCALIS PERMANENS.

Participia praesentis, et futuri temporis, in *ó*, et *ő*; deinde alia adiectiua in *ú*, et *ű*; comparatiui formatiuum accipiunt quidem cum vocali coalescente; sed complura eorum amant id cum vocali etiam manente, congruenter tamen mutata.

Sic *látható*, visibilis; *hihető*, credibilis; proprie videri potens, credi potens; deinde *állandó*, stabilis; *illendő*, decens, conueniens; proprie staturus, conuenturus; in comparatiuo sunt vsu promiscuo: *láthatóbb*, *hihetőbb*, *állandóbb*, *illendőbb*; etiam *láthatóabb*, *hihetőebb*, *állandóabb*, *illendőebb*.

Pariter adiectiua, *domború*, conuexus; *iſzonyú*, horridus; *kartsú*, gracilis; *sanyarú*, afflictus; *ſzomorú*, tristis; deinde *együgyű*, simplex; *gömbölyű*, rotundus; *gyönyörű*, delectans, amoenus; *keserű*, amarus; *sűrű*, densus; duplici sunt comparatiuo: *domborúbb*, *iſzonyúbb*, — *keserűbb*, *sűrűbb*; etiam *domborúabb*, *iſzonyúabb*, — *keserűebb*, *sűrűebb*.

Duo sunt, quae ego scio, adiectiua in *i* comparatiuum admittentia: *deli*, celebris, insignis, strenuus; et *teli*, plenus. Haec formatiuum poscunt syllabicum; *deliebb*, *teliebb*.

§. IV. COMPARATIO
ADIECTIVORVM VOCALI FINITORVM,
QVIESCENTE IN EA SPIRITV *V*.

A. PARADIGMA.

Abundans. *Bő*. *Bővebb*. *Legbővebb*.

B. OBSERVATIONES.

Vnicum hoc est adiectiuum, *bö*, quod quiescentem in fine spiritum *v*, *böv*, accepto formatiuo a vocali inchoante, mittit et hodie in motum.

Olim hic halitus frequentius se insinuauit in adiectiuis hodie, *ú*, et *ü* vocali terminatis. Est expresse in antiquissima Allocutione Funebri *keserüv*, amarus, in ipso positiuo: alia affixis aucta *v*, quiescens resuscitarunt, vsu quidem vetusto, *sürü-v-en*, *ſzomorú-v-an*, *sanyarú-v-an*. Haec, et similia, habuerunt certe talem etiam comparatiuum: *keserü-v-ebb*, *sürü-v-ebb*, *ſzomorú-v-abb*, *sanyarú-v-abb*.

Adiectiuum *jó*, bonus, olim cum halitu, *jov*, videtur mihi comparatiuum habuisse *jo-v-abb*, amisso vocalis accentu acuto, vti eum amittere solet auctum affixo pronomine, *jo v-a*, bonum eius. Fuit idem etiam cum asyllabo formatiuo *jovb*: ex quo postea *jobb*, *v* halitu in vicinum *b* mutato, natum esse clare probatur vocali in hoc comparatiuo breui, quae est in positiuo longa, *jó*, halitu vtpote in ea quiescente.

§. V. NOTAE GENERALES.

Indicamus postrema hac nota, comparatiuis, et superlatiuis omnibus, amicum esse affixum pronomen *ik*: quod iis accedit semper cum determinatione vnius de comparatis, vi huius affixi natura demonstratiui. Nam *furtsábbik*, *leg furtsábbik*, est proprie versutior ille, versutissimus ille; sic *öregebbik* est senior ille. De vsu huiusmodi com-

paratiuorum, et superlatiuorum, plura dicemus in syntaxi.

Monemus praeterea, comparatiuos, et superlatiuos omnes, perinde ac positiuos eorum, inflecti etiam per casus, et numeros: quoties separata vsurpantur a suis substantiuis, vel iis postponuntur. Nam ipsis praemissa manent non variata. Inflexorum exempla dare superfluum esse putamus: cum easdem habeant leges, quas in nominum declinatione explanauimus. Separationum autem, et postpositionum exempla in syntaxi opportunius proferemus.

CAPVT III.

DE INFLEXIONE NVMERALIVM.

Nomina numeralia notione sua proxima sunt adiectiuis; indicant rerum numeros.

Praemittuntur, vti adiectiua, nominibus aliis; et in lingua nostra sic adhibita manent pariter indeclinata. Quando vero ea separari, vel postponi contingit: inflexionem per casus perinde accipiunt, atque ipsa adiectiua in simili construendi ratione. Sed ista eorum inflexio est vtique facilis per communes declinandi leges: vt superuacaneum esse putem eam exemplis proponere singularibus.

Quare ad alia transeo, quae de ipsis tradi solent partitione vulgo recepta, qua quintuplicia sunt: cardinalia, ordinalia, distributiua, multiplicatiua, et proportionalia.

§. I. CARDINALIA.

A. DEFINITITIO.

Nomina numerorum cardinalia prima sunt, quibus res numerabiles absolute indicantur, quot sint. Et respondent huic omnino interrogationi, *hány?* quot? etiam *mennyi?* quantum? quae quantitas? pro construendi ratione saepe et isti, *hányan?* proprie in quotitate? etiam *mennyien?* iu qua quantitate?

DENOMINATIO.

Vt cardinalium vsus increscente numero clarius explanari possit, damnus ipsa more arithmeticis vsitato: quo numeri dicuntur alii monadici, alii decades, vel denarii, alii centenarii, millenarii.

	Monadici.			Decades.	
Egy.	Vnus,	1.	*Tíz.*	Decem,	10.
Kettő.	Duo,	2.	*Húsz.*	Viginti,	20.
Három.	Tria,	3.	*Harmintz.*	Triginta,	30.
Négy.	Quatuor,	4.	*Negyven.*	Quadraginta,	40.
Öt.	Quinque	5.	*Ötven.*	Quinquaginta,	50.
Hat.	Sex,	6.	*Hatvan.*	Sexaginta,	60.
Hét.	Séptem,	7.	*Hetven.*	Septuaginta,	70.
Nyoltz.	Octo,	8.	*Nyoltzvan.*	Octaginta,	80.
Kilentz.	Nouem,	9.	*Kilentzven.*	Nonaginta.	90.
	Centenarlus.			Millenarius.	
Száz.	Centum,	100.	*Ezer.*	Mille,	1000.

C. COGNATIO, ET QVORVNDAM NATVRA.

Numeralia nostra sunt nobis cum Fennicis, aliisque affinibus gentibus, partem maximam communia. Quaedam reperiuntur in linguis etiam orientalibus.

In nomine *egy*, vnus, puto intensione affectata consonam *gy* vitiose geminari. Simplex est in *egyedül*, solitarie, in *egyetemben*, vna, iis etiam, qui alibi geminant. Seruanda esset aequalibitas.

Ipsa quidem origo, euoluente Neumanno post Forsterum, et Auenarium, in Chaldaico est חַד (*chad*), *vnus*, *primus*, vox monosyllaba ex indole linguae primigeniae. In hac nostri ח (*chet*) spiritu aspero expressum demum neglexerunt, et ד (*daleth*), simplex vtique, in molle *gy* mutarunt: *chad*, *had*, *hed*, *ed*, *egy*.

In Hebraico increuit postea praemisso sibi א (*aleph*) אֶחָד (*echad*). Hoc Lappones contraxerunt, *acht*. Duplex hic est consona, sed non originis primae, quam proinde sequi non debemus. Hebraicum exprimit, varia licet mutatione, Votjakorum *odik*, Permiorum *ötik*, Tscheremissorum *iktet*, Ostjakorum *ejet*. Voguli dicunt *aku*, quod, vocali in fine amissa, dat simplex *ak*, proximum origini primae, et cum nostro valde congruens. Persis, quod Hebraicis literis debeo exprimere, est יֵךְ (*jek*), primitiuo ח (*ched*) in halitum lenem י (*jod*) mutato: quod hoc omisso, vt nos omisimus, abit in *ek*, forma simplicissima, ac prorsus nostrum. Haec posteriora, magis sincera, confirmant vsum nostrum non geminandi *gy* consonam.

Esthones, et Fenni consonam primigeniam ד (*daleth*) in sibilum mutant: *üks*, *ütz*: *yxy*. Sed Esthones eam restituunt in casibus obliquis, dialecto Dörptensi, *ütte*; Reualensi vero dialecto nobis sunt propiores, *ühhe*.

Nomen *két* valet *duo*, et *dubium*. Vocali *ő* increscens amissum accentum compensat geminatione *t* consonae, *kettő*, quod tantum *duo* significat.

Vsu distinguuntur *két*, et *kettő*. *Két* ponitur, quando cum substantiuo consociatur: *két arany*;

duo aurei. *Kettő* separatim adhibetur: *hány aranyod vagyon? kettő;* quot tibi sunt aurei? duo.

Lapponibus est hoc nomen *kuâte.* Ostjakis *katu.* Voguli magis deflectunt, *kiteg*; etiam Tscheremissi, *koktot.* Votjaki, et Permii *t.* in *k* mutarunt, *kik*, *kük;* hoc restituto sunt nobis viciniores, *kit*, *küt.* Esthones, et Fenni idem *t* sibilo efferunt: *kaks*, *kats; caxi.* Sed Ethones Dörptenses in casu obliquo resumunt hoc *t. katte.*

Pariter et *három*, tria, radice contracta *hárm*, claram ostendit similitudinem; mutatis licet organorum vitio literis, *h* in *k*, *r* in *l*, et *l* in *i*, et *ü.* Lappones, Fenni, Esthones pulchre conueniunt: *holma*, *kolma*, *holm.* His accedunt Ostjaki, *chulom.* Recedunt Votjaki, et Permii, *kain*, *kuün;* etiam Tscheremissi, *humut.* Proximi sunt Voguli, *kurom.*

Iam *negy*, quatuor, tantum *gy* molli, certe primum in lene *j*, et hoc deinde in *l*, mutato, differt in horum omnium labiis. Nam Lapponibus est *nielie*, Fennis *nelje*, Esthonibus *nelli*, Vogulis *nille*, Ostjakis *nilha.* Votjakis *nil*, Permiis *njol*, Tscheremissis auctius, *nilit.*

Porro *öt*, quinque, sonat in plerisque praemissum halitum obscurum *v*, quem certe et in nostra lingua olim habuit, *vöt:* in nonnullis praeterea *t* consonam cum sibilo exprimit. Est enim Lapponibus *witta*, et *wit*, Votjakis *vity*, Permiis *vit*, Ostjakis *uwat;* Fennis *wysi*, Esthonibus *wiis*, Tscheremissis *vizit.* Voguli vero et hoc habent nostro quam proximum, *at.*

In nomine *hat*, sex, praecipuum discrimen facit *h* in *k* mutatum, et *t* nonnullis cum sibilo expressum. Lappones dicunt *kutta*, *kotta*, *kot;* Votjaki *kuaty*, Permii *kuat*, Tscheremissi *kudut.* Prope nostrum efferunt Voguli *kot*, magis Ostjaki *chot.* Turcis, quod Arabicarum literarum defectu damus Hebraicis, est אַלְתִּי *(alti).* sed א *(aleph)* halitu lenissimo sensibilius efflato *halti;* de quo si ל *(lamed)* sonantiore pronunciatu

intrusum tollatur, erit *hati* nostro tanto proprius. Esthones, et Fenni *t* in sibilum cogunt: *kuus*, *kuusi*; eo restituto esset certe et his *kuut*, *kuuti*. Arabicum שִׁתַּת (*sittet*), et שִׁת (*sitt*), conciliatur sibilo acuto in spiritum asperum reducto, *hittet*, *hitt*.

Verum *hét*, septem, quam maxime accedit Persico, הַפְּת (*heft*); etiam Turcico יֵדִי (*jedi*) lenni halitu *j* in asperum mutato *hedi*, *heti*. Vicinum est nostro et Lapponicum, *kietja*, *ketja*; sed quod recedere solet, et *h*, et *t* literis sibilantibus, *zjetzja*. Sic differt et Esthonicum *seitse*; etiam Fennicum *seitze*. In Vogulico tantum *h* sibilat, *sat*: eo restituto esset *hat*, nostra vocali *het*.

Compositionem produnt *nyoltz*, octo, et *kilentz*, nouem, praesertim collata respondentibus Vogulorum numeralibus, *nöllou*, octo, *ontollou*, nouem. Vogulis *lou*, vel *low*, monosyllabo expressum, est *decem*. Hoc a prioribus vltro separatur, et claram ostendit compositionem: *nöl-lou*, *ontol-lou*. In nostris sonus literarum *tz* indicat certe nostrum *tiz* aeque *decem*, celeri pronunciatione *i* vocali de medio absorpta. Ea restituta luculentior est compositio, par Vogulicae: *nyol-tíz*, *kilen-tíz*. Nostrum *nyol* congruit cum Vogulico *nöl*; non item *kilen* cum *ontol*. Vltro fateor, neutra mihi liquere, quid proprie valeant. Promam tamen, quod coniectura assequi possum.

Antiquissima est haec compositio: partes itaque componentes erant linguae pariter antiquissimae, quae affinibus gentibus fuit tum communior. Lapponibus *nal*, *nala*, est *super*, *in*, *ab*. Idem *nál* nobis Hungaris est *apud*, *penes*. Esthonibus *näle*, communi nobiscum significatione, itidem *penes*, *ad latus*, neben, an der Seite. Iisdem praeterea Esthonibus Revalensibus *küllis*, Dörptensibus *küllen*, eodem est valore, *penes*, *ad latus*. Aliquod tamen intercedere discrimen inter *näle*, et

küllin, satis indicat Laponum significatio particulae *nal* data, *super*. Ego isthoc discrimen coniicio: *näle*, *näl*, *nal*, est *supra penes*, seu *remote penes*; *küllin* vero *prope penes*. Ista nobis hoc valore manserunt, saltem in compositione, ori tamen nostro accommodata, *nyol*, *kilen*, et aduerbialiter sumta. Quare *nyol-tíz*, contracte *nyol-tz*, valet *remote penes decem*, vna nempe monade interiecta; *kilen-tíz* autem, contracte *kilen-tz*, nullo interuallo *prope penes decem*. Idem viget vsus apud Ostjakos, sed alterius tantum nominis *artján*, nouem. Est his *ján* forma simpliciore *decem*. Praemissum ipsi *art* docet Esthonicum *äres*, *ärne*, *ärt*, significare *apud*, *iuxta*. Congruit sono Turcicum *ard*, valore proximat, *pone*, *post*, *a tergo*. Compositum itaque *art-ján* est reuera *iuxta decem*, *pone decem*, ipsum nempe nouem.

Defectum a decem nos, et Voguli, parte aliqua etiam Ostjaki, hoc modo expressimus: quem et Latini exprimunt, sed more suo, in denariis auctioribus, *duodeviginti* pro octodecim, *vndeviginti* pro nouemdecim. Eandem videntur mihi rationem sequi etiam Lappones, Fenni, et Esthones tam Reualenses, quam Dörptenses, sed expressione absorpta, non completa: *kautzje*, *åchtzje*; *cahdexa*, *yhdexä*; *kahheksa*, *ühheksa*; *kattesa*, *üttesa*. Adsunt hic vbique nomina monadica *duo*, et *vnum*, cum particula *sa*, *sä*, hoc opinor valore: *duo de*, *vnum de*, et subintelligitur *loge*, *log*, *kymmen*, *kümme*, seu *decem*; *duo de decem* pro octo, *vnum de decem* pro nouem. Simile est, vel fortasse plenius, Votjakorum *kiamifz*, *ukmifz*; etiam Permiorum *kökjamass*, *ukmuss*. Apud Tscheremissos suspicor nostram, et Vogulicam rationem vigere: *kandáse*, *indése*. Habent in his, non suum *lu*, cum Vogulico congruens *decem*, sed a Votjakis, et Permiis acceptum *dafz*, *dass*. Doleo non mihi ampliorem suppetere harum linguarum apparatum ad ista penitius euoluenda!

Sed *tíz*, decem, euidentem praesefert conuenientiam cum Votjakorum *daſz*, et cum Permiorum *dass*. Etiam Persicum congruit, דה (*deh*), halitu aspero ה (*he*) in sibilum abeunte *deſz*.

Deinde *húſz*, viginti, geminum est Ostjakorum nomini *chus*. Halitu aspero *h* in *k* mutato differt Votjakorum *kiz*, et Permiorum *kus*; eo reducto et his esset *his*, *hus*.

Iam *ſzáz*, centum, est nobis cum pluribus commune; nisi quod illi nostrum lenem sibilum *z* literis lingualibus *d*, vel *t*, exprimant; vti docuimus has cum sibilis esse permutabiles. Lappones dicunt *zjuâtte*, Fenni *sata*, Esthones *sadda*, Tscheremissi *sjudo*. Ostjaki *sot*, Voguli *schät*, Votjaki *ſzíu*, Persae demum צד (*séd*).

Postremum *ezer*, mille, connenit cum solo Persico הזאר (*hezar*). Habent quidem hoc nomen et Hebraei, et Arabes; sed his *decem* significat.

D. FORMA SIMPLEX, ET COMPOSITA.

Nomina, in lingua nostra primis septem numeris monadicis, duabus praeterea primis decadibus data, sunt simplicia; simplex etiam nomen centenarii, et millenarii. Reliquorum vero monadicorum, et decadum, composita sunt nomina.

De postremis duobus monadicis, *nyoltz*, et *kilentz*, iam depromsimus opinionem nostram in reliquorum serie: hic decades prosequimur explicatu multo faciliores ad ipsam adeo euidentiam.

Harmintz, triginta olim fuit *harmitz*. Sic illud habent Codices MSS. Sic Vita S. Margarethae. *Vala harmitz hét eſztendös*; Erat triginta septem annorum. *Harmitzad Soror*; Trigesima Soror. *Hamitz kettöd Soror*; Trigesima secunda Soror. Sic libri antiquiores prelo expressi. Saepe eo usus est multo serius (1610) Ioannes Draskovitsius in Translatione Horologii Principum;

Harmitz, mea euolutione, est *három tíz*, trina decas, tres decades, ter decem. Sed *három*, nomen vocalius, more antiquo contractum est *harm;* et *tíz*, vocali media praetrusa, vt huic contracto nomini aptius iungeretur, abiit in *itz;* inde natum *harm-itz.* In hoc serius, intensae pronuntiationis consuetudine, irrepsit *n*, inualuitque hodiernum *harmintz;* quemadmodum *n* accepit vsu simili et verbum *önt*, quod antiquis fuit *ött*, fundit; cuius deriuatum hodieque superest, *ötvös*, fusor. Adhibuit hoc verbum praeter alios Siluester: *Istennek haragjának edényit — ki ötté az földre* (Apoc. XVI. 1, 2.): Phialas irae Dei — effudit in terram.

Sic sunt et reliquae decades compositae. Fuit in antiquissima lingua nostra, praeter *tíz*, et aliud decadis nomen, *van*, *von*, *ven.* Spiritus in eo obscurus *v* est ex lenissimo א *(aleph):* vt Turcae scriptum habent, Arabicis quidem literis, quas nos Hebraicis cogimur exprimere, און *(on*, sed lenissimo halitu sensibiliter efflato *hon)*, aeque *decem.* Apud Ostjakos inualuit lenis halitus *j*, et pronunciandi intensione ad *n* accessit in fine *g*, *jong*, *jang*, eo neglecto *jon*, *jan*, pariter *decem.* Halitu lenissimo א *(aleph)*, quod procliue est, sensim in asperum ה *(he)* postea ex hoc in densum ח *(chet)* abeunte, irrepsit demum apud Esthones, et Fennos, *k* fortior litera palatina, vt supra etiam multis exemplis vidimus; praeterea *n* mutatum est in *m*, vicinum sono; et hoc porro intensa pronunciatione geminatum, accedentibus et aliis incrementis: *kümme*, *kymmen*, vtrisque *decem.*

Iam negari non potest, idem vocabulum, leui mutatione, apud gentes affines hodieque superstes, fuisse et nobis cum iis commune, vsu etiam separato, sed nostro ori accomodatum, vt modo proposui, *van*, *von*, *ven.* Superest vero idem et nunc in compositione, et lege quidem nostra vocali congruenter mutata. Scimus

itaque

itaque *négy-ven* idem esse, quod valet *négy-tíz*, quatuor decades, quater decem; sic *öt-ven*, *öt-tíz*, quinquies decem; *hat-van*, *hat-tíz*, sexies decem; *het-ven*, *hét-tíz*, septies decem; *nyoltz-van*, *nyoltz-tíz*, octies decem; *kilentz-ven*, *kilentz-tíz*, nouies decem.

Sic sunt Ostjakorum decades mediae de *jang*, sono puriore *jan*, *jon*, decem, quod modo euoluimus, per monadicos numeratae: *chulom-jang*, tres decades, ter decem; *nilli-jang*, quater decem; *uwät-jang*, quinquies decem; *chot-jang*, sexies decem; *sabat-jang*, septies decem. En! huc etiam pertigit Hebraicum, et Arabicum nomen, eodem valore, שִׁבְעַת (*schibath*, *sebet*), septem. Sed postremae decades duae circumscriptione dantur, vt supra vidimus postremos monadicos, apud nos, et Vogulos. Est nempe *sot* illis centum: de hoc compositum *nil-sot*, remote penes centum, vna praeterea decade interiecta, octaginta; *ov-sot*, prope penes centum, nullo mediae decadis interuallo, nonaginta. Simplicia sunt: decem, *jang*; et viginti, *chus*.

Turcae vero, qui commune hoc vocabulum habent sono nobis viciniore, *on*, *hon*, *von*, decades de eo per monadicos numeratas retinuerunt tantum duas postremas: *seks-en*, octo decades, octies decem; *doks-an*, nouem decades, nouies decem. Duas vicinas superiores similiter quidem exprimunt; sed nomen numeri decem, pro domestico *on*, habent ex aliqua dialecto antiqua, *misch*; quod superesse obseruo apud Votjakos, et Permios, itidem in compositione tantum. De hoc itaque compositum *jet-misch* est illis septies decem; *alt-misch* vero sexies decem. Reliquae decades his minores videntur nomina habere simplicia.

E. LEGES NVMERANDI.

Si numerare pergamus vltra primam, et secundam decadem: ipsi numero denario primo *tíz*,

decem, et secundo *húſz*, viginti, adiicimus postpositionem *an*, vocali congruenter mutata, quae aequiualet Latinae praepositioni *supra*; atque his ita auctis addimus porro cardinalia monadica.

Tiz-en egy; Supra decem vnum, 11. *Tiz-en kettő*; Supra decem duo, 12. *Tiz-en három*; Supra decem tria, 13. etc. *Huſz-an egy*; Supra viginti vnum, 21. *Huſz-an kettő*; Supra viginti duo, 22. *Huſz-an három*; Supra viginti tria, 23. etc.

In reliquis vero decadibus cessat lex ista, et denariis nudis adiiciuntur monadica.

Harmintz egy; Ter decem vnum, 31. *Negyven öt*; Quater decem quinque, 45. *Ötven hét*; Quinquies decem septem, 57. etc.

Quemadmodum decades posteriores praemissis monadicis indicantur, quotae sint decades: ita et centenarii, et millenarii, dum increscunt, iisdem monadicis numerantur.

Centenarii.			Millenarii.		
Egy ſzáz.	Centum, vel tantum *Száz.*	100.	*Egy ezer.*	Mille, vel tantum *Ezer.*	1000.
Két ſzáz.	Ducenta,	200.	*Két ezer.*	Bis mille,	2000.
Három ſzáz.	Trecenta,	300.	*Három ezer.*	Ter mille,	3000.
Négy ſzáz.	Quadringenta,	400.	*Négy ezer.*	Quater mille,	4000.
Öt ſzáz.	Quingenta,	500.	*Öt ezer.*	Quinquies mille.	5000.
Hat ſzâz.	Sexcenta,	600.	*Hat ezer.*	Sexies mille,	6000.
Hét ſzáz.	Septingenta,	700.	*Hét ezer.*	Septies mille,	7000.

Nyóltz ſzáz. Octingenta, 800. *Nyóltz ezer.* Octies-8000 mille,

Kilentz ſzáz. Nongenta, 900. *Kilentz ezer* Nouies mille, 9000.

In exprimendis numeris maioribus praecedunt millenarii, sequuntur centenarii, decades postea, et monadici postremo sunt loco; sed quaeque horum secundum leges modo expositas adhibentur.

Száz tizen hét, vel *Egy ſzáz tizen hét*; Centum decem septem, 117. *Három ſzáz huſzan öt*; Tercenta viginti quinque, 325. *Hét ſzáz hatvan három*; Septingenta sexaginta tria, 763. *Ezer hat ſzáz tizen nyoltz*, vel *Egy ezer hat ſzáz tizen nyoltz*; Mille sexcenta decem octo, 1618. *Négy ezer öt ſzáz harmintz kettö*; Quater mille quingenta triginta duo, 4532. *Nyoltz ezer két ſzáz kilentzven hat*; Octies mille ducenta nonaginta sex, 8296.

Nomina numerorum coaceruata si quam variationem accipiant per inflexionem, vt saepe fit, cum separata ponuntur, tantum postrema eorum inflectuntur: ex. gr. quot florenis teneris? *hány forinttal tartozol?* septingentis sexaginta tribus; *hét ſzáz hatvan hárommal*; quot florenos potes soluere? *hány forintot fizethetſz?* trecentos viginti quinque; *három ſzáz huſzan ötöt.*

F. SPECIES PROPRIA, ET EXPLANABILIS VSVS SINGVLARIS.

Nomina numerorum cardinalium; sicuti Hebraica, sunt proprie substantiua: quae nominibus substantiuis rerum numerabilium per appositionem adiecta locum tenent adiectiuorum.

Quare genuine reddita sic sunt, vt pleràque solent Graece exprimi, quaedam etiam Latine: monas, vnitas, *egy;* duitas, *kettö;* trias, trinitas, *három;* pentas, *öt;* heptas, *hét;* decas, *tíz;* hecaton, centum, *ſzáz;* chilias, mille, *ezer.* Per consequens *egy ember* proprie est monas homo: *három ló*, trias equus; *öt bárány*, pentas agnus.

Iam facile explanatur vsus cardinalium singularis: quo ea aucta postpositione *an*, quae valet Latinum *supra*, et *in*, exprimunt numerum certum de maiore aliqua multitudine. Respondent interrogationi, quam iam principio indicaui, *hányan?* Est in hac pars potior *hány*, quot; sed et haec, perinde ac ipsi numeri, substantiue sumta, proprie quotitas; affixa illi postpositione *an*, *hányan*, in quotitate. *Hányan jöttetek hozzám? hárman, heten, tízen:* In quotitate venistis ad me? in triade, in heptade, in decade. *Az ütközetben három ezeren estek el:* In conflictu in tribus chiliadibus, in tribus millibus, occubuerunt.

Hunc casum nominatiuum pluralem pro regulari dicit Ádámius in lingua nostra adhiberi peculiarem. Aptius aduerbium dixisset, quod clarius videbitur loco suo in aduerbiorum deriuatione. Certe cum in sermone huiusmodi vnus redditur, claro is aduerbio exprimitur: *egyedül voltam nálad*, solitarie fui apud te, id est, vnus ego, solus. Reliqua legem seruant modo expositam: *ketten*, *hárman*, *négyen*, *öten*, *haton*, *heten*, *nyoltzan*, *kilentzen*, *tízen*, *ſzázan*, *ezeren.*

Habent vero cardinalia nostra numerum pluralem etiam regularem, separatim sumta, praesertim decades, centenarii, et millenarii; qua forma iidem hi numeri multiplicati intelliguntur: ex. gr. *annyi a' pénze; hogy nem tsak százakat, de ezreket is olvashat;* tantam habet pecuniam, vt non modo cetena, (*hecata*), sed etiam millena (*chiliades*) numerare possit.

Numerorum nomina cardinalia docent Grammatici in lingua Hebraea omnia esse substantiua: quae proinde cum aliis nominibus vel per appositionem coniunguntur in statu absoluto, vel per regimen in constructo. Exemplum est status absoluti, per appositionem, numerato nomine postposito: שְׁלֹשָׁה בָּנִים (*schloschâ bânim*), trias filii, quod vulgo sic resoluunt, trias, quam constituunt filii, id est, tres filii; idem nomine numerato etiam praeposito: בָּנִים שְׁלֹשָׁה (*bânim schloschâ*), filii trias, filii tres. Exemplum alterum status constructi per regimen: שְׁלֹשֶׁת אֲנָשִׁים (*schloscheth anâschim*), genuinę redditum, trias virorum, pro eo, quod nos ita exprimimus, tres viri. Idem fit in linguis sororibus: Chaldaica, Syriaca, et Arabica.

Eadem esse indole et nostra cardinalia, vt proprie substantiua sint, et absolute constructa per appositionem adiectiua suppleant, recte inferimus ex harum linguarum similitudine cum nostra. Apte explicatur hoc pacto et forma eorum postpositione increscens.

Habemus vero exempla status etiam constructi, quem more nostro per affixionem possessiuam exprimimus: *a' tojást, az almát, a' szilvát, hányával adják egy garason? hármával, ötével, hetével, tizen ötével.* Rem numerabilem, collectiue sumtam, numero singulari efferimus; nomen quantitatis, numeri, cum affixo pronomine, rei numeratae relatiuo, ponimus ad ca-

sum sociatiuum, qui fit per postpositionem *vel*, cum: ouum, malum, prunum, cum-quotitate-eius datur grosso vno? cum-triade eius, cum-pentade-eius, cum-heptade-eius, cum-pentade-eius supra-decem: id est, oua, mala, pruna, quotena dantur grosso? terna, quina, septena, quindena.

Sed cardinalia nostra reuera substantiua esse clare indicat, et ordinalium, et multiplicatiuorum ordinis tertii, de iisdem formatio, per affixa, vt postea videbimus, reipsa talia, quae de substantiuis formant adiectiua: *harm-ad*, *hárm-as*; *öt-öd*, *öt-ös*; *het-ed*, *het-es*: vulgo tertius, ternarius; qintus, quinarius; septimus, septenarius: vtraque vero, formatiuorum, quae eiusdem sunt originis, valore genuine reddito: triade-praeditus, triadem-habens; pentade-praeditus, pentadem-habens; heptade-praeditus, heptadem-habens. Sicuti *nem-es*, vulgo generosus, proprie est genere-praeditus; et *ház-as* domum-habens.

Cardinalibus, vt in syntaxi legem damus, nomina numerata subiiciuntur, vsu promiscuo, modo singularia, modo pluralia: ex. gr. *két ember*, *két emberek*, duo homines. Vtraque recta esse illic probamus copiosius, et veterum exemplis, et affinium linguarum vsu. Hic vero etymologica euolutione quosdam conciliare cupimus, de ista constructione acrius inter se pugnantes: quorum alteri tantum singularia poscunt, reiectis pluralibus; alteri contra pluralia praecipiunt, singularibus prorsus improbatis. Verum ipsa lingua nostra, simplici, et clara lege sese efformans, si penitius inspiciatur, rem omnem pulchre soluit.

Pluralis numeri formatiuum *ök*, vocali congruenter mutata, *ek*, *ok*, *ak*, origine sua nomen, multus, multitudo, nominibus affixum, aeque per appositionem, si stricte sumamus, horum multitudinem indefinitam indicat, ipsis proprie quidem adhuc singulari-

bus: *hal*, piscis, *hal-ak*, piscis-multus, piscis-multitudo; *gém*, ardea, *gém-ek*, ardea-multa, ardea-multitudo: sicut *sok*, nomen aliud eadem significatione aeque indefinita, multus, *sok hal*, *sok gém*: quod ne in Latino quidem plurale poscit nomen, cui iungitur, piscis multus, ardea multa. Iam numerorum nomina cardinalia, itidem multitudinis notae, verum definitae, quando primum adhibita sunt: lingua adolescens, in expressionibus praecisa, satis habuit ea sola praefigere nominibus, neglecta nota altera multitudinis indefinitae, hic vtique superflua: *három hal*, trias piscis; *öt gém*, pentas ardea. Durat hic simplex vsus primigenius ad nos vsque propagatus.

Sed postea lingua iam prouectior, claritatis, et energiae studiosior, eorundem geminationem, et idem significantium accumulationem adamauit. Ita in his omnino exemplis collibuit illi notam vtramque iungere, multitudinis definitae, et indefinitae: *három hal-ak*, trias piscis-multitudo; *öt gém-ek*, pentas ardea-multitudo; haec est enim genuina horum vis, quae Latine sic dicuntur, tres pisces, quinque ardeae. Hoc itaque pacto inualuit et alter vsus.

Similiter egit lingua in exprimenda possessione. Principio satis illi fuit nomini possidenti non inflexo subiungere nomen possessum, auctum affixo pronomine, possidentis relatiuo: *ember élet-e*, hominis vita, proprie homo vita-eius. Postea, ad hanc relationem euidentius indicandam, adiecit et possidenti affixum *nek*, quod origine sua nomen est, relatio: quare *ember-nek élet-e*, reuera iam significantius haec reddit, hominis-relatione vita-eius.

§. II. ORDINALIA.

A. DEFINITIO.

Nomina numerorum ordinalia ea sunt, quae indicant res numeratas ordine inter se dispositas.

Respondent interrogationi *hányad? hányadik?* quotus? quotus ille?

B. FORMATIO.

Ordinalium formatio fit de cardinalibus, excepto primo, et secundo, dum sola vsurpantur. Cardinalia nimirum, vt fiant ordinalia, abeunt in adiectiua accepto formatiuo *od*, *ad*, vocali congruenter mutata *ed*, *öd*; quod est proprie *habens*, *possidens*, *praeditus*. Assumunt insuper et *ik* pronomen, vsu antiquo ad vim demonstratiuam adhibitum.

Ordinale *primus*, solum sumtum, olim fuit *elö*; hodie est *elsö*, contractum ex *elölsö*. *Elö*; est proprie incipiens, participium antiqui verbi *el*, incipit. *Elölsö*, resolutum in partes, ex quibus constat, hunc habet verum significatum, in principio existens; *elöl* enim est in principio, et *sö* antiquissimi verbi substantiui participium, ens, existens. Eodem est valore et contractum *elsö*.

Radix *el*, forma simplicissima ad nos propagata, congruit cum Hebraico iam auctiore יָאַל (*jâal*), incepit; quod est, et Chaldaeis, et Arabibus commune. Pertigit ad Lappones quoque, et Esthones, pronunciatu intensiore *g* adsciscens, *alg*: *alg-et*, inchoare, incipere; *alg-a-ma*, anfangen. Et Arabes quidem de hoc habent more nostro ordinale suum: אול (*ewel*), primus; אולה (*ula*), prima. Quod frequenter vsurpant et Turcae, *ewwel*, etiam *ilk*, geminum radici Lapponicae, et Esthonicae.

Antiquum *elö*, et *elölsö*, habet saepe Codex MS. Transl. Bibl. *Ö elö király* (Dan. VIII. 21.) Ipse est rex primus. *Elölsö királynak fejedelmi közül* (Esther

VI. 9.) Primus de regis principibus. Vetusta quaedam precatio superstitiosa de curando equo, in Collectione Jankovitsiana, idem *elö* adhibet singulari exemplo cum *utó*, quod aeque participium esse vltro patet de *ut* verbo exoleto. *Te pej ló! az utó lábaduał az elö lábadon valo inadot meg ütötted:* Tu eque badie! postico pede tuo antici pedis tui neruum offendisti.

Ordinale *secundus*, cum solum accipitur, est *másod*, *második*, de *más*, quod est alius, alter, accepto iam formatiuo communi, proprie altero-praeditus.

Eodem formatiuo fiunt et reliqua iam de ipsis cardinalibus. De *három* fit *harmad*, triadem habens; *harmadik*, triadem habens ille; id est, tertius, tertius ille. Sic de aliis, etiam decadibus, centenariis, dum sola sumuntur.

Hoc pacto etiam interrogatio *hányad* est quotitatem habens, *hányadik* quotitatem habens ille.

Lubet haec ordinalia, iam dicta, et non dicta, ordine proponere, vt eo facilius percipiantur.

Elö.	*Elsö.*	Primus.
Másod.	*Második.*	Secundus.
Harmad.	*Harmadik.*	Tertius.
Negyed.	*Negyedik.*	Quartus.
Ötöd.	*Ötödik.*	Quintus.
Hatod.	*Hatodik.*	Sextus.
Heted.	*Hetedik.*	Septimus.
Nyoltzad.	*Nyoltzadik.*	Octauus.
Kilentzed.	*Kilentzedik.*	Nonus.
Tízed.	*Tízedik.*	Decimus.
Húszad.	*Húszadik.*	Vigesimus.
Harmintzad.	*Harmintzadik.*	Trigesimus.
Negyvened.	*Negyvenedik.*	Quadragesimus.

Ötvened.	*Ötvenedik.*	Quiquagesimus.
Hatvanad.	*Hatvanadik.*	Sexagesimus.
Hetvened.	*Hetvenedik.*	Septuagesimus.
Nyoltzvanad.	*Nyoltzvanadik.*	Octagesimus.
Kilentzvened.	*Kilentzvenedik.*	Nonagesimus.
Század.	*Századik.*	Centesimus.
Ezered.	*Ezeredik.*	Millesimus.

Formatiuum ordinalium *od*, *ad*, commune est nobis cum Lapponibus. Sic prorsus et illis *cholmad* est tertius; *nieljad*, quartus; *witad*, quintus; *cutad*, sextus; *zjuodad*, centesimus.

Idem porro *od*, vocali nobis praemissa, est ipsum Arabicum דֻו (*dsü*), דִי (*dsi*), habens, possidens rem aliquam, vel ea praeditus; istis quidem cum sibilante litera *dsal*; sed ad nos, et Lappones, peruenit cum *dal* non sibilante, in hac certe ordinalium formatione. Alibi enim vtrisque sibilat, *os*, *as*, *es*, *ös*; estque, eodem valore suo, frequentissimum adiectiuorum formatiuum, quod recurret loco aptiore. Verum Fennis, et Esthonibus, sibilat et hic: *colmas*, *kolmas*, tertius *neljäs*, *neljas*, quartus; *wydes*, *wies*, quintus; *cuudes*, *kues*, sextus; *sadannes*, *saandes*, centesimus.

Sunt et Hebraeorum ordinalia de cardinalibus formata adiectiua, affixo eodem יִ (*jod* cum *chirek*), seu *i*, formatiuo, quod nobis etiam, cum iis commune, perinde ac illis, efficit adiectiua patronymica, gentilia, possessiua, variique generis relationem exprimentia. Talia sunt de nostris: *hegyi*, montanus; *parti*, ripensis, litoralis; *vízi*, aquaticus; deriuata de *hegy*, *part*, *víz*, mons, ripa, aqua. Plura videbuntur loco proprio. Nunc quaedam Hebraica promamus tantum ordinalia: שְׁלִישִׁי (*schlischi*), tertius; שִׁשִּׁי (*schischi*), sextus; עֲשִׂירִי (*asiri*), decimus: a cardinalibus שְׁלֹשָׁה (*schloschâ*), tria; שִׁשָּׁה (*schischâ*), sex; עֲשָׂרָה (*asârâ*), decem.

Ad probandam veterum consuetudinem adhibendi ordinalia nuda, sicuti Lappones hodieque adhibent, proferuntur exempla satis copiosa in euolutione pronominis *ik*; quod nunc ordinalibus adeo adhaerescit, vi demonstratiua, cuius gratia olim addi solebat, iam nec sensibili.

Si ordinalia increscant numeris maioribus, sola postrema accipiunt formatiuum odinale, priora manent forma cardinali. Et in hac quidem serie, iam et *egy*, et *kettö*, maioribus numeris iuncta, postremo vtique loco posita, eodem formatiuo augentur.

Sunto exempla monadicorum praemissis decadibus: *tizen egyedik*, vndecimus; *tizen kettödik*, duodecimus; *tizen harmadik*, decimus tertius, etc. Sic *huſzan egyedik*, vigesimus primus; *huſzan kettödik*, vigesimus secundus; *huſzan harmadik*, vigesimus tertius, etc.

Alia praeeuntibus iam centenariis: *ſzáz hatvan negyedik*, centesimus sexagesimus quartus; *hat ſzáz ötven ötödik*, sexcentesimus septuagesimus quintus. Eadem deficientibus monadicis: *ſzáz hatvanadik*, centesimus sexagesimus; *hat ſzáz hetvenedik*, sexcentesimus septuagesimus.

Alia ad millenarios euecta: *ezer öt ſzáz huſzan hatodik*, millesimus quingentesimus vigesimus sextus; *két ezer egy ſzáz harmintz hetedik*, bis millesimus contesimus trigesimus septimus.

Formatiuum ordinale, postremo tantum loco adiectum, adficit omnia priora cardinalia, vt substantiua ad se relata, primigenia vi sua adiectiuum omnino significans: et *negyven öt-öd*, *negyven ötöd-ik*, genuine

redditum, certe hoc valet, quatuor decades, et pentadem habens; deinde *hat száz harmitz het-ed*, *hat száz harmintz het-ed-ik*, sex centurias, tres decades, et heptadem habens.

Cardinale *két*, *kettő*, olim quidem, vel solum, ac simpliciter sumtum, dedit de se ordinale, *ket-ed*, *kett-ed*, secundus: quod superest hodieque contractum, *ket-d*, *kett-d*, et literis sono vicinis in eundem mutatis *kedd*, nomen diei Martis. *Vasárnap*, vulgo Dominica dies, proprie vero, vt plerique explicant, dies vendendi ferri, per occasionem Sacrorum, ad quae confluxerunt coloni ex agris, clausit hebdomadam priorem. Alia inchoauit die Lunae, quae propterea apto nomine *hétfő* dicta est, septimanae caput, principium, prima dies. Hanc consecuta est accommoda appellatione *keted nap*, *keted*, *kedd*, secunda dies, quae est Martis. Tres istas dies nominamus vocabulis domesticis, reliquas adoptatis.

§. III. DISTRIBVTIVA.

A. DEFINITIO.

Nomina numerorum distributiua ea dicuntur, quae rerum numeratarum distributionem pari ratione factam significant.

B. VSVS.

Distributiua exprimit lingua nostra geminatione cardinalium vel nudorum, vel auctorum, vt construendi poscit ratio.

Cardinalia nuda geminantur nominibus continenter praemissa: ex. gr. *tíz tíz garast fizetnek egy egy napra a' kőmiveseknek*, denos grossos soluunt singulis diebus murariis; *négy négy inas követi az urakat*, quaterni ephebi comitantur dominos; *hat*

hat ló vagyon be fogatva a' hintókba, seni equi sunt praeiuncti carpentis.

Aucta postpositione *an*, separata a rebus, ad quas referuntur, aeque geminantur: ex. gr. *ketten ketten mennek a' deákok, hárman hárman pedig a' vitézek;* bini eunt studiosi, terni vero milites.

Sed auctorum geminationem tollit saepe adnexa particula *ként*, instar, secundum, iuxta, proprie ad similitudinem, ad modum: *egyenként, kettönként, hármanként, ötönként, hetenként járogattak a' titalmasba;* singuli, bini, terni, quini, septeni itarunt in locum vetitum, puta hortum, vel agrum.

Vsus geminandi ipsa distributiua indicat et interrogationis geminationem, cui ea respondent: *hany hány? hányan hányan? mennyien mennyien?* quoteni? sed interrogatio aduerbio aucta amittit pariter geminationem, ac ipsa distributiua ipsis respondentia, *hányanként?*

Iam expositum est, quid ista numeralia proprie valeant postpositione aucta. Quare intelliguntur etiam geminata: *egyen egyen*, in monade in monade; *ketten ketten*, in duitate in duitate; *hárman hárman*, in triade in triade. Vltro patent sublata geminatióne per adnexum aduerbium: *egyenként*, ad similitudinem in monade; *kettenként*, ad similitudinem in duitate; *hármanként*, ad similitudinem in triade: meliore loquendi modo ad similitudinem monadis, duitatis, triadis.

Distributiua reddunt et Hebraei, non tamen constanter, geminatione cardinalium. Sic Arabes, Turcae, et Persae, qui praeterea solent ea etiam augere. Lappones et geminant, et postpositione augent, more pror-

sus nostro, adiecta *i* vocali, valore praepositionis *in*, vt patet ex casu penetratiuo: *âuttai âuttai*, singuli; *cuâhti cuâhti*, bini; *colmai colmai*, terni: quae genuine reddita sic sonant, in monadem in monadem, in duitatem in duitatem, in triadem in triadem. Fenni aeque penetratiuo vtuntur casu, quem formant postpositione sibi nobiscum communi: amant etiam geminationem, sed interiecta particula copulatiua; saepe vero, vt Hebraei, vtuntur et non geminatis: *yxin*, vel *yxin ja yxin*, singuli; *caxin*, vel *caxin ja caxin*, bini; *colmin ja colmin*, terni: eadem exacte translata hoc sunt valore: in monadem, vel in monadem et in monadem; in duitatem, vel in duitatem et in duitatem; in triadem, vel in triadem et in triadem.

Copulam interiicere solemus et nos, absorpta praesertim vocali. Est in Káldio huius vsus exemplum: *Minden tiszta lelkes állatokból végy hetet 's hetet* (Gen. VII. 2.): ex omnibus animalibus tolle septena et septena. Institit hic vsui Hebraeo et Latinus Translator.

§. IV. MVLTIPLICATIVA.

A. DEFINITIO.

Nomina numerorum multiplicatiua ea sunt, quae rerum multiplicationem indicant, vel genere vario, vel eadem specie repetita.

B. FORMATIO.

Multiplicatiua, rem varii generis indicantia, fiunt de cardinalibus, adiecto iis nomine *féle*, quod significat genus habens, ex genere, generis: ex. gr. *egyféle*, *kétféle*, *háromféle*, etc. quae vulgo sic redduntur, simplex, duplex, triplex, etc. sed proprie haec valent, vnius generis, duorum generum, trium generum. Interrogatio, cui ista respondent,

pari sunt compositione: *hányféle?* quotuplex? proprie quot generum?

Multiplicatiua, eadem specie repetita, triplici formantur modo.

Nam primo assumunt cardinalia nomen *szerü*, quaedam *szeres*, quod est ordinem habens, seriem habens, de nomine *szer*, ordo, series: ex. gr. *egyszerü*, *kétszerü*, *háromszerü*, *hétszerü*, etc. etiam *kétszeres*, *hétszeres*, etc.

Accipiunt eadem secundo nomen *rétü*, eadem fere significatione, plicam habens, seriem habent, de nomine *rét*, plica, series: ex. gr. *egyrétü*, *kétrétü*, *háromrétü*, *hétrétü*, etc.

Vtraque vulgo sic redduntur, simplex, duplex, triplex, septuplex, etc. etiam simplus, duplus, triplus, septuplus, etc. sed patet genuinam eorum significationem hanc esse: vnam seriem, vnam plicam habens; duas series, duas plicas habens; tres series, tres plicas habens, etc.

Tertio demum augentur cardinalia formatiuo *os*, vocali congruenter mutata, *as*, *es*, *ös*, quod est habens, praeditus: ex. gr. *egyes*, *kettös*, *hármas*, *ötös*, *hatos*, *tízes*, *százas*: quae vulgo sic efferuntur Latine, simplex, duplex, triplex, decuplex, centuplex; etiam simplus, duplus, triplus, etc. proprie vero vnitatem habens, duitatem habens, triadem habens, etc. Sed eadem, praesertim aucta, exactissime exprimuntur his Latinis: binarius, ternarius, quinarius, senarius, denarius, centenarius; constans nempe partibus dua-

bus, tribus, et sic porro, vt sunt pleraeque species pecuniae.

Horum interrogatiua sunt eadem vtique compositione: *hányfzerü? hányrétü? hányas?* quotuplex? quotuplus? genuine vero quot serierum? quot plicarum? quotitatem habens?

Hoc formatiuum *os* est ipsum *od*, nobis cum Arabibus commune. Placuit vero nostris originibus *od* adhibere ad formanda ordinalia, vt supra loco suo satis vidimus, exemplis etiam Lapponicis, *os* vero destinare his multiplicatiuis posterioribus.

§. V. PROPORTIONALIA.

A. DEFINITIO.

Memorantur in Grammaticis etiam proportionalia numerorum nomina: quae, vt ex ipso patet nomine, proportionem indicant.

B. V S V S.

In Latino differunt proportionalia a multiplicatiuis: haec enim ista sunt terminatione, simplex, triplex, etc. illa vere simplus, duplus, triplus, etc. Sed in nostra lingua, vt modo vidimus, istae significationes permiscentur: vt multiplicatiua, praesertim posteriora, sint etiam proportionalia. Haec tamen multo exactius exprimemus adiecta cardinalibus vocula *annyi*, tantus, tot; quae coaluit ex *az* et *nyi*, estque proprie ea quantitas: ex. gr. *két annyi*, duplus; *három annyi*, triplus; *négy annyi*, quadruplus: *öt annyit adtam reá*; quintuplum superaddidi; *hét annyira nevekedik*, in septuplum excrescit: proprie quinquies eandem quantitatem superaddidi; septies in eandem quantitatem excrescit.

ELABORATIOR

ELABORATIORIS GRAMMATICAE HVNGARICAE VOLVMINI PRIMO INSERTA

ANIMADVERSIO

NECESSARIA, PRONOMINVM EXPLANATIONI PRAEMISSA.

Pronominum, cumprimis personalium, diligentem euolutionem, eamque hoc ipso prolixiorem, ita exposcit et nostra lingua, sicut quaecunque orientalis, propter Sacros Codices et nostro aliquo stndio vtcunque nota, Hebraea scilicet, Chaldaea, Syriaca, et Arabica. Horum enim pronominum vsus affixus ita est et nobis, vt his gentibus, in omni sermone perpetuus. Nam et nobis horum affixione indicatur omnis relatio ad personas tam nominum, et particularum, quae vulgo postpositiones dicuntur, quam etiam verborum. Propterea sum ergo et ipse accuratior, ac fusior, in euolutione personalium ante omnia pronominum, deinde reliquorum etiam, opera iam continuata: vt hunc vsum tam latum, et prorsus eundem, qui est in linguis orientalibus, habeamus et nos omni parte quam clarissime explanatum. In quo fortasse progressus sum longius etiam, quam sciam factum esse in vlla lingua alia: et, si mihi ipse non nimium placeo, eam affudi nostris pronominibus lucem face aliunde accensa; vt iisdem, a quibus nostra magis iam clarescunt, mutuum lumen in nonnullis reddi posse non vane putem.

Hoc meum studium gaudeo equidem, iam et nostris, et exteris Viris Philologis non modice probari:

T

vt propterea leuius feram exiguos quosdam vituperatores, cum reliquorum, tum horum quam maxime conatuum meorum. Eos ego alto etiam silentio lubens praeterirem; nisi melioribus aliquo meo responso cantum esse cuperem: quos isti eadem contagione sua inficere conantur.

Est his antesignanus Stentor quidam, se plenus, et ferox philologiae subsidiis male arrogatis, insulsisque argutiis superbe contumax, imo etiam egregie calumniosus. Perfricte negat iste, ridet, et ludificatur inter alia et hanc doctrinam meam. Affixa ista non sunt ipsi pronomina, non proinde voces significantes Et in verbis quidem nullo prorsus modo, in tertia praesertim persona. Verba enim, vt ille ait, prima erant in linguae ortu; pronomina multo posteriora: non poterant proinde adhiberi ad illorum inflexionem per personas. Verba nuda iam tertiam faciunt personam: hanc ergo non adfert adiectum illis pronomen affixum.

Quis talia fatur? Ille nimirum, qui iactat saepe orientalium linguarum peritiam: et haec affixa pronomina personalia, quae in iis reipsa adesse clare docent omnes grammaticae institutiones obuiae, non tamen videt, et impudenter inficiatur; alia vero, quae prorsus absunt, affingit temerarie, formam nempe verborum determinatam, qualem falso asserit et nostram esse, in qua involutus sit casus etiam accusatiuus. Infelix studium Hebraicum! quod a primis literarum apicibus obiter distinctis, vt antea fuit in more, vix processerit longius lectioue miserabiliter haesitante, et aliqnot versiculorum resolutione anxie inculcata.

Is quidem, qui se ad huius grammaticae interiora penetrauit, nouit et verba nuda, licet vulgo ad tertiam referantur personam, proprie tamen abstracta esse, nomina scilicet vel status, vel actionis, vel passionis per ipsa expressae. Hoc admonitu, qui aliqua pollet

mentis perspicacia, vltro debet obseruare et in nostris verbis eandem prorsus rationem. Verba nuda, in forma prima, vt vulgo dicimus, indeterminata, ex. gr. *ír*, et *kér*, sine restrictione ad personam, abstracta sunt, et nomina potius actionis, proprie *scriptio*, *petitio*. Et ea ad quod subiectum referantur, suo vtique nomine expressum, clare intelligitur ex nexu sermonis: *Péter ír*, *Pál kér*; simplicis linguae expressione, *Petrus scriptio*, *Paulus petitio*; id est, *Petrus scribit*, *Paulus petit*. Eadem aucta affixo pronomine personae tertiae, vt fit in forma determinata, *ír-ja*, *kér-i*, dicuntur iam cum aperta personae demonstratione, simplici itidem lingnae primae expressione: *scriptio ipse*, *petitio ipse*; in statu constructo Latinorum more *scriptio ipsius*, *petitio ipsius*; id est, *scribit ipse*, *petit ipse*. Aperta haec demonstratio est ad vim maiorem subiectis etiam expresse positis: *Péter ír-ja*, *Pál kér-i*; simplicis linguae rudi more primo, *Petrus scriptio ipse*, *Paulus petitio ipse*; vel sic etiam, *Petrus scriptio ipsius*, *Paulus petitio ipsius*; id est *Petrus scribit ipse*, *Paulus petit ipse*. Apertam huiusmodi demonstrationem habet vsus noster perpetuam in multis verbis formae indeterminatae secundae, vt ego distinguo, radicibus iam auctis: quae nuda forma sua sunt aeque abstracta, et nomina potius, ex. gr. *ell*, partus, *lak*, habitaculum, habitatio; aucta *ik* pronomine affixo personae tertiae, *ell-ik*, partus ipse, et partus ipsius, *lak-ik*, habitatio ipse, et habitatio ipsius; id est, parit ipse, seu foetum edit ipse, habitat ipse. Sic prorsus in forma etiam determinata, *ell-i*, *lak ja*, est tantum personae aperta demonstratio: partus ipse, et partus ipsius; habitatio ipse, et habitatio ipsius; id est, parit ipse, seu foetum edit ipse, habitat ipse. Alia est ergo status, actionis, et passionis indicatio abstracta: et alia ad personam restricta, aperte demonstrata.

Mirum est praeterea tantum linguae Scrutatorem, omnino Philosophum, qualem se vbique ostentat Hungaricae Castitatis tantus iste Assertor, de linguae tamen ortu ita misere hallucinari, vnius Herderi errore abductum: quem vtique et ipsa ratio sua melius adhibita, et aliorum, in euoluendis linguis praesertim orientalibus Illustrium Virorum, aeque ratione probata frequens auctoritas, vltro ad meliora potuit deducere. Primis quidem hominibus, ad promenda cogitata sua necessitate impulsis, nil erat pronius, quam rebus sensu perceptis, et obseruatis harum qualitatibus, item et statui, actioni, passioni, ante omnia nomina indere. Prima ergo humani sermonis initia erant nomina, eadem vero erant simul et verba, quae statum nempe, actionem, et passionem indicarent. Supersunt et nunc non pauca horum exempla vel in nostra lingua, ex. gr. *fagy*, *les*, *pök*; quae nomina sunt, *gelu*, *insidiae*, *sputum*; eadem vero et verba, *gelascit*, *insidiatur*, *spuit*. Sed linguae Orientales huiusmodi exemplis abundant quam maxime. Verba prolixiora, artefacta, qualia sunt nunc pleraque nostra, serius effinxit humana docilitas, rerum perceptione magis aucta, et perfecta. At illa prima rerum signa, et nominum, et verborum valore vsurpata, exposcebant illico etiam relationes varias ad personas, quae ipsae ad alias, et de aliis, loqui tentabant. Ergo opus erat illico et personarum signis ad has relationes indicandas. Ista vero personarum signa an non ipsa erant pronomina? Produco statim in principio euolutionis meae (pag. 294.) insignem Vateri obseruationem de ortu pronominum personalium certe maturo. Vno eodemque tempore simul sunt ista sensim nata. Et verborum per personas inflexionem omnino maturam cum admittat et ipse aduersarius; distinguat praeterea quaedam etiam affixa in verbis demonstratiua: cur tamen coecutit in luce tam clara, et quid secum ipse pugnat; vt non videat, et pertinaciter neget pronomina; quae sunt ipsa vtique affixa demonstratiua, ad verborum radices propterea adiecta, vt personas indicent?

Sufficiunt ista hic cursim notata: vt iam in limine sanioris doctrinae meae, in lingua nostra summe necesariae, obseruent veritatis studiosi streperum hunc impugnatorem, vana, et futili tumentem eruditione, et falsa, et confusa, secumque pugnantia loquentem.

ETYMOLOGIAE
PARS PRIMA
DE VOCVM INFLEXIONE.

SECTIO SECVNDA
DE
INFLEXIONE PRONOMINVM.

NOTIONES PRAEVIAE.
§. I. PRONOMINVM DEFINITIO.

Pronomina iam diximus (*in Introductione Cap. I. §. II.*) voces esse, in nominum locum substitutas, ad vitandam horum in sermone repetitionem. Vnde patet ea et nomen trahere, quod sint posita pro nominibus.

§. II. PRONOMINVM GENERA.
A. PRONOMINA PERSONALIA.

Plura dantur pronominum genera: sed prima sunt in his *personalia*, sic dicta, quod personas indicent: in lingua nostra, vt in orientalibus, vsus latissimi, quod mox indicabitur clarius.

In omni sermone tres distinguuntur personae: *prima*, quae loquitur; *secunda*, ad quam prima loquitur; et *tertia*, de qua ea loquitnr. Totidem sunt ergo et pronomina personalia, tres istas personas indicantia.

Quemadmodum conscientia sui, et rei repraesentatae imaginatio, tota in eo sita est; vt homo cogitans hoc intra se vltro agnoscat; *ego* is sum, qui hoc obseruo, mente percipio: ita statim et necessitas exorta est in loquente hanc notionem *ego* aliquo sono exprimendi.

Obiecta reliqua etsi suis indicata fuerint nominibus: tamen et in his, quanto quis viuidius est locutus, tanto se magis impelli sensit, ad obiectum illud, quocum locutus est, ad quod sententiam quamque direxit, a tertio secernendum, de quo est locutus. Poterat quidem principio hac in re facile se leuare, digito in ea obiecta intento. Sed, posteaquam omnia sono signari coeperunt, enata sunt et horum signa: *tu* est signum eius, ad quem loquimur; *is* vero signum eius, de quo loquimur.

Etiamsi vero is, qui locutus est, singularum personarum nomina, suum nempe loquentis, et eius, quocum, et de quo locutus est, in sermone vicibus singulis protulisset: non tamen id fuisset iis expressum, quod praesertim *ego*, et *tu*, distinctius exprimit. Fuisset praeterea et repetitio eorundem nominum grauis, ac molesta. In expressionibus ad formas simpliciores reducendis erat certe ista vna de primis: vt repetenda personarum nomina in colloquio per pronomina compensarentur, et mutua colloquentium relatio ex iis clare intelligeretur.

Pronomina itaque personalia sunt vna et huius relationis signa, et vicaria subiectorum, quorum repetitio per ipsa compensatur.

Ego quidem, et *tu*, per praesentiam suam, vel per repraesentationem sui quasi praesentis, satis ipsa de se distincta sunt. Sed *is*, seu obiectum, quod neque *ego*, neque *tu* est, hac sola expressione nondum notum est; verum nominari, et ex praecedente cognosci debet. Hac tantum relatione sui ad obiectum fit *is* huius vicarium.

Pronominum vsus varius diuidit ea, in nostra cumprimis lingua, in *simplicia*, *composita*, et *geminata*.

1. PRONOMINA SIMPLICIA.

Simplicia sunt prima pronomina personalia, nullis accessionibus aucta: *én*, ego; *te*, tu; *ő*, is.

a. PRONOMINA SIMPLICIA SEPARATA.

Haec porro *separata*, seu *absoluta*, dicuntur; quando in sermone, aliis vocibus non coniuncta, simpliciter subiectorum loco ponuntur.

b. PRONOMINA SIMPLICIA INSEPARABILIA.

Inseparabilia, vero, seu *affixa*, vocantur; quando, ad finem vocum aliarum iunctim positae, et cum iis concretae, relationem earum indicant ad obiecta, in quorum locum sunt substituta; in quo proinde vsu iam duplici funguntur munere.

Sunt haec modo isto ita in lingua etiam nostra, vt in orientalibus, omnium frequentissima, atque adeo perpetua: nominibus quidem, ac particulis iuncta, ad indicandam eorum relationem ad personas; verbis autem adnexa, ad formandas, vt vulgo dicitur, horum personas; sed quod proprie pariter relatio est, habitudinis nempe, seu status illius, qui verbo exprimitur, ad personas obiectorum, in quorum sunt loco affixa haec pronomina.

Sit ex. gr. nomen *könyv*, liber: hoc cum affixo pronomine iunctum, *könyv-em*, est *liber-mei*. Particula *ellen*, contra, nominis valore *contrarium*; *ellen-em*, contra me, sed genuine *contrarium-mei*. Verbum *olvas*,

legit, abstracte nominis valore *lectio*, legendi actio: *olvas-ok*, lego, ad verbum *lectio-ego*, *lectio-mei.* Sic istà vigent in lingua nostra, circumscriptionum more per compositionem, et coarctatione in vnum mire concinna, et emphatica.

2. PRONOMINA COMPOSITA.

Pronomina personalia, ad indicandam personarum praesentiam vel intensam, vel cum aliorum exclusione, assumunt iunctum sibi vel pronomen aliud, vel nomen quodpiam, aptum significatione ad hanc emphasim: ex. gr. *ennen*, ego-ipse; *mag-am*, medulla-mei, id est, ipse-ego.

Huiusmodi pronomina personalia, assumto ad emphasim augmento significante, ex duabus proinde vocibus diuersis coalita, *composita* dicuntur; etiam *emphatica compositione*, vel simpliciter *emphatica.*

3. PRONOMINA GEMINATA.

Pronomina personalia *geminata* vocantur: quae, vel simplicia, sui ipsorum geminatione coalita; vel composita, tantum iuxta se posita, simul efferuntur.

a. GEMINATA AD EMPHASIM.

Est haec geminatio in quibusdam iterum ad emphasim, vt in compositis. Simplicium exempla sunt in accusatiuis: *engem-et*, me-me; *tég-edet*, te-te; *ti-teket*, vos-vos. Composita vero, per se iam emphatica, ad maiorem tamen, imo maximam, quae dari potest, intensionem, rursus gemi-

nata: *ennen magam*, mei ipsius medulla-mei, id est, ego-ipse ipse-ego.

b. GEMINATA AD POSSESSIONEM.

In aliis autem, huic vsui destinatis, instituta est constans sibi geminatio, ad indicandam obiectorum possessionem ad personas spectantem: ex. gr. *enyém*, ex *en-én*, etiam valore geminatum, proprie *meum-mei*; sic *tied* ex *te-ed*, est *tuum-tui*; et *övé* de *ő-vő*, est *suum-sui*. Ipsi genitiui pronominum simplicium, *én*, *te*, *ő*: qui vsu separato praestant etiam pronomina *possessiua*, vt sunt Latinorum, sed haec sola tantum, et in adiectiua mutata, *meus*, *tuus*, *suus*.

B. PRONOMINA DEMONSTRATIVA ET ARTICVLVS.

Tertiae personae pronomen *is* refertur semper ad aliquod obiectum praecedens. Hoc porro obiectum, ratione temporis, ac loci, modo propinquum est, modo remotum. Iam vt ista etiam relatio vtraque, ad obiectum propinquum, ac remotum, distincte indicaretur; nata sunt pronomina peculiaria, quae *demonstratiua* dicuntur.

Demonstratiua haec pronomina, distantiam obiectorum, ratione temporis, ac loci, indicantia, in nostra lingua duo sunt: *ez*, hic, iste, relatum ad obiectum propinquum; *az* vero, is, ille, ad obiectum remotum.

Horum alterum *az* obit vicem etiam articuli, qui nominibus appellatiuis, apud nos quoque, vti

apud Germanos, aliosque, praemittitur, ad ea propius determinanda: ex. gr. *az élet*, das Leben; *az ember*, der Mensch. Amice conuenit in nostra lingua hic articulus cum demonstratiuis, sibi praemissis; *ez az élet*, ista vita; *az az ember*, ille homo.

C. PRONOMINA RECIPROCA.

Adsunt saepe in sententia pronomina ad obiectum expressum, vel pronomine indicatum, reflexa, in casibus obliquis: ex. gr. *frater tuus sibi defuit*, *tu te bene geris*, *ego mihi consulam*. Huius vsus pronomina vulgo *reciproca* dicuntur.

In lingua nostra pronomina reciproca, ad subiectum sententiae reflexa, praestant composita pronomina emphatica: *magam*, *magad*, *maga*.

Suapte natura consequitur, in huiusmodi reflexione, pronomen reciprocum eiusdem personae esse debere, cuius est ipsum subiectum.

D. PRONOMINA RELATIVA.

Sunt porro pronomina, quae ad subiectum, in priore sententia expressum, sententiam subsequentem totam referunt: ex. gr. *is vir est hic. quem iam heri vidi.* Huiusmodi pronomina omnino a referendo *relatiua* vocantur.

Tria sunt in lingua nostra: personarum *ki*; rerum aliarum animatarum, et inanimatarum, *melly*; rerum indeterminatarum *mi*.

Cum antecedentibus suis, ad quae referuntur, numero certe concordant relatiua etiam nostra.

E. PRONOMINA INTERROGATIVA.

Saepe optat quis subiectum sibi indicari non notum: et hoc ille debet vtique voce aliqua signi-

ficare. *Vox*, in locum subiecti non noti substituta, qua indicatur desiderium id resciendi, est pronomen *interrogatiuum*.

Hoc in lingua nostra de personis est *ki*, quis; de rebus aliis, praesertim indeterminatis, *mi*, quid.

Sunt porro *interrogatiuua* quaedam, praesertim qualitatis, quantitatis, et generis, potius adiectiua, quam pronomina; quae tamen huc referuntur, quod in iis, cum sint composita, partem vnam pronomina efficiant; quibus fere totidem respondent eiusdem generis composita, *redditiuorum* nomine insignita.

III. PRONOMINVM ACCIDENTIAE.

Pronomina accipiunt easdem proprietates, quas habent ipsa subiecta, in quorum locum substituuntur. Quare, vt ipsa subiectorum nomina, sic et pronomina, horum vicaria, assumunt eorundem accidentias, *numerum* nempe, et *casus*.

Pronomen primae personae plurale fit: quoties id rebus pluribus, quibus suum *ego* adnumerat, commune quoddam praedicatum attribuit: sic et secunda, et tertia persona, quoties attributum commune plurium est, ad quos *tu*, ad quos extenditur *is*.

Ponuntur porro pronomina ad varias in sermone relationes, vt ipsa nomina, quae repraesentant: quapropter et casus admittunt, et postpositiones alias, quibus relationes exprimuntur.

CAPVT I.

DE INFLEXIONE PRONOMINVM PERSONALIVM.

§. I. PARADIGMATA.

A. PRONOMINVM SIMPLICIVM.

1. SEPARATORVM.

Singulari Numero.

Nom.	*Én.*	*Te.*	*Ő, ű, vő, jő.*
	Ego.	Tu.	Is, ille.
Gen.	*Enyém.*	*Tied.*	*Övé, öjé.*
	Mei.	Tui.	Eius, illius.
Dat.	*Nekem, én nekem.*	*Neked, te neked.*	*Neki. ő neki.*
	Mihi.	Tibi.	Ei, iili.
Acc.	*Engemet, engem.*	*Tégedet, téged.*	*Őtet, őt.*
	Me.	Te.	Eum, illum.
Abl.	*Tőlem, én tőlem.*	*Tőled, te tőled.*	*Tőle, ő tőle.*
	A me.	A te.	Ab eo, ab illo.

Plurali Numero.

Nom.	*Mí, mű. Mik, műk. Mink, münk.*	*Ti, tű. Tik, tűk.*	*Ők, ük, vők, jők.*
	Nos.	Vos.	Ii, illi.
Gen.	*Miénk,*	*Tietek,*	*Övék.*
	Nostri.	Vestri.	Eorum, illorum.
Dat.	*Nekünk, mí nekünk.*	*Nektek, ti nektek.*	*Nekik, ő nekik.*
	Nobis.	Vobis.	Iis, illis.

Acc.	*Minket*,	*Titeket*, *tikteket*.	*Őket*.
	Nos.	Vos.	Eos, illos.
Abl.	*Tőlünk*. *mi tőlünk*.	*Tőletek*. *ti tőletek*.	*Tőlök*. *ő tőlök*.
	A nobis.	A vobis.	Ab iis, ab illis.

2. INSEPARABILIVM.

a. QVAE SVNT NATA EX PRIORIBVS SEPARATIS.

Singulari Numero.

Ém, *em*.	*Ed*.	*É*, *vé*, *jé*.
Mei, et ego.	Tui, et tu.	Sui, eius, Is, ille.
	Esz	
	Tu.	

Plurali Numero.

Énk, *emek*.	*Etek*.	*Ék*, *vék*, *jék*.
Nostri, et nos.	Vestri, et vos.	Eorum, illorum, Ii, illi.

b. PRIMITIVA.

OLIM VEROSIMILITER ETIAM SEPARATA.

Ék.	*Ál*.	*Ik*.
Ego.	Tu,	Is, ille.
Ük,	etiam	
Nos.	Vos.	

B. AVCTORVM *N* PARAGOGICO.

Singulari Numero.

Én.	*Ten*.	*Őn*.
Ego.	Tu.	Is, ille.

Plurali Numero.

Min.	*Tin.*	*Ön*, *önnök.*
Nos.	Vos.	Ii, illi.

C. COMPOSITORVM.

AD EMPHASIM.

1. FLEXIBILIVM TANTVM PER NVMEROS.

Singulari Numero.

Enen, vel *ennen.*	*Tenen*, vel *tennen.*	*Önön*, vel *önnön.*
Ego-ipse.	Tu-ipse.	Is-ipse.

Plurali Numero.

Minen, vel *minnen*,	*Tinen*, vel *tinnen.*	*Önön*, vel *önnön.*
Nos ipsi.	Vos-ipsi.	Ii-ipsi.

2. FLEXIBILIVM PER NVMEROS, ET CASVS.

Singulari Numero.

Nom.	*Magam.*	*Magad.*	*Maga.*
	Ipse-ego.	Ipse-tu,	Ipse-ille.
Gen.	*Magam-é.*	*Magad-é.*	*Magá-jé.*
	Ipsius-mei.	Ipsius-tui.	Ipsius-illius.
Dat.	*Magam-nak.*	*Magad-nak*,	*Magá-nak.*
	Ipsi mihi.	Ipsi-tibi.	Ipsi-illi.
Acc.	*Magam-at.*	*Magad at.*	*Mag-át.*
	Ipsum-me.	Ipsum-te.	Ipsum-illum.
Abl.	*Magam-tól.*	*Magad-tól.*	*Magá-tól.*
	Ab ipso-me.	Ab ipso te.	Ab ipso-illo.

Plurali Numero.

Nom.	*Magunk.*	*Magatok.*	*Magok.*
	Ipsi-nos.	Ipsi-vos.	Ipsi-illi.
Gen.	*Magunk-é.*	*Magatok-é.*	*Magok-é.*
	Ipsorum-nostri.	Ipsorum-vestri.	Ipsorum-illorum.

Dat.	*Magunk-nak*	*Magatok-nak.*	*Magok-nak.*
	Ipsis nobis.	Ipsis-vobis.	Ipsis-illis.
Acc.	*Magun-kat.*	*Magato-kat.*	*Maga-kat.*
	Ipsos-nos.	Ipsos-vos.	Ipsos-illos.
Abl.	*Magunk-tól.*	*Magatok-tól.*	*Magok-tól.*
	Ab ipsis nobis.	Ab ipsis vobis.	Ab ipsis-illis.

3. DEFECTIVVM.

Bennünket.	*Benneteket.*	*Bennöket.*
Ipsos-nos.	Ipsos-vos.	Ipsos-illos.

D. GEMINATORVM.

1. AD EMPHASIM.

a. CVM SIMPLICI COMPOSITVM.

Singulari Numero.

Nom.	*Én magam.*	*Te magad.*	*Ő maga.*
	Ego ipse-ego.	Tu ipse-tu.	Is ipse-ille.

Et sic porro parte posteriore declinabile, vt supra.

Plurali Numero.

Nom.	*Mi magunk.*	*Ti magatok.*	*Ő magok.*
	Nos ipsi-nos.	Vos ipsi-vos.	Ii ipsi-illi.

et cetera.

b. CVM AVCTO COMPOSITVM.

Singulari Numero.

Nom.	*Én magam.*	*Ten magad.*	*Őn maga.*
	Ego ipse-ego.	Tu ipse-tu.	Is ipse-ille.

et cetera.

Plurali Numero.

Nom.	*Min magunk.*	*Tin magatok.*	*Őn magok.*
	Nos ipsi-nos.	Vos ipsi-vos.	Ii ipsi-illi.

et cetera.

c. CVM COMPOSITO COMPOSITVM.

Singulari Numero.

Nom.	*Ennen magam.*	*Tennen magad.*	*Önnön maga.*
	Ego-ipse ipse-ego.	Tu-ipse ipse-tu.	Is-ipse ipse-ille.

et cetera.

Plurali Numero.

Nom	*Minnen magunk.*	*Tinnen magatok.*	*Önnön magok.*
	Nos-ipsi ipsi-nos.	Vos-ipsi ipsi-vos.	Ii-ipsi ipsi-illi.

et cetera.

2. AD POSSESSIONEM.

IPSA PRONOMINA POSSESSIVA, CVM DVPLICI NOTIONE, POSSESSI NEMPE, ET POSSIDENTIS, VI GEMINATIONIS.

a. POSSESSVM, ET POSSIDENS SINGVLARE.

Nom.	*Enyém.*	*Tied.*	*Övé.*
	Meus-mei,	Tuus-tui,	Suus-sui, eius.
	mea mei,	tua-tui,	sua-sui, eius.
	meum-mei.	tuum-tui.	suum-sui, eius.
Gen.	*Enyémé.*	*Tiedé.*	*Övéjé.*
	Mei-mei,	Tui-tui,	Sui-sui, eius.
	meae-mei.	tuae-tui.	suae-sui, eius.
Dat.	*Enyémnek.*	*Tiednek.*	*Övének.*
	Meo mei,	Tuo tui,	Suo-sui, eius.
	meae-mei.	tuae-tui.	suae-sui, eius.
Acc.	*Enyémet.*	*Tiedet.*	*Övét.*
	Meum-mei,	Tuum-tui,	Suum-sui, eius.
	meam-mei.	tuam-tui.	suam-sui, eius.

Abl.

Abl.	*Enyémtől.*	*Tiedtől.*	*Övétől.*
	A meo-mei,	A tuo-tui,	A suo-sui, eius.
	a mea-mei,	a tua-tui,	a sua-sui, eius.

b. POSSESSVM PLVRALE, ET POSSIDENS SINGVLARE.

Nom.	*Enyeim.*	*Tieid.*	*Övei.*
	Mei-mei,	Tui-tui,	Sui-sui, eius,
	meae-mei,	tuae-tui,	suae-sui, eius.
	mea-mei.	tua-tui.	sua-sui, eius.
Gen.	*Enyeimé.*	*Tieidé,*	*Öveijé.*
	Meorum-mei,	Tuorum-tui,	Suorum-sui, e.
	mearum-mei.	tuarum-tui.	suarum-sui, e.
Dat.	*Enyeimnek,*	*Tiednek.*	*Öveinek*
	Meis-mei.	Tuis-tui.	Suis-sui, eius.
Acc.	*Enyeimet.*	*Tieidet*	*Öveit.*
	Meos-mei,	Tuos-tui,	Suos-sui, eius.
	meas-mei,	tuas-tui,	suas-sui, eius.
	mea-mei,	tua-tui.	sua-sui, eius.
Abl.	*Enyeimtől.*	*Tieidtől.*	*Öveitől.*
	A meis-mei.	A tuis-tui.	A suis-sui, eius.

c. POSSESSVM SINGVLARE, ET POSSIDENS PLVRALE.

Nom.	*Miénk.*	*Tietek.*	*Övék.*
	Noster-nostri,	Vester-vesri,	Suus-sui, eorum.
	nostra-nostri,	vestra-vestri,	sua-sui, eorum.
	nostrum-nostri.	vestrum-vestri.	suum-sui, eorum.
Gen.	*Miénké.*	*Tieteké.*	*Övéké.*
	Nostri-nostri,	Vestri-vestri,	Sui-sui, eorum,
	nostrae-nostri.	vestrae-vestri.	suae-sui, eorum.
Dat.	*Miénknek.*	*Tieteknek.*	*Övéknek.*
	Nostro-nostri,	Vestro-vestri,	Suo-sui, eorum.
	nostrae-nostri.	vestrae-vestri.	suae-sui, eorum.
Acc.	*Miénket.*	*Tieteket.*	*Övéket.*
	Nostrum-nostri,	Vestrum-vestri,	Suum-sui, eorum

	nostram-nostri.	vestram-vestri.	suam-sui, eorum.
Abl.	*Miénktől.*	*Tietektől.*	*Övéktől.*
	A nostro-nostri,	A vestro-vestri.	A suo-sui, eorum.
	a nostra-nostri.	a vestra-vestri.	a sua-sui, eorum.

d. POSSESSVM, ET POSSIDENS PLVRALE.

Nom.	*Mieink.*	*Tieitek.*	*Öveik.*
	Nostri-nostri,	Vestri-vestri,	Sui-sui, eorum,
	nostrae-nostri,	vestrae-vestri,	suae-sui, eorum.
	nostra-nostri.	vestra-vestri.	sua-sui, eorum.
Gen.	*Mieinké.*	*Tieiteké.*	*Öveiké.*
	Nostrorum-nostri,	Vestrorum-vestri,	Suorum-sui, eorum.
	nostrarum-nostri.	vestrarum-vestri.	suarum-sui, eorum.
Dat.	*Mieinknek.*	*Tieiteknek.*	*Öveiknek.*
	Nostris-nostri.	Vestris-vestri.	Suis-sui, eorum.
Acc.	*Mieinket.*	*Tieiteket.*	*Öveiket.*
	Nostros-nostri,	Vestros-vestri,	Suos-sui, eorum.
	nostras-nostri,	vestras-vestri,	suas-sui, eorum.
	nostra-nostri.	vesra-vestri.	sua-sui, eorum.
Abl.	*Mieinktől.*	*Tieitektől.*	*Öveiktől.*
	A nostris-nostri.	A vestris-vestri.	A suis-sui, eorum.

§. II. EXPLANATIONES.

A. ORIGINES PRONOMINVM.

Personalia pronomina nostra vltro ostendit primitiua eorum simplicitas veras esse reliquias linguae primigeniae.

Sunt haec pronomina de eadem origine prima ad linguas quam plurimas deriuata, mutationes in plerisque varias experta, etiam incrementis aucta, cumprimis in iis, quae sunt nostrae affines, in Hebraica scilicet, eiusque sororibus, et in Fennicis. Priora simpliciora supersunt partem maiorem in vsu tantum affixo:

posteriora vero, iam prolixiora, in vsu separato. Haec errore putantur a plerisque Grammaticis vera, et integra esse; illa vero de his truncata: quod nempe in vsu affixo celerius fuissent pronunciata, absorptis sensim partibus potissimum prioribus. Quod etsi vere dicatur de nonnullis, perperam tamen de omnibus. Meam hanc sententiam probat nostrorum pronominum facta cum his comparatio.

Sed sunt viri graues, origines primas peruestigandi studio insignes, qui eadem iam dudum notarunt. Singularis est in his Ioannis Iahni obseruatio (Elementarbuch der hebräischen Sprache. Cap. II. §. 13.). *Ita sibi videri*, ait ille, *suffixa Hebraica primigenia esse pronomina personalia, sed temporum successu, quarundam literarum adiectione, hodiernorum pronominum personalium formam accepisse.*

Ad rem faciunt, quae etiam Henselius docet (*In Synopsi Vniuersae Philologiae Sect. V. Cap. I.*), Neumanno, et Loeschero, aliisque praeeuntibus. *Primitiuas vocum radices apud Hebraeos esse vocabula monosyllaba. Nec aliquid omnino ipsi naturae ordini dici posse conuenientius. Cum non minus in productione vniuersi huius orta ex simplicibus fuerint composita. Et in arithmeticis omnium existit numerorum fons, et origo, vnitas. Satius itaque multo esse dicere, formari voces Hebraicas ex monosyllabis, tertia quadam litera addita, quam ex triliteralibus, et bisyllabis, fieri monosyllaba. — Siquidem omnino rationi consentaneum est, simplicia praecedere compositis: voces polysyllabae ex monosyllabis sunt compositae.*

Huc pertinere et pronomina, voces vtpote cum primis hominibus natas, vltro liquet: illa itaque monosyllaba reuera esse primigenia, non resecta, non truncata, de alteris illis multo posterius natis, accessionibus partim in initio factis, quod Grammatici He-

braei praeformationem, partim in fine, quod afformationem nominant. Etiam Aloysius Sonnenfelsius, reiecta ista truncandi ratione, vulgo recepta, aperte innuit: quae suffigerentur, ea itidem pronomina esse (*In sua Grammatica Hebraica compendio proposita*).

Primigenia simplicia haec pronomina fuerant in primordiis et separata, nominum nempe vice, et coniuncta cum nominibus, particulisque, ac verbis, ad relationes, personasque indicandas, vsurpata. Separata deinde, temporum successu, accessionibus increuerunt. Et haec prolixiora demum inualuerunt, simplicibus in desuetudinem venientibus, hoc quidem vsu separato. Vti *linguae assolent, quo illae diutius durant, eo magis artefactas, et prolixiores voces, exauctoratis simplicibus, affectare*, quod praeclare notat Henselius, et in nostra quoque lingua Hungarica cumulatissima docent exempla. Sed in vsu coniuncto, seu affixo, coalita cum nominibus, particulisque, ac verbis, perdurarunt ad nos vsque, cum mutationibus tamen, licet exiguis, quas coalescendi addidit ratio, in varia praesertim dialecto. Quod pariter et nostris vsu venisse indicabimus. In quibus tamen hoc miratu dignum est: separata nostra, a primigenia monosyllaba simplicitate sua, tanto temporum interuallo, migrationumque vicissitudinibus, non recessisse, quemadmodum Hebraica, et Fennica.

1. PRONOMINA SIMPLICIA.

a. SINGVLARIA.

1) PERSONAE PRIMAE.

Tria supersunt in lingua nostra primae singularis personae primigenia pronomina simplicia, *én*, *ém*, et *ék*.

Én, in vsu separato, constans sibi, et nihil mutatum, est *ego*: praemissum tamen, vt saepe fit per pleonasmum, nominibus, ac particulis, affixo pronomine auctis, adiectiuum valet, *meus*, *mea*, *meum*: ex. gr. *én kép-em*, mea imago-mei; *én ház-am*, mea domus-mei..

Ém, in vsu tantum affixo, idem reuera *én*, sed consona sua *n* in *m* mutata *ém*: sic integrum superest in pronomine possessiuo *eny-ém*, genitiuo reddendum, *mei*, et propter geminationem aeque geminate, *meum-mei*; sed vocali; ipso etiam accentu amisso, in congruas abeunte, *em*, *öm*, *om*, *am*; verbis affixum est *ego*; nominibus vero, et particulis adiectum, genitiuo exprimendum, *mei*: ex. gr. *ſzün-öm*, cesso-ego; *lak-om*, habito-ego; *kép-em*, imago-mei; *ház-am*, domus-mei; quae vulgo sic redduntur ad Latini sermonis indolem, *imago mea*, *domus mea*, pronomine personali in adiectiuum conuerso.

Ék, hodie in vsu dumtaxat affixo superstes, solis verbis iunctum, *ego*; idque et integrum, praeeuntem sibi vocalem absorbens, *ék*; et vocali congruenter mutata, accentuque amisso, *ek*, *ök*, *ok*, *ak*: ex. gr. *kér-ek*, peto-ego; *vár-ok*, exspecto-ego; *kér-ék*, *vár-ék*, petii-ego, exspectaui-ego.

2) PERSONAE SECVNDAE.

Secundae singularis personae primitiua pronomina simplicia quatuor numerantur in lingua nostra: *te*, *ed*, *eſz*, et *ál*.

Te, in vsu separato, idem semper, et nihil variatum, est *tu:* sed, si antecedat per pleonasmum nomina, et particulas, affixo pronomine auctas, adiectiuo exprimitur, *tuus*, *tua*, *tuum:* ex. gr. *te kép-ed*, tua imago-tui; *te ház-ad*, tua domus-tui.

Ed, in vsu solum affixo, ipsum *te*, vocali praemissa, et consona densius expressa; sic integrum est in pronomine possessiuo *ti-ed*, genitiuo exprimendum, *tui*, idque propter geminationem pariter geminate, *tuum-tui;* vocali vero congruenter mutata *ed*, *öd*, *od*, *ad*, verbis adnexum est *tu;* nominibus autem, et particulis adhaerescens, genitiuo reddendum, *tui:* ex. gr. *kér-ed*, petis-tu; *vár-od*, exspectas tu: *kép-ed*, imago-tui; *ház-ad*, domus-tui; vulgo *imago tua*, *domus tua*.

Efz, in vsu itidem affixo, sed in solis tantum verbis superstes, *tu;* ipsum *te*, vocali praemissa, et consona in sibilum abeunte; potissimum tamen asyllabum, vocali absorpta, *fz;* in concursu nihilominus duriore, vocali resumta, et congruenter mutata, syllabicum, *efz*, *afz:* ex. gr. *kér-fz*, petis-tu; *vár-fz*, exspectas-tu: *kér-end-efz*, petieris-tu; *vár-and-afz*, exspectaueris-tu.

Ál, aeque in vsu dumtaxat affixo, superest in solis tantum verbis, *tu;* vocali congruenter mutata, et accentu in quibusdam temporibus retento, *él*, *ál;* in aliis neglecto, *el*, *öl*, *ol;* ex. gr. *fzün-öl*, cessas-tu; *lak-ol*, habitas-tu; *fzünt-él*, cessasti-tu; *lák-t-ál*, habitasti-tu.

3) PERSONAE TERTIAE.

Tertiae singularis personae pronomina primigenia aeque quatuor sunt in lingua nostra: *ő*, *é*, *ön*, et *ik*.

Ő, is, ille, in vsu separato; olim sono rotundiore, *ű*; etiam cum spiritu obscuro, *vő*, *vű*; cum leni, *jö*, *jü*: quando et hoc per pleonasmum praemittitur nominibus, et particulis, affixo pronomine auctis, adiectiuum praestat, *suus*, *sua*, *suum*: ex. gr. *ő kép-e*, sua imago eius; *ő ház-a*, sua domus eius.

É, cum spiritu obscuro, et leni, *vé*, *jé*, ipsum *ő*, *jö*, *vő*, in vsu affixo sic mutatum; superest hac forma in pronomine possessiuo *ö-vé*, genitiui valore, *sui*, vel *eius*, propter geminationem aeque geminate exprimendum, *suum-sui*, vel *eius*; est idem et genitiui formatiuum, constans sibi eodem hoc sono producto, reciproco reddendum, *suum* id, quod ad nomen refertur genitiuo expressum; accentu porro amisso, et vocalibus congrue mutatis, *e*, *a*, *i*, *je*, *ja*, nominibusque, ac particulis adnexum, genitiuum exprimit, *eius*, vel *sui*; verbis vero adiectum est *is*, *ille*: ex. gr. *kép-é*, imaginis, imaginis-suum aliquid: *ház-é*, domus, domus-suum aliquid: *kép-e*, imago-eius; *ház-a*, domus-eius: *kér-i*, petit-ille; *vár-ja*, exspectat ille.

Ön, is, ille, ipsum *ő* auctum litera *n*; olim vsu etiam separato satis frequens; hodie in affixo fere solo adhibetur cum verbis, potissimum in im-

peratiuo, vocali congruenter mutata, *en*, *ön*, *on*: ex. gr. *kér-j-en*, petat-ille; *vár-j-on*, exspectet-ille.

Ik, is, ille, in statu tantum affixo; non mutatum, comparatiuis, et praesertim adiectiuis numeralibus iunctum, addit vim demonstratiuam, verbis vero adiectum, et integra, et mutata est vocali, *ik*, *ék*, et *ek*, *j* connectente *j-ek*: ex. gr. *ſzebb-ik*, pulchrior-ille; *jobb-ik*, melior-ille: *másod-ik*, secundus-ille; *negyed-ik*, quartus-ille: *ſzűn-ik*, cessat-ille; *lak-ik*, habitat-ille: *ſzűn-j-ék*, cesset-ille; *lak-j-ék*, habitet-ille: *ſzűn-é-j-ek*, *lak-é-j-ek*, cessauit-ille, habitauit-ille.

PERSONAE PRIMAE.

ÉN, ÉM.

In vocum fine, cum est *én*, seu verbis, seu nominibus, particulisque adnexum, procliuius ettulit consonam *m* oris, vocem claudentis, sponte consequens occlusio, literam vtpote eius indolis, cuius prolatione labia vltro occluduntur. Sed pronam literae *n* in *m* mutationem satis docuerunt et alia exempla: *nevet*, et *mevet*, ridet; *azonban*, et *azomban*, interea; *különben*, et *külömben*, secus, etc. (Orthoephiae Sect. III.)

En, consona integra, vocali tantum mutata, ex communi vsu primigenio, adhibent Esthones et hodie in verbis: ex. gr. *kul-en*, audio-ego: *keut-en*, ligo-ego; *and-an*, do-ego; *usſ-un*, credo-ego: quae certe in primordiis et nostri sic dixerunt, *hall-én*, *köt-én*, *ád-én*, *hi-ſz-én*; dum serius nata sunt hodierna, *hall-om*, *köt-öm*, *ad-om*, *hi-ſz-em*, eadem, qua Esthonica sunt, significatione.

Sic et Fenni: *cuul-en*, audio-ego; *köyt-än*, ligo-ego; *heit-an*, iacio-ego; *hasitan*, canem incito-ego; *hulj-*

un, moueor-huc-illuc-ego: quae et nostris olim certe sic fuerunt, *hall-én*, *köt-én*, *haít-én*, *uszít-én*, *hajl-én*; dum ista demum inualuerunt, eadem et haec, qua sunt Fennica, significatione, *hall-om*, *köt-öm*, *haít-om*, *uszít-om*, *hajl-om*.

Atque hi, in dialecto quidem Aboica, idem *én* et nominibus sic affixum vsurpant: *cal-an*, piscis-mei; *os-an*, pars-mei; in aliis vero *cal-a-ni os-a-ni*: nullus dubito, quin haec et nostris quondam sic fuerint, *hal-én*, *osz-én*; de quo nomine, iam dudum obsoleto, hodie tantum verba supersunt, *osz-t*, partitur, *osz-l-ik*, in partes soluitur, dissoluitur: quae postea sic sunt sensim mutata, *hal-am*, *osz-om*.

Sed in Lapponum labiis abiit *n* in *m*, sicut in nostris, vocali aeque variante: ex. gr. *wiedzj-am*, adfero-ego, *suochet-am*, gemo-ego; *zjuocg-im*, redarguo-ego; *wadd-om*, do-ego: sic prorsus et nostra eadem haec verba eadem etiam significatione, *vi-sz-em*, *sohajt-om*, *szid-om*, *ad-om*. Hoc porro *m*, labialis vtpote litera, migrat in quibusdam dialectis in alias eiusdem organi literas, *b*, et *f*: quod Lapponibus valde familiare esse notat Ganander aliis etiam casibus. Sunt ergo de *wiedzj-am*, *suochet-am*, *zjuocg-im*, *wadd-om*, etiam *wiedzj-ab* et *wiedzj-af*, *suochet-ab* et *suochet-af*, *zjuocg-ib* et *zjuocg-if*, *wadd-ob* et *wadd-of*.

Idem ergo *n*, primum in *m* mutatum, quod quadam soni vicinitate, ore cumprimis vocem claudente, facile factum est, de diuersis licet organis, abiit postea ex hoc *m* multo procliuius in *b*, et *f*, eiusdem organi literas. Quas terminationes leui negotio conciliare potuisset Fielströmius: (§. 9. *de coniugationibus verborum, nota 2.*) si ipsi in mentem venissent literae labiales, inter se commutabiles, *b*, *p*, *v*, *f*, *m*, ex Hebraea saltem formula בומף *(bumaph)*, quam Ganander probe tenuit. Sic et nobis, harum alternatione, quod

fuit olim *mart*, est hodie *part*, litus, ripa, vel Párizpápaio teste. Illud vero prorsus non ad rem est, quod Sajnovitsius ait (§. XI. pag. 101.): Fielströmium facilius se difficultate sua expediuisse, adhibita obseruatione, de nostris verbis determinatis, et indeterminatis, alteris in *em*, vel *am*, alteris in *ek*, vel *ok*, desinentibus. Huius enim differentis constructionis, quae apud nos viget, apud Fennicas gentes nullum est vestigium.

At in nominibus omnes Lapponum dialecti *am* habent: *atj-am*, pater-mei; *cal-am*, piscis-mei, *zjalm-am*, oculus-mei: in quo nobiscum mire conueniunt, nam haec sic prorsus vsurpamus et nos, *aty-ám*, *hal-am*, *szem-em*.

Habent hoc pronomen gentes istae in vsu tantum affixo. Nam, quod in vsu adhibent separato, iam auctum est, et mutatum. Esthonum quidem *minna*, etiam *ma*. Fennorum *minä*, quod Vhaëlius monet deriuatum esse de *mi*, vt est in dialecto Sawonica, notat etiam dici *ma*, *mä*, pro *mina;* in aliis autem dialectis viget *ni*. Lapponum vero est *mon*, cuius genitiuus *mo*, et *muo*, certe prius exstitit, fuitque ipse nominatiuus; de quo docet Ganander, absorpta vocali, caput asyllabum *m* adhiberi in statu affixo. Fuit vero illis, mea quidem opinione, et *am* in vsu, praecedente vocali: siquidem in nominibus, tenui vocali *e* terminatis, ex. gr. *atje*, *zjalme*, in affixione *am* regnat, elisa *e* vocali, *atj-am*, *zjalm-am*.

Ad haec, inter se, et cum nostro concilianda, opitulatur nobis Iahni obseruatio: qui formationum ordinem, a simplicissimo ad composita postrema, hunc notat insigni cum perspicacia. In primordiis fuerit nempe solum ִי *(i)*. Ex hoc deinde semine primigenio, formatione prima, natum נִי *(ni)*, primitiuo valore *ego*. Sed hodie ִי *(i)*, affixum nominibus, particulisque, reddit pronominis *ego* genitiuum *mei*. Illustrandi caus-

ea addo exempla. דְּבָרִי *(debâri)* est verbum-mei, hoc est, meum. צָרָתִי *(tzârâthi)* anxietas-mei, hoc est, mea. Alternm vero נִי *(ni)* affixum verbis, et actiuis quidem *me*, seu accusatiuum, intransitiuis autem *mihi*, seu datiuum, praebet. שְׁלָחֵנִי *(schlâché-ni)*, mitte-me, יְאֶתָיֵנִי *(jeëthâjé-ni)*, veniet mihi.

In lingua primigenia, nobis cum Hebraeis communi, natum *ni*, in nostrorum labiis fuit *in*, vocali ante consonam prolata, et ea in acutum *é* abeunte, *én*, vt hodieque superest, admiranda sane primordiorum tenacitate. Hoc ita habuerint principio etiam Esthones, cum in verbis sic adhuc adhibeant, certe in vsu affixo. In absoluto autem *ni* vsurpatum, vocali postposita, abierit sensim in *ma*. Pariter et Fennorum *ni* migrauit in *mi*: apud Lappones vero primitiuum *ni* in *mo*.

É K.

Iam complementum memoro Iahnianum. Ampliore, ait ille, formatione ortum est postea אֲנִי *(ani)*, ac demum אָנֹכִי *(ânokhi)*, *ego* separatum: de quo litera כ *(caph)* in *G* mutata reperitur in Latino, et Graeco, *ego*, *εγω*. Sed ego, hoc posteriore Iahni admonitu, euolutionem tento, mea quidem opinione, magis accommodam.

Primigenio semini י *(i)*, in aliqua primarum gentium dialecto, pro consona נ *(nun)*, de qua supra dictum iam est, formatione omnium prima, accessit certe כ *(caph)*: fuit proinde hoc pronomen *ego*, simplici adhuc forma primitiua, aliis נִי *(ni)*. aliis כִּי *(khi)*: vel sane postea etiam promiscuum vtrisque. Atque ex isto vsu promiscuo et hoc alterum adhaesit olim nostris originibus: idque, successu temporis, et retrogada, vt illud alterum, enunciatione, *ikh*, *ik*, et vocali paululum deflexa, *ékh*, *ék*, vsurpatum.

Hunc ortum secundi huius pronominis probat et Teutonum vsus, certe ad ipsos etiam ex lingua primigenia deriuatus. Audiuntur enim haec eadem et hodie in varia eorum dialecto: *i*, *ih*, *ik*, *ich*.

Apud Hebraeos porro, vt mea est non vana illatio, quemadmodum alteri pronomini, formatione ampliore, ab initio א *(aleph)* est adiectum cum *cateph patach*, אֲנִי *(ani)*: ita et alterum eadem increuerit adiectione, אֲכִי *(akhi)*, vel longa etiam vocali, seu *kametz*, אָכִי *(ákhi)*, quae sono postea obtusiore, quo parum ab *o* differt, pronunciata, dederit אֹכִי *(okhi)*. Et ex hoc iam proclinius ortum ducit, Latinum, ac Graecum pronomen, retrogada certe et hoc pronunciatione, *ikho*, *igo*, ac demum *ego*, ἐγώ.

Existimo apud Hebraeos demum ista duo, אֲנִי et אֹכִי (*ani* et *okhi*), vel certe אֲנִי praeformatum, et alterum simplex כִי *(khi)*, in vnum coaluisse, geminatumque dedisse primae personae pronomen energicum, אָנֹכִי *(ánókhi)* ego-ego, ego-met, egò-ipse: et in horum quidem אֲנִי et אֹכִי *(ani* et *okhi)* compositione factum hoc fuisse, literis, quae se in coalescendo contingebant, mutuo elisis, retento tamen *cholem* vocalis sono; in istorum vero אֲנִי et כִי *(ani* et *khi)* connexione, prioris אֲנִי *(ani)* י *(jod)* littera in ו *(vav)* mutata cum signo et sono *cholem* vocalis, וֹ *(ó)*, primum אָנוֹכִי *(ánókhi)*, tandem et hac expuncta, sed signo vocalis retento, אָנֹכִי (*ánókhi*).

Apud origines nostras fuerit *ék* diu etiam separatum, sicut est hodieque potissimum apud Teutones: vt proinde duo habuerimus olim separata pronomina, *én*, et *ék*, Hebraeorum totidem pronominibus, et primigeniis simplicibus, נִי (*ni*), et כִי (*khi*), et postea, temporum successu, incremento auctis, אֲנִי (*ani*), et אָנֹכִי (*ánokhi*), exacte respondentia. Deinde *ék*, vti eius origo כִי (*khi*) apud Hebraeos, cum verbis con-

iunctum ad formandam primam singularem personam, hoc solum vsu superstes, in classem recidit inseparabilium, sua vocali *é* in plerisque temporibus in congruam breuem mutata, in forma tantum indeterminata radice nuda, omnium antiquissima, et in primordiis, vti apud Hebraeos, ita apud nos quoque fortasse vnica.

Nam כִּי (*khi*) apud Hebraeos certe superest in תִּי (*ti*), litera nempe כ (*caph*) in ת (*tav*) mutata: quod ad indicandam primam singularem personam vtriusque generis, solum cum verbis, per omnes verborum species, recurrit in tempore praeterito. Exempla sunto in *paul*: קָטַלְתִּי (*kâtal-ti*), occidi-ego, פָּקַדְתִּי (*pâkad-ti*) inspexi-ego: a radicibus קָטַל (*kâtal*), occidit; פָּקַד (*pâkad*), inspexit. Seruata primigenia pronominis litera haec in primordiis proprie sic fuerint: קָטַלְכִּי (*kâtal-khi*), פָּקַדְכִּי (*pâkad-khi*). Vocali, nostro more, ante consonam prolata, *kâtal-ik*, *pâkad-ik*; eadem in *é* mutata, *kâtal-ék*, *pakad-ék*; ad radicum deinde vocales accomodata, et in breuem abeunte, *kâtal-ok*, *pâkad-ok*, plane nostra hodierna terminatione, quam iam in principio vidimus, *kér-ek*, *vár-ok*.

Puto hac euolutione vtcunque compleri votum Ioannis Seuerini Vateri (Gramm. Hebr. Part. II. Sect. III. Cap. II. §. 408. pag. 255.) *Persona prima*, ait ille, *est affixo* תִי (*thi*) *distincta*, קָטַלְתִּי (*katalthi*): *cuius origo non facile explicatur. Optanda est eius conciliatio cum* אָנֹכִי (*anókhi*). Hanc vero et ipse vltro suppeditat Aethiopum vsu: quibus persona prima haec ipsa est forma, קָטַלְכִּי (*katalkhi*); vnde et mea obseruatio maius accipit robur.

Literam ת (*tav*) in כ (*caph*) mutari apud Hebraeos certum est ex Grammaticorum obseruationibus. Et si hoc stat, idem et vicissim fieri nihil prohibet. Cumque כִּי (*khi*) manifeste adsit in composito אָנֹכִי

Anókhi; insuper certo et illud constet, verborum affixa, personas formantia, pronomina esse: illud תִּי (*ti*) in personis istis, קָטַלְתִּי (*katal-ti*), פָּקַדְתִּי (*pakad-ti*), hac mutatione adesse, proclinius est asserere, quam, vt quidam volunt, per epenthesim.

Exhausimus hoc pacto primae singularis personae tria pronomina nostra: primum *én*, in vsu separato; secundum, de eodem *én*, in statu affixo, mutatum in *ém*; tertium *ék*, in vsu tantummodo affixo.

Haec ipsa pronomina, de eadem certe origine primigenia, paululum mutata, palam est superesse, vt alias praeteream linguas, et in Graeca, et in Latina, et in Teutonica; in casu recto, ἐγω, *ego*, ich; in obliquis vero, μῦ, μοι, με, *mei*, *mihi*, *me*; mein, mir, mich.

PERSONAE SECVNDAE.

TE, ED.

Placet personae secundae euolutionem statim cum Iahno inchoare. Primigenius, inquit ille, secundae personae sonus procul dubio fuit *t*, seu ת (*tav*) litera: vt videre licet in Latino pronomine *tu*, et in Graeco σύ, in locum *t* substituta soni sibilantis litera; non tamen vniuerse; nam apud Dores viguit sonus primigenius τύ. Vocales vltro intelliguntur, pro indole gentium, ad enunciandum varie fuisse adiectae. Et reuera hoc inprimis pronomen, ad gentes quam plurimas, de lingua primigenia, de eadem scilicet origine communi, deriuatum esse, non possumus non vltro obseruare, vel in nostra tantum Europa.

Hanc personam apud Hebraeos, breuiore forma, in vtroque genere, אַתְּ (*att*) fuisse, monent plerique Grammatici. Schroederi quidem haec sunt verba (*Sect. II. de Syntaxi Pronominum Reg.* 34.): *Foemininum* אַתְּ (*att*), *tu*, *communis olim generis fuisse, dubitari nequit, quod masculinum* אַתָּה (*atta*) *ex eodem* אַתְּ (*att*), *et* הָ (*hâ*) *demonstratiuo, fuerit compositum: quare il-*

lud אַתְּ (*att*) *etiam vt masculinum occurrit. Num.* 11, 15. *Deut.* 5, 24. Sed hoc prima omnium formatione natum fuerit praefixo א (*aleph*) cum *patach:* et sonus primigenius huius personae ת (*tav*) vocalem *kametz*, more Hebraeorum, post consonam pronunciatam habuerit, תָּ (*tâ*), vt verbis affixum hodieque habet: cum quibus tamen dum coaluit, et hanc amisit, vt in personis foemininis clare cernitur.

De vtroque hoc vsu, in primigenia lingua vigente, תָּ (*ta*), et אַתְּ (*att*), primis nostris originibus duo erant pronomina communia, vocalibus crassis in tenues mutatis, *te*, atque *ed;* et in hoc quidem altero, ex אַתְּ (*att*), תּ (*tav*) dageschatum, sonantius proinde expressum, redditum est a nostris litera *d* soni densioris. Fuerint ista olim vtraque et separata, et affixa: hodie *te*, et dudum satis, manet perpetuo separatum; *ed* vero coalescens, tam cum nominibus, particulisque, quam etiam cum verbis.

Apud Hebraeos hoc pronomen, verbis iunctum, retinet primigenium ת (*tav*) suum; sed, cum nominibus coalescens, id in כ (*caph*) mutat. Superiora verborum exempla in *paal* has dant secundas personas: קָטַלְתָּ (*kâtal-tâ*), פָּקַדְתָּ (*pâkad-tâ*), occidisti, inspexisti-tu mas; קָטַלְתְּ (*kâtal-t*), פָּקַדְתְּ (*pâkad-t*), occidisti, inspexisti-tu foemina. Cum nominibus autem sic efferuntur relationes: דְּבָרְךָ (*debâr-khâ*), verbum-tui maris; צָרָתְךָ (*tzârâth-khâ*), anxietas-tui maris; דְּבָרֵךְ (*debâré-kh*), verbum-tui foeminae; צָרָתֵךְ (*tzâ-râthé-kh*), anxietas-tui foeminae.

Consonam ת (*tav*) in כ (*caph*) mutari expressis verbis monet inter ceteros etiam Buxtorfius (*et in Thesauro Grammatico Libr. I. Cap. XI., et in Epitome Grammaticae suae Cap. IX.*), ad vitandam scilicet confusionem syllabarum formatiuarum, quae ex iisdem pronominibus petitae adhibentur ad formationem verbo-

rum. Ex hac consonae ת (*tav*) in כ (*caph*) mutatione intuli ego vicissim et consonae כ (*caph*) in ת (*tav*) mutationem in prima verborum persona singulari: etsi Buxtorfius, aliique, in illo תִּי (*ti*), primae singularis personae formatiuo, ex אֲנִי (*ani*) literam ת (*tav*) positam pro litera נ (*nun*) adstruant; vt esset distinctio inter hanc syllabam formatiuam, et pronomen significatiuum נִי (*ni*); aut certe literam ת (*tav*) per epenthesim adscitam. Non illis succurrit תִּי (*ti*) istud, non in אֲנִי (*ani*), sed rectius in אָנֹכִי (*ánókhi*) esse quaerendum, in huius nempe compositi parte simplici כִי (*khi*): cuius originem, accensa apud Iahnum face, euoluendam suasit nostri *ék* peruestigatio; et sententiam postea meam confirmauit consonarum תּ (*tav*) et כ (*caph*) mutua alternatio, paulo ante memorata.

Conspirant nobiscum Esthones, in dialecta Revalensi, eiusdem *ed* pronominis vsu, quem de communi habent origine prima, certe in verbis, cum consona soni densi, vocali tantum mutata, vt et nos facimus: ex. gr. *kul-od*, audis-tu; *keut-ed*, ligas-tu; *and-ad*, das-tu; *usſ-ud*, credis-tu: quae nemo non videt prorsus nostra esse, vocalibus tantum more nostro expressis, *hall-od*, *köt-öd*, *ad-od*, *hi-ſz-ed*.

In dialecto vero Dörptensi consonae primigeniae sonus tenuis auditur de pronomine *et*: ex. gr. *kül-et*, audis-tu; *mösſ-et*, lauas-tu; *neel-at*, deglutis-tu, *usſ-ut*, credis-tu: nostro hodierno pronunciandi modo, *hall-od*, *mos-od*, *nyel-ed*, *hi-ſz-ed*; olim vero et nobis sic ista fuerunt, *hall-ot*, *mos-ot*, *nyel-et*, *hi-ſz-et*.

Sic prorsus et Fenni primigenium *et* retinent in verbis: *euul-et*, audis-tu; *köyt-ät*, ligas-tu; *heit-at*, iacis-tu; *hasit-at*, canem incitas-tu: olim procul dubio et nobis sic ista pronunciata sunt, *hall-ot*, *köt-öt*, *haít-ot*, *uſzít-ot*; quae hodie sonó denso efferimus *hall-od*, *köt-öd*, *haít-od*, *uſzít-od*. Sed nominibus, particulisque,

lisque, sibilans affigunt pronomen; de quo mox dicemus loco suo.

Apud Lappones autem hoc pronomen, consonae sono vtroque, et denso, et tenui, *ed* nempe secundum Ganandrum, *et* vero secundum Lindahlium, et Oehrlingium, auditur cum nominibus tantum, et particulis, coniunctum: ex. gr. *atj-ad*, et *atj-at*, pater-tui; *cal-ad*, et *cal-at*, piscis-tui; *zjalm-ad*, et *zjalm-at*, oculus-tui.

At in verbis, secundum Ganandrum *caph* consona effertur, secundum Lindahlium vero, et Oehrlingium, *chet*, siue *ha* raucum, vel asperius: *wiedzj ac*, et *wiedzj-ah*, adfers-tu; *souchet-ac*, et *souchet-ah*, gemis-tu; *zjuocg-ic*, et *zjuocg-ih*, redarguis-tu; *wadd-oc*, et *wadd-oh*, das-tu. In quo vsu clarissimum est, primigenii pronominis *eth* adspiratam consonam *tha* abiisse in halitum asperiorem, ex hoc postea, sono puriore, in palatinum forte. Quod illi apud Hebraeos quoque euenisse iam vidimus, vsu tantum inuerso: ת (*tav*) illic sonat in verbis, in nominibus vero, et particulis, mutat in כ (*caph*); hic autem, כ (*caph*), et ח (*chet*) in verbis est, ת (*tav*) vero, imo sono denso etiam ד (*daleth*) in nominibus.

De vtraque hac ratione loquitur Gananđer, licet tantum alteram sequatur: dum notat secundae huius personae omnem notam a plerisque penitus negligi; quod patet factum esse adspiratae literae lenitate sensim tanta introducta, vt vix audiretur. Haec vero sunt Ganandri verba (Sect. IV. §. 5. Not. 1.): *Cur notam secundae singularis personae alii, praeter Lundium, omiserint, non video: adhibuit tamen Auctor Catechismi Lapponici* (*anno* 1726.), *licet raro, literam h, vt leh, es: non male; quia nonnulli ex gutture, vel cum adspiratione, plurimi asperius* (fortius fortasse) *cum e et k proferunt.*

ESZ.

Notant porro Grammatici Hebraei, inter quos est Michaelis, vir auctoritatis maximae: a veteribus ת (*tav*) literam, cum illi dagesch impressum non fuit, cum sibilo pronunciatam fuisse; proprie valere Arabicum *tsche*, Graecum ϑ, vel Anglicum *th*. Sed eam Hebraei hodierni consonae *s* sono acuto exprimunt: ex. gr. אַלְמָנוּת, *almánusz*, non *almánuth*, viduitas; גָּלוּת, *gálusz*, non *gâluth*, captiuitas. Hoc ת (*tav*) Hebraicum conuenit quodammodo cum Latino *t*: quando id ante *i* stat consequente alia vocali, ex. gr. *Titius*, *Titii*, *Titio* (*Michaelis Gramm. Hebr. Libr. I. Cap. I.* §. 3.). Addit Hempelius (*in Primis Linguae Hebr. Elementis*) ת (*tav*) literae sibilanti et ד (*daleth*) literam olim aeque sibilantem. Sed Buxtorfius hoc ד (*daleth*) adspiratum, siue molle, quale sit, ait, nos hodie vix assequi. Non enim aliter pronunciare didicimus *D*, prosequitur porro, quam quomodo sonat *D* Latinum, et δ (*delta*) Graecum. Non putauit huc ea valere, quae de Graeco δ (*delta*) in Grammaticis notantur: eam literam in quibusdam dialectis ζ et σ (*zeta* et *sigma*) sonasse, proinde reuera cum sibilo pronunciatam fuisse. Sic ex. gr. Atticorum κνίδη, *vrtica*, aliis fuit κνίζα; Doriorum μαδὸς, *mamma*, aliis μαζὸς. Etiam ד (*daleth*) Hebraicum in dialecto Arabica plerumque sibilat: quod iam vidimus in מְאֹד (*mod*) adiectiuo, Hebraici superlatiui formatiuo, quod Arabes מַס (*masz*) dicunt.

Iam ex his facile consequitur, veteres neglexisse dagesch in secundis quoque verborum personis, praesertim foemininis, dictumque fuisse illis pro *katal-t* *katal-sz*, pro *pakad-t* *pakad-sz*. Nam ת (*tav*) litera, sono literae *t* expressa, adiecta *h* adspiratione, *the*, huncque halitum simul exprimendi conatu, suapte natura procliuis est in sibilum. Proinde et ipsum pronomen אַתְּ (*att*), neglecto dagesch, et restituta adspira-

tione, אַתְּ, fuerit olim, non tantum *ath*, sed etiam *afz* pronunciatum. Quo vsu et nostris originibus communi, iam in lingua primigenia, nostrum quoque *ed*, vel certe tenuius, cum adspiratione expressum, *eth*, tertium dedit secundae personae pronomen sibilans, *efz*. Fuerit et hoc in primordiis, tam separatum, quam etiam affixum. Sed postea, tantum verbis adhaerescens, et amissa vocali asyllabum *fz*, et ea resumta in concursu duriore, congruenterque mutata, syllabicum *efz*, *afz*, vigere coepit, in prima forma vetustissima, quae indeterminata dicitur radice nuda, in indicatiui praesente, et coniunctiui futuro, vt eius exempla iam principio vidimus, *kér-fz*, *vár-fz*, *kér-end-efz*, *vár-and-afz*.

Ortum huius pronominis *efz*, siue de *et*, siue de *ed* pronomine, clarissimum reddunt etiam nostra exempla domestica: primum verba in *t* desinentia, et eo in imperatiuo varie sibilante; deinde alia complura, quorum *d* sibilat, certe in praesenti tempore: ex. gr. *tseleke-d-ik*, agit, *háboro-d-ik*, turbatur; etiam *tseleke-fz-ik*, *habaro-fz-ik*.

Vestigium vetusti huius pronominis nostri *efz* reperi in Fennica quoque lingua: quod certe ad vtrosque ex eadem origine deuolutum est. Sed est hoc, vt iam supra monui, tantum cum nominibus, ac particulis, coniunctum. Dicunt Fenni in dialecto Aboica *cal-as*, piscis-tui, *of-as*, pars-tui; in Sawonica vero *cal-a-si*, *of-a-si*; et in Botnica *cal-a-sti*, *of-a-sti*. Quae postrema clare manifestant et sibili ortum de *the*, seu *thi*, adspirato: siquidem in hoc *thi* coniunctam adspirationem exprimendi conatus, licet in sibilum deflectens, et alterum tamen coniunctum sonum literae *t* retinuit non supressum, *sti*.

Sic etiam sibilat *eth* particulis adiectum; *es*, non-tu, vocali sua priuatum; *ell-es*, nisi-tu, et *älv-os*, ne-tu, vocali congruenter mutata. Priora tamen in vsu

X 2

sunt cum consona etiam non sibilante: *et*, *ell-et*, non-tu, nisi-tu. Quae consuetudo promiscua, adhuc superstes, valde probat, idem *et* nostris etiam originibus, quod iam supra dixi, promiscue fuisse vsitatum, et sibilans, et non sibilans.

Habent praeterea Esthones hoc pronomen sibilans etiam in vsu absoluto, sed vocali postposita, *sa*, et idem etiam increscens *sinna*. Quod in verbis vidimus, *ed*; atque *et*, vtuntur eo, vti nos, in vsu tantum affixo. Superest porro *sinä*, iam auctum, apud Fennos, vt Vhaëlius obseruat, deriuatum de *si*; quod notat et sic vsurpatum fuisse, *sa*, *sä*, pro *sina*. Quod in verbis adhibetur, *et*, in vsu est dumtaxat affixo, de communi nobiscum origine. Lapponibus est hodie hoc pronomen, sonantius *todn*, lenius *ton*; cuius genitiuus *to*, *tuo*, certe prius fuit, in vsu primigenio, cum nostro *te* congruens. Affixum *ad*, et *at*, quod in nominibus vidimus, fuit et illis idem *te*, vocali praecedente, vt in nostra quoque lingua viget: Ganandri demtum caput de genitiuo *to*, vt ille docet, est vocali absorpta.

ÁL.

Restat vnum adhuc secundae personae pronomen, *ál*; quod hodie, cum varia vocalis suae mutatione, solum cum verbis coalitum superest, in forma quidem illa, quae vulgo passiua dicitur, per omnia tempora constantissime; in forma vero indeterminata prima, radice nuda, in temporibus tantum nonnullis. Hoc pronomen esse tuto dicere possumus per illationem. Reliqua omnia, quae ad formandas verborum personas radicibus accedunt, constat pronomina esse; quod in hac deductione patebit sane quam clarissime: atqui et *ál*, radicibus adiectum, personas determinat; et hoc igitur pronomen esse oportet.

Est אֵל (*el*) apud Hebraeos inter pronomina quidem; sed inter demonstratiua, idque pluralis numeri,

isti, *illi*. Miscetur compositione etiam singulari demonstratiuo לָזֶה (*láze*), *iste*, *ille*, verosimillime de articulo antiquissimo, qui apud Arabes viget, אַל (*al*). Auditur apud Lappones *alde*, sonantius expressum, substituto *d* in locum secundi *l*, et vocali in fine adiecta, genitiui formatiuo: certe et hoc *all* simplicitate primigenia, valore suo, vt erui potest, *ipse*; siquidem *alde*, rectius *állé*, est *ipsius*. Sed, quocunque sit valore, est hoc tamen inter pronomina, et in numero quidem vtroque. Apud nos quoque, in vsu affixo, est inter pronomina, et non modo in singulari numero, sed, vt mox videbimus, etiam in plurali. Fuit ergo, in aliqua originum nostrarum dialecto antiquissima, hoc idem pronomen reuera personae secundae, idque numeri vtriusque: quod interea apud alias gentes, nobis affines, tertiae personae significatione inualuit, et apud Hebraeos quidem in numero pariter vtroque. Eius residuum videtur mihi esse irridentis interiectio apud Turcas, *ala*, en tibi: *al*, tu; et accedente *a*, datiui formatiuo, *ala*, tibi. Cui *en* in Latino additum est ad energiam, *en tibi*; quod Turcae compensant sono, quo hoc *tibi* efferunt, dum cuipiam illudunt. Habent et Arabes אַל (*al*) exhortandi interiectionem, voculam ab articulo emphatico distinctam, *agedum*: haec vtique ad secundam personam, ad quam loquimur, prolata, Turcicae interiectioni gemina, eiusdem personae idem signum vetustum satis clare insinuat. Est in nostra quoque lingua itidem interiectio, *la*, *lá*, vocali postposita, *en*, *ecce*, sed rectius *videsis*, secundam personam clare alloquens. Vnde et hoc non obscurum est vestigium antiquissimi pronominis secundae personae; in lingua primigenia sonus, visionem, attentionem ab eo exposcens, ad quem est sermo directus, pro *te*, tu, quod inclamando eandem exerit vim. Ex eo ortum est postea verbum *lát*, videt: *la* nempe, visio, et verbum

X 3

et, facit, sunt primum composita, *la-et*; vocalibus deinde coalitis natum *lát*, proprie *visionem facit*. Haec, dicta licet per coniecturam, habent tamen probabilitatem non modicam.

Sed pergo ex linguae vsu etiam altero hoc *ál* pronomen clarius eruere, idque numeri, vt supra dixi, vtriusque. Viget peculiare in lingua nostra verborum affixum *lek*, pro vocalium ratione, quae in radicibus occurrunt, etiam *lak*. Huius vsus Hungaris est notissimus; sed origo implexa. Hac forma alloquitur prima persona singularis secundum vtriusque numeri, aliis huius personae accusatiuis saepe neglectis, saepe etiam adiectis, per pleonasmum, ad maiorem euidentiam. Sic *szeret-lek* solum, et adiecto alio pronominis accusatiuo *szeret-lek tégedet*, hunc sensum facit, amo-te-ego: *ápol-lak*, et *ápol-lak tégedet*, suauior-te-ego: *szeret-lek títeket*, *ápol-lak títeket*, amo-vos-ego, suauior-vos-ego; idem etiam suppresso *títeket*, contextu sermonis pluralem indicante. Complectitur hoc *lek* primam personam, eamque singularem, atque vna et secundam, eamque numeri vtriusque. Adhibita analysi hoc clare euoluitur. Primam personam reddit certe *ek*; quod huius personae pronomen esse iam liquido constat. Quare *l*, quod asyllabum restat, pronomen esse debet secundae personae, certe de *ál*, absorpta vocali, idque vtriusque numeri: siquidem *l-ek*, et vocali congruenter mutata *l-ak*, verbis affixum, praeter primam personam agentem, iam demonstratam, et secundam indicat personam sibi inuolutam, eamque vtriusque numeri, et in accusatiuo casu, vti obiectum, quod actionem recipit, *te-ego*, *vos-ego*. Hunc omnino valorem his solis inesse vsus linguae docet quam clarissime. Quibus addita verbi significatio sententiam complet, mira concinnitate, vnico tantum verbulo. Nam *szeret-l-ek*, *ápol-l-ak*, secundum singulos apices genuine reddita, pro-

prie haec reuera exprimunt, vt iam supra exposui: amo - te - ego, amo - vos - ego; suauior - te - ego, suauior - vos - ego.

Haec ratio pronomina subiecti, et obiecti, cum verbo in vnam vocem constringendi, cuius exemplum apud nos hoc vnicum superest, in lingua Hebraea, eiusque sororibus, est admodum familiaris, et frequentissima, per omnes vtriusque numeri personas. Adduco exempla primae tantum singularis personae cum reliquis duabus: פְּקַדְתִּיךָ (*pekad-ti-khâ*) inspexi-ego-te; פְּקַדְתִּיכֶם (*pekad-ti-khem*), inspexi - ego-vos; פְּקַדְתִּיהוּ (*pekad-ti-hu*), inspexi-ego-eum; פְּקַדְתִּים (*pekad-ti-m*), inspexi - ego - eos.

Stante hac euolutione, clarum est, errasse hoc loco Foris Otrokotsium, et alios, qui eum sunt secuti. *Szeretlek*, ait ille, *idem est, quod amo te: vbi illud* lek, *ex Hebraeo* לְךָ, *et* לָךְ (lekâ, *et* lâk), *praestat vicem te, cum decurtatione primae personae: quae esset alias* ſzeretem, *vel* ſzeretek; *vt determinate, vel indeterminate accipitur amor (Part. I. Cap. VII. §. XIX.).* Perperam haec dicuntur. Nam ista Hebraica לְךָ, et לָךְ (*lekâ*, et *lâk*) datiuum pronominis reddunt, *tibi*; ex Hebraico nempe ל (*lamed*) datiui casus formatiuo, et ךָ (*khâ*), secundae personae pronomine, concreta. Deinde expungunt et primae personae notam. Nostrum vero *lek*, vt ego recte me eruisse puto, inuoluit distincte accusatiuum secundae personae, et eum quidem vtriusque numeri, quem docui *l* consona exprimi; inuoluit etiam nominatiuum personae primae, in *ek* pronomine affixo, eamque in forma, quam praesens poscit construendi ratio, indeterminata prima. Nam secundae personae accusatiui, *tégedet*, *titeket*, qui hic per *l* indicantur, item et primae personae, *engemet*, *minket*, verbis iunguntur indeterminatis. *Tégedet*, *titeket ſzeret*, *ſzeretnek*; te, vos amat, amant; non vero deter-

minatis, *szereti*, *szeretik*. Quod ipsum praesefert etiam *szeretlek*, *ápollak*, terminatione sua in *ek*, et *ak*, quae in forma indeterminata prima suum tenet dominatum.

Superata sunt itaque et secundae singularis personae pronomina; quae quatuor esse ostendimus. Vnum vsu seperato, *te*. Tria inseparabilia, seu affixa: *ed*, cum nominibus, particulisque, ac verbis coalescens; duo reliqua, *esz*, et *ál*, tantummodo verbis adhaerentia; et hoc posterius illo priore multo frequentius.

PERSONAE TERTIAE.
Ő, VŐ, JŐ.

Cum Jahno exordior etiam tertiae personae euolutionem. Huius sonum primigenium, in linguae ortu, dicit ille הוּ (*hú*) fuisse, cum adspiratione, aut certe solum וּ (*ú*), vel וֹ (*ó*): quae hodie affixa sunt masculina. שָׂדֵהוּ (*szádêh-ú*), ager-eius, maris; דְּבָרוֹ (*debár-ó*), verbum-eius, maris. De hoc natum est, successu temporis, formatione ampliore, הוּא (*hú*) masculinum, *is*, *ille*. Pro foeminino sumtus est sonus clarior הָ (*há*), quod dat affixum foemininum. אָבִיהָ (*ábi-áh*), pater-eius, foeminae; דְּבָרָהּ (*debaráh*), verbum-eius foeminae. De hoc postea, formatione ampliore, ortum est הִיא (*hí*), *ea*, *illa*, assumto sono acutissimo, qualis fere auditur in Germanico sie, *ipsa*. Quemadmodum alias etiam *h* saepe in *s* mutatur: vti de Graecis vocibus, ex. gr. ἕξ (*hex*), ἑπτα (*hepta*) spiritus asper ʽ (*h*) in Latinis acuto sonat sibilo, *sex*, *septem*. Haec postremo addita faciunt Jahno ad indicandam Germanici pronominis originem.

Sed notandum est, haec generum discrimina posteriorum esse temporum. Nam, si altiora repetamus tempora, patet, haec pronomina promiscua fuisse; quod etiam Vaterus notat (*Hebr. Sprachlehre Part. II. Sect. II. Cap. V.* §. 335.) Certe vtrumque communis fuit generis, et pariter vtrumque in vsu.

Habent eadem haec pronomina etiam Arabes הו (*hū*), *is*, *ille*, cum vocali rotundiore; הִי (*hí*), *ea*, *illa*; et addita in fine vocali, *hüve*, *hije*. Apud Chaldaeos, praeter formas horum pronominum cum Hebraeis communes occurrit et ista peculiaris cum נ (*nun*) litera, הֵן (*hên*), *is*, *ille*; et הָ (*há*) articulo aucta, הָהֵן (*háhên*).

Haec in lingua primigenia sic sensim nata, quemadmodum ad istas gentes, ita ad nos quoque, de eadem origine deriuata sunt. Principio certe et nostris originibus fuit cum halitu, siue spiritu aspero, et vocali rotundiore, vti apud Arabes, *hü*. Halituum prona alternatione, neglecto aspero, expressum est postea obscuro, *vü*; expressum etiam leni, *jü*. Vocali deinde minus rotunda, *hö*, *vö*, *jö*. Et omissis halitibus, quod aetate etiam remotissima saepe fiebat, vsu fere promiscuo, *ü*, *ö*, vt hodie est, et dudum satis, in vsu quidem separato.

Quod ad halitum spectat obscurum, hunc olim reuera viguisse clarissime docet vetustissima Funebris Allocutio, et prior, et posterior. In posteriore est hoc pronomen, vsu separato, omnino et literis separatis distincte expressum, *vv*, *uvt*, *vvt*. Quae ego in Commentario meo non potui non sic legere: *vö*, is, ille; *vöt*, eum, illum. Nihil porro dubitaui et in priore Allocutione contractum *w* in iisdem pronominibus, *w*, et *wt*, resoluere, et eodem legere modo, *vö*, *vöt*. Confirmabar in hoc facto meo eiusdem pronominis vsu affixo, in hoc monumento admodum singulari, et cum verbis, et cum nominibus. Nam primum *terumteve*, *feledeve*, *veteue*, *hallaua*; deinde *intetve*, *ildetve*, *kinzatvja*; vera formationum lege intimius perspecta, manifestum praebent idem pronomen *vö*, vocali tantum congruenter mutata, recta eorundem lectione: *terömté-ve*, *feledé-ve*, *veté-ve*, *hallá-va*; *intet-ve*, *üldet-ve*,

kinzat-vja. In hoc postremo vterque halitus, obscurus et lenis, commixtus est. Haec postea, obscuro halitu in lenem mutato, sic dicta sunt, ad nostrum vsum hodiernum magis accommodata, hocque ipso nobis magis etiam clara: *teremté-je*, creauit-ille; *feledé-je*, oblitus-est-ille; *veté-je*, proiecit ille; *hallá-ja*, audiuit-ille: *intet-je*, monitum-eius; *üldet-je*, persecutio-eius; *kínzat-ja*, cruciatus-eius. Sed halitum *v* iam et illa aetate patet quandoque neglectum fuisse, certe in verbo *mondá-a*, rudi formatione *monda-ő*. Et hoc vsu postea cumprimis in verbis inualescente, de hoc *mondá-a*, et de reliquis, *terömté-e*, *feledé-e*, *veté-e*, *hallá-a*, pronunciandi compendio, vocalibus in vnam coalitis, nata sunt ista syncopata, nostra hodierna, *mondá*, *teremté*, *feledé*, *veté*, *hallá*. Verum de his vberiora dicentur in formatione personarum exacta.

Certum est, quod ad rem praesentem facit, *ő* hodiernum olim apud nos quoque cum halitu obscuro fuisse expressum, *vő*. Hunc postea in lenem mutatum, *jő*, docet eius affixio et hodie cum hoc etiam halitu quam saepissime coniuncta. Quomodo hoc idem pronomen genitiuum formet, dicetur loco opportuniore. Eius forma prima, in vsu affixo, genitiuum effingens, *é*, *vé*, *jé*, amisso accentu, et vocali congruenter mutata, abit in *e*, *a*, *i*, *je*, *ja*; affigiturque tam nominibus, ac particulis, quam etiam verbis: quod vel paulo satis clare vidimus in exemplis superioribus. Illud tantum moneo, idem et alibi, vt occasio feret, identidem moniturus: in affixione huius pronominis, vbi adest *j* consona, vti reuera adest quam frequentissime, eam non adesse, vt vulgo dicitur, connectendi officio, et euphoniae dumtaxat caussa; sed adesse cum ipso pronomine, vt eius partem concretam, residuam ex vsu primigenio.

Iam, vt ad gentes transeam, nobis lingua affines, hanc singularem personam tertiam, apud Esthones, in vtraque dialecto, Revalensi et Dörptensi, dat formatiuum asyllabum *p*: ex gr. *kube-p*, audit ille; *keut-e-p*, ligat-ille; *möſſ-e-p*, lauat-ille; *and-a-p*, dat-ille; *neel-a-p*, deglutit-ille; *uſſ-u-p*, credit-ille. Hoc *p*, vt mox videbimus in exemplis Fennicis, restituta vocali absorpta, est *pi*, hoc porro est *wi*, nostrum omnino antiquissimum *vü*, *vö*, is, ille. Literarum scilicet labialium facili alternatione mutua *wi* abiit in *pi*. Quod dico, mox confirmabitur ipso Esthonum vsu in personis pluralibus. Revalensium vsus hic est: *kul-e-wad*, audiunt-illi; *keut-e-wad*, ligant-illi; *and-a-wad*, dant-illi; *uſſ-u-wad*, credunt-ille: in quibus *wad* habet consonam *t* primigenii pluralis formatiui *öt*, tantum densius expressam, quae apud nos abiit in *k*, *wök*. In Dörptensi quoque dialecto est in plurali idem halitus *w*, in *wa*: quod sine *d* praestat et illis pluralem, vt saepe et nobis nostrum *vö*, *ö*, vti postea videbimus loco suo. His ergo tertia pluralis persona est: *kul-e-wa*, dicunt-illi; *möſſ-e-wa*, lauant-illi; *neel-a-wa*, deglutiunt-illi; *uſſ-u-wa*, credunt-illi.

Aetate remotissima fuerunt ista et nobis, in singulari quidem, *hall-vö*, *köt-vö*, *mos-vö*, *ád-vö*, *nyel-vö*, *hi-ſz-vö*; neglecto autem halitu, *hall-ö*, *köt-ö*, *mos-ö*, *ád-ö*, *nyel-ö*, *hi-ſz-ö*; deinde in plurali, *hall-vök*, *köt-vök*, *mos-vök*, *ád-vök*, *nyel-vök*, *hi-ſz-vök*; sine halitu vero, *hall-ök*, *köt-ök*, *mos-ök*, *ád-ök*, *nyel-ök*: dum nostra demum nata est pronunciatio, vocalibus congrue mutatis, et halitu *v* in aliis in *j* abeunte, in aliis supresso: *hall-ja*, *köt-i*, *mos-sa*, *ad-ja*, *nyel-i*, *hi-ſz-i*; *hall-ják*, *köt-ik*, *mos-sák*, *ad ják*, *nyel-ik*, *hi-ſz-ik*.

Apud Fennos in formanda singulari persona tertia quid fieri soleat, expressis verbis dicit Vhaëlius (*Cap. II.* §. 4.): *in tertia persona vltima vocalis repetitur*;

ex. gr. *cuule-e*, audit-ille; *köytä-ä*, ligat-ille; *heita-a*, iacit-ille; *hasita-a*, canem incitat ille. Amant illi voces suas vocali terminare, in his etiam verba: quae partem magnam, his tantum vocalibus in fine omissis, plane nostra sunt. Repetitio eiusdem vocalis certe est *ö*, is, ille, sine halitu, praecedentibus verborum vocalibus sese accommodans. Solet vero haec vocalis etiam negligi, vel multo verius, vt etiam apud nos fieri iam supra vidimus, cum praecedente in vnam coalescere. Hoc Vhaëlius non obseruauit, subsidiis, quae huc facerent, destitutus; et morem tantum spectans neglectae vtplurimum vocalis, priorum immemor, paulo post haec notat: *tertia persona singularis cognoscitur exinde, quod sola suo careat charactere.*

Sed opportune subiungit illico notam nobis vtilissimam: „Saepius tamen exprimitur *racasta-pi*, amat-„ille, Sawonice *racasta-wi;* tertia pluralis *wat* ha„bet, *racasti-wat*, amarunt-illi.“ Vberius se porro „explicat (Cap. III. §. 16.): „Ab indicatiui praesen„tis persona tertia singulari *säästä-ä*, parcit-ille, „fit quoque *säästä-pi*, Sawonice *säästä-wi;* a ter„tia singulari subiunctiui praesentis *säästene-e*, par„cat-ille, *säästene-pi*, *säästene-wi.* Praeteriti pri„mi tertia pluralis *säästi-wat*, pepercerunt-illi.“ Quare exempla nostra *cuule-e*, *köytä-ä*, *heita-a*, *hasita-a*, et sic vsurpantur in singulari, *cuule-pi*, *köytä-pi*, *heita-pi*, *hasita-pi;* deinde *cuule-wi*, *köytä-wi*, *heita-wi*, *hasita-wi:* in plurali autem *cuule-wat*, *köytä-wät*, *heita-wat*, *hasita-wat.* Paulo ante, in exemplis Esthonicis, iam satis exposui *p* et *w* literarum eiusdem organi mutuam alternationem; *pi*, et *wi*, idem valent, nostrum nempe primigenium *vü*, *vö*, cum halitu obscuro; *wät* est nostrum plurale *vök.*

Fuerant eadem haec verba certe et nostris originibus, primum in singulari, sine halitu, *hall-ö*, *köt-ö*,

hait-ö, *uszit-ö*; cum halitu vero, *hall-vö*, *köt-vö*, *hait-vö*, *uszit-vö*; deinde in plurali, *hall-vök*, *köt-vök*, *hait-vök*, *uszit vök*, halitu vero suppresso, *hall-ök*, *köt-ök*, *hait-ök*, *uszit-ök*: dum hodierna demum inualuerunt, vocalibus congruenter mutatis, et halitu in aliis neglecto, in aliis in *j* abeunte: *hall-ja*, *köt-i*, *hait-ja*, *uszit-ja*; *hall-ják*, *köt-ik*, *hait-ják*, *uszit-ják*.

Vtrorumque vsus, cum nostro aperte consentiens, manifestum praebent idem pronomen, nobiscum commune, cum eodem etiam halitu obscuro, *vü*, *vö*; quod satis probarunt et domestica, vt supra vidimus, exempla.

Haec Fenni sic habent in verbis tantum; nam in nominibus aliam sequuntur rationem. Seruit illis in hoc vsu affixo idem pronomen *hän*, *han*; quod viget in vsu etiam separato, siue absoluto. Sed in vsu affixo asperum *h* in *han* abit plerumque in sibilum acutum, *san*; quam mutationem quandoque fieri iam principio satis indicauimus; traiiciuntur praeterea huius pronominis literae, et vocalis saepe absorbetur: ex. gr. in dialecto Sawonica dicitur *cal-a-han*, et *cal-a-san*, piscis-eius; *os-a-han*, et *os-a-san*, pars-eius; in aliis *cal-a-nsa*, *os-a-nsa*; in Aboica *cal-a-ns*, *os-a-ns*. Fuerint haec olim et in nostra dialecto aliqua; *hal-ön*, *osz-ön*; hodie *hal-a*, *osz-a*, ex *hal-ö*, *osz-ö*.

Iam Lappones videntur mihi in singulari sic prorsus, vt Fenni, *ö*, vel *ü*, pronomen primigenium, coalitum habere cum verborum vocali, qua ea apud hos quoque terminari solent. Quare *wiedzja*, adfert-ille; *soucheta*, gemit-ille; *zjuocgi*, redarguit-ille; *waddo*, dat-ille; fuerint, vocalibus non coalitis: *wiedzja-a*, *soucheta-a*, *zjuocgi-i*, *waddo-o*. In plurali certe clarum est hoc idem *ö*, forma iam plurali *ök*, nostro ferme modo, in *ich*, *ech*, *och*, secundum Ganandrum; secundum Lindahlium vero, et Oerhlingium, in *ih*, *eh*, *oh*; verum coalita sunt et haec cum verborum vocali-

bus: ex. gr. *wiedzj-ich*, et *wiedzj-ik*, adferunt-illi; *sou-chet-ach*, et *sauchet-ah*, gemunt-illi; *zjuocg-ich*, et *zjuocg-ik*, redarguunt-illi; *wadd-och*, et *wadd-oh*, dant-illi. Sic ista fuerunt olim et nobis: *vi-ſz-ö*, *sohajt-ö*, *ſzid-ö*, *ád-ö*; *vi-ſz-ök*, *sahajt-ök*, *ſzid-ök*, *ád-ök*; dum hodierna demum sensim introducta sunt: *vi-ſz-i*, *so-hajt-ja*, *ſzid-ja*, *ad-ja*; *vi-ſz-ik*, *sohajt-ják*, *ſzíd-ják*, *ad-ják*.

Cum nominibus vero in singulari consona *s* iungitur: *atj-e-s*, pater-eius; *cal-a-s*, piscis-eius; *zjalm-a-s*, oculus-eius. Est nempe illis huius personae pronomen in vsu separato, siue absoluto, sonantius *sodn*, lenius *son*: cuius genitiuus *so*, *suo*, quia simplicior est, certe prius exstitit. Asyllabum affixum *s* docet Ganander huius caput esse, absorpta nempe vocali. Clarum est porro, istud *so* esse primigenium *hó*; et *son*, auctum litera *n*, esse ipsum *hon*, Fennorum *hån*; halitu scilicet aspero in acutum mutato. Et *so* in primordiis integrum accessisse nominibus, *atje-so*, *cala-so*, *zjal-ma-so*, aperte ostendit eius pluralis *sek*, vt hoc iis Lemius affigit, quandoque et Ganander: *atje-sek*, pater-eorum; *cala-sek*, piscis-eorum; *zjalma-sek*, oculus-eorum. Sic et nobis cum hoc halitu aspero *hö* fuit aliquando plurale *hök*. Hoc modo et *sö*, cum sibilo, vltro dedit *sök*, *sek*. Nostro more eadem exempla fuerunt olim in singulari: *aty-ö*, *hal-ö*, *ſzem-ö*; in plurali *aty-ök*, *hal-ök*, *ſzem-ök*; antequam hodierna inualuissent, *aty-jok*, *hal-ok*, *ſzem-ök*.

Et haec etiam posteriora, sic explanata, vt intima suauit eorum ratio, pulchre cum nostris conuenire iam clare videntur.

Sed, quod adieci etiam de vocali in his variante, expediam primum pronomen *ö*. Hoc olim ex nostrorum ore *ü* sono rotundiore, illi primigenio propiore, prodiuisse innumera docent exempla vetusta; vt vulgi vsum

taceam vel hodiernum, cui minus defertur. Telegdius sic certe protulit perpetuo. *Ólalkodik ü mí utánnunk* (Part. II. p. 591.): Insidiatur ille nobis. *Hálákat adjunk üneki* (Ibid. p. 641.): Gratias agamus ei. *Meg gyógyétjá ütet* (Ibid. p. 594.): Sanabit eum. *Az ó törvénynek tselekedéséböl érdemlették ük azt* (Ibid. p. 577.): Ex veteris legis obseruatione meruerunt illi hoc. Sic aliquanto serius Lucas Pétsius. *De ü, midőn tiſztségben vólna, nem érté* (fol. 3. pag. adu.): Sed ille, cum in honore esset, non intellexit. *Meg felelének az igazak üneki* (fol. 15. p. auer.): Responderunt ei iusti. *Midőn látod az mezételent, fedd be ütet* (fol. 12. p. auer.): Cum videris nudum, cooperi eum. *Parantsolá tanitványinak, hogy le ültetnék üket* (fol. 36. p. adu.): Mandauit discipulis suis, vt sedere facerent eos. Sic sunt hoc pronomine vsi et alii his multo antiquiores; inter quos praecipuum nomino Ioannem Siluestrum; de quo suffecerit unicum tantum exemplum adducere: *Ki ü magát adá mü érettünk, hogy kiváltana münket, és meg tiſztijtaná ü magának az ü tulajdon népét* (Ad Tit. II. 14.): Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret, et mundaret sibi populum suum.

ÖN.

Iam *ön*, vel *ün*, pro *ö*, vel *ü*, de quo natum est, olim a maioribus nostris quam frequentissime vsurpatum, originis esse antiquissimae liquido constat ex communi eius vsu, cum Chaldaeis, vt iam principio vidimus, deinde cum Esthonibus: sed quod apud vtrosque est cum halitu primigenio, הֵן (*hên*), et *hän*. Congruit cum his et Lapponum *son* sibilans, certe et hoc de *hon* primigenio sic mutatum. Placet et Esthonum, et nostrum vsum, adductis etiam exemplis probare. Esthonum sunt de eorum Scriptura Sacra. *Sillä hän oli Caiphan appi* (Ioan. XVIII. 13.): *Mert ö vala Kaifás ipa*: Nam ille erat Caiphae socer. *Hän ſokiana*

ſyndynit on (Ibid. VIII. 20.): *Ön vákon ſzületett volt*: Ille coecus natus est. *Hän tectteli hänem* (Ibid. XXIV. 28.): *Ön tételé magát önnekik*: Ille se finxit eis. Nostrorum vero exempla sunt sequentia: inter quae recurrunt quaedam etiam in *ün*. In Codice MS. Transl. Bibl. et primum quidem nominibus praefixum. *Ön tulajdon törével* (Iudith. IX. 12.): Suo proprio gladio. *Ön étkeiből* (Dan. I. 15.): De cibis suis. *Ön nyelvével* (II. Machab. VII. 21.): Sua lingua, voce patria. Deinde iunctum cum *maga*. *Ön maga vala* (Iudith XIII. 3. Esther III. 2, et alibi quam saepissime): Erat ipsa sola, ipse solus. Idem crebro recurrit apud Komjathium, vt de aliis taceam: *Valaki tí közületek önmagáról kevélyen ne értsen* (Rom. XII. 3.): Ne quisquam inter vos superbe de se sapiat. Idem *ön* accessit etiam particulis. Habet certe Draskovitsius: *Akár tsak önköztök, akár keniglen nyilván* (M. 8.): Siue inter se tantum, siue vero publice. Deinde et Telegdius more suo: *Ün-köztök sem értenek egyet* (Part. III. p. 426.): Neque inter se idem sentiunt. Item et Pétsius: *Szelédebbek ünköztök az vadak* (fol. 8. p. auers.): Mitiores sunt inter se ferae. Haec hodie sic potius efferuntur: *ő tulajdon törével, ő étkeivel, ő nyelvével, ő maga, ő köztök*. *Ön* itaque olim p o *ő* sumtum, et vtraque promiscue sunt vsurpata.

Hoc *ön* porro, is, ille, vsus olim promiscui cum *ő*, proinde aeque separatum, clare patet etiam affixum adhiberi, tantum cum verbis, in forma indeterminata prima, radice nuda. Tertia certe singularis persona modi imperatiui, et praesentis temporis modi coniunctiui, quae duo tempora eadem sunt, manifeste prodit integrum hoc pronomen *ön*, nisi quod vocalem congruenter mutet. *Küld-j-ön, kér-j-en, vár-j-on, mond-j-on*: petat-ille, mittat-ille, exspectet-ille, dicat-ille. Integra vocali, vt in prima fuit formatione rudi, ita sa-

ne

ne diceres etiam posteriora, vt primum *küld-j-ön*, *kér-j-ön*, *vár-j-ön*, *mond-j-ön*. Caussam, quae istud *ön* in hoc tempore adhibendum suasit, suo loco opportunius explico.

Idem vero *ön* inualuit vsu etiam latiore, praesertim in nonnullis verbis anomalis: nominatim in *vagy*, et *megy*; deinde in iis, quae de radicibus simplicissimis, in vocales desinentibus, *le*, *te*, *ve*, *vi*, *hi*, vel *hü*, orta, habent in praesenti tempore sibilum acutum *ſz*, vicarium halitus asperi *h*; vt ita cum affixis personalibus concinnius cohaereant; *vagy-on*, *megy-en*, *le-ſz-en*, *te-ſz-en*, *ve-ſz-en*, *vi-ſz-en*, *hi-ſz-en*, vel *hü-ſz-ön*; est-ille, pergit-ille, fit-ille, ponit, vel facit-ille, accipit-ille, portat-ille, credit-ille. Ad horum classem pertinet et *vonz-on*, trahit-ille. Haec primae formationis rudi pronunciatu ita sonuerunt: *vagy-ön*, *megy-ön*, *le-ſz-ön*, *te-ſz-ön*, *ve-ſz-ön*, *vi-ſz-ön*, *hi-ſz-ön*. In nonnullis horum penetrat idem *ön*, ad praeteritum quoque tempus primum: *lön*, *tön*, *vön*, *vín*, *hin*, vel *hün*; quae sunt contracta de *leve-ön*, *teve-ön*, *veve-ön*, *vive-ön*, *hive-ön*.

IK.

Iam postremum sequitur pronomen peculiare *ik*, a seculis certe sex, in forma indeterminata secunda, radice aucta, vulgo passiua, dominans tertiae singularis personae formatiuum, et per omnia quidem tempora, excepto praeterito secundo. In praesenti, et in coniunctiui futuro, integrum et hodie affigitur: *ſzün-ik*, *ſzün-end-ik*, cessat-ille, cessauerit-ille; *lak-ik*, *lak-and-ik*, habitat-ille, habitauerit-ille. Olim et in reliquis integrum adhibitum fuisse clare ostendit imperfecti formatio in vetustissima Allocutione Funebri, *en-né-ik*, comederet-ille. Hodie tamen eius vocalis *i* in *é* acutum mutatur, potissimum ob syncopen vsu recc-

ptam, aliasque mutandi soni rationes; quas in ipsa personarum formatione exacta opportunius expono.

Cum personarum formatiua affixa reliqua, clarum, ac certum sit, pronomina esse: et hos reuera pronomen esse recte infertur. Tanto autem firmior est haec illatio: quod hoc nostrum *ik*, pronomini *ön*, supra iam ad euidentiam explanato, suffectum esse, vsus veterum in quibusdam verbis anomalis aperte doceat. Habet certe Codex MS. Transl. Bibl. plus vice simplici sequentia. *alu-ſz-on*, *fek-ſz-en*, *e-ſz-en*, rudi formatione primigenia *alu-ſz-ön*, *fek-ſz-ön*, *e-ſz-ön* (Ruth III. 4. Esther VII. 8. Nahum III. 15.). Haec serius ita constanter vsurpari coeperunt: *alu-ſz-ik*, *fek-ſz-ik*, *e-ſz-ik*. Si itaque in *alu-ſz-on*, *fek-ſz-en*, *e-ſz-en*, terminatio *on*, et *en* est ipsum *ön*, *is* nempe, et *ille*, verum pronomen, dormit-ille, iacet-ille, comedit-ille: sane in his quoque, *alu-ſz-ik*, *fek-ſz-ik*, *e-ſz-ik*, eandem tertiam personam exprimentibus, substituta terminatio *ik* idem valere, *is* nempe, et *ille*, ac proinde reuera pronomen esse debet.

Sunt huius, clara, ac certa vestigia in nominibus quoque, vsu et hodie frequenti. Non obseruamus vero pronomen esse: quod minus diligentes sumus in eruendo genuino eorum significatu, cum quibus id iunctum est; contenti solo vsu, quo ea ad nos venerunt iam composita, et a sensu determinato sensim ad latiorem deflexa. Qua postea ignoratione id fit; vt hoc pronomen vulgo affixum paragogicum vocemus, fere otiosum, ad voces tantum ampliandas adhibitum.

Maiores nostri, vt superstites plerique Codices MS. etiam libri prelo expressi, cumulate exhibent, numeros ordinales absque hoc affixo exprimebant: *má-sod*, *harmad*, *negyed*, etc. secundus, tertius, quartus, etc. In Codice MS. Transl. Bibl. praeter titulos, qui sic notati recurrunt, *capitulum másod*, *harmad*,

negyed, *ötöd*, etc. leguntur eadem etiam in contextu, et quandoque per casus inflexa. *Ez a' másod helyen az elönek gyötrelmét vevé; Mikoron az ötödet el hozták volna* (II. Machab. VII. 8. 15.): Iste secundo loco primi tormentum suscepit; Cum admonuissent quintum. Similiter in Codice MS. Sacr. Serm. de B. V. Maria; *másod részz*, secunda pars; *harmad elmélkedés*, tertia meditatio; *negyed gondolat*, quarta cogitatio; *ötöd*, *hatod*, *nyoltzad*, *kilentzed*, *tized tsillag*, quinta, sexta, octaua, nona, decima stella. Sic etiam apud Komjáthium: *Harmad okért* (In Dedicat.): Tertia de caussa. Nuda haec nos olim habuimus, vt et hodie habent Lappones: *holmad*, tertius; *vitad*, quintus; *kotad*, sextus; *hetſad*, septimus, etc. Quamquam et apud nos vigent hodie quoque sine hoc affixo in his ex. gr. compositis: *harmadfél*, *negyedfél*, *ötödfél*, media tertia, media quarta, media quinta.

Accessit serius affixum, praesertim separatis, certe non otiosum. Nihil pronius inferri potest, quam huius accessione addita vis demonstratiua, aperte designans: *másod-ik*, secundus-ille; *harmad-ik*, tertius-ille; *negyed-ik*, quartus-ille. Certe vel illa superior expressio composita, *harmad-fél*, media tertia, si ex. gr. ita efferatur, *harmad-ik-nak a' felét kívánom*, demonstrati, aperte designati vim prodit, illius tertii dimidium cupio, posco. Multo hoc clarius apparet in comparatiuis; in quibus hoc *ik* vsum, cum elegantem, tum vero energice demonstrantem, aliquid prae ceteris indigitantem, manifeste praesefert. Dum similia proferimus: *a' ſzebb-ik*, *a' jobb-ik; te a' ſzebb-ik-ét vetted el*, *nekem a' jobb-ik-a tetſzik;* apertissima est in his illa, quam toties repeto, vis demonstratiua: pulchrior-ille, melior-ille; tu illum-pulchriorem accepisti, mihi ille-melior placet. Ergo et verbis affixum eandem exexit vim: pronomen est tertiae personae, hanc designat

in tot verborum exemplis, vetusto, et perpetuo vsu roboratis.

Quod ad originem spectat, obseruo et hanc esse de vsu communi linguae primigeniae. Est apud Hebraeos, vt supra vidimus, pronomen personale, hodie foeminini generis, sed quod in primordiis fuerat generis communis, הִיא (*hi*), is, ille, ea, illa. Hoc retrograde prolatum, vt multa alia, apud nostros etiam maiores promiscue vsurpatum, fuit primum *ih*; deinde adspiratione, praesertim in fine vocis, densius, fortiusque expressa, migrauit in *ik*, is, ille, ea, illa.

Iam euoluta sunt et tertiae singularis personae pronomina. Sunt ea de duobus linguae primigeniae pronominibus: quorum alterum fertilius plura de se dedit, alterum solum perstitit. *Ő* primigenium vsu viget separato. De quo *ön*, accepto augmento natum, et separatum, et affixum est. Porro *é*, de eodem *é*, in vsu semper affixo; non mutatum genitiui formatiuum; mutatum vero, nominum, particularumque, et verborum comes. *Ik* sterile, in vsu tantum affixo.

b. PLVRALIA.

1) PERSONAE PRIMAE.

Pluralis personae primae pronomina quinque sunt in lingua nostra: ***mí***, ***ënk***, ***mik***, ***mink***, et ***ük***.

Mí, olim ***mü***, cum vocali rotundiore: vsu viget separato, et reddit absolute ***nos***; nisi per pleonasmum praeponatur nominibus, et particulis, affixo pronomine auctis; quo loco adiectiui valore stat, ***noster***, ***nostra***, ***nostrum***: ex. gr. ***mí kép-ünk***, nostra imago-nostri; ***mí ház-unk***, nostra domus-nostri.

Énk, ipsum *emek* contractum; quod est plurale, recta lege natum de affixo pronomine *ém*, assumto plurali formatiuo *ök*, vocali congruenter mutata, et accentu propter incrementum amisso, *ém*, *emek*; contractum *émk*, resumto accentu, et in locum *m* restituto *n* primigenio, cum *k* amicius conueniente, factum *énk*.

Est vero istud *énk* hodie, vocali non mutata, sic integrum, vnice in plurali pronomine possessiuo *mi-énk* superstes, vti ipsius singulare *ém* in eiusdem possessiui pronominis singulari *eny-ém*; istud etiam genitiuo exprimendum, *nostri*, et geminate quidem propter geminationem, *nostrum-nostri*.

Porro, sicuti eius singulare, ita et ipsum hoc plurale, vocali sua congruenter mutata, *ünk* et *unk*, in vsu affixo est quam frequentissimum: nam verbis iunctum, in vtraque forma indeterminata, primam format personam, *nos*; nominibus vero, et particulis affixum, genitiuo est reddendum, *nostri*: ex. gr. *kér-ünk*, petimus-nos, *vár-unk*, exspectamus-nos; *ſzün-ünk*, cessamus-nos: *lak-unk*, habitamus-nos; *kép-ünk*, imago-nostri; *ház-unk*, domus-nostri.

Mik, olim *mük*, de eodem *emek*, absorpta prima vocali; olim et verbis formae indeterminatae, et nominibus affixum; et cum his quidem plerumque resumta prima etiam vocali, in illis vero concursu tantum duriore. Hodie vsus eius rarissimus, isque absolutus tantum in solo nominatiuo casu, *nos*.

Mink, olim *műnk*, contractum ex geminato *mű-műk*, in primordiis et hoc prolixiore, *mű-emek*, nos-nos. Vsu tantum separato viget; de quo est accusatiuus pluralis primae huius personae, *münk-et*, *mink-et*.

Ük, vocali congruenter mutata *uk*, nos; in vsu tantum affixo, vnice verbis iunctum, iisque formae solum determinatae; singularis pronominis *ék*, ego, plurale antiquissimum, vocali tantummodo differens.

2) PERSONAE SECVNDAE.

Secundae pluralis personae pronomina tria numeramus in lingua nostra: *tí*, *etek*, *tik*.

Tí, olim *tű*, vocali rotundiore prolatum; et hoc in vsu separato valet absolute *vos*; nisi dum nominibus, particulisque, affixo pronomine iam auctis, per pleonasmum praemittitur; quo loco et hoc adiectiuo exprimendum est, *vester*, *vestra*, *vestrum*: ex. gr. *tí kép-etek*, vestra imago-vestri; *tí ház-atok*, vestra domus-vestri.

Etek, plurale affixi pronominis *ed*, accepto formatiuo plurali *ök*, vocali congruenter mutata, et consona *d* pleniore tenuius prolata: *ed*, *ed-ek*, *et-ek*.

Superest hoc *etek*, omnino sic integrum, in plurali pronomine possessiuo *ti-etek*; sicuti ipsius etiam singulare *ed* in eiusdem possessiui pronominis singulari *ti-ed*: genitiuo et hoc redditur, *vestri*, et propter geminationem aeque geminate, *vestrum-vestri*.

Sed vocalibus suis congruenter mutatis, in vsu affixo, latius etiam extenditur, quam eius singulare: nam verbis per omnes formas iungitur, ad formandas eorum personas, sed prima vocali absorpta, *tek*, *tök*, *tok*, vos; quam tamen in concursu duriore statim resumit, *etek*, *atok*: nominibus autem, particulisque affixum, vtplurimum integrum est, *etek*, *ötök*, *otok*, *atok*, et genitiuo exprimitur, *vestri*: ex. gr. *kér-tek*, *vár-tok*, petitis-vos, exspectatis-vos; *ſzün-tök*, *lak-tok*, cessatis-vos, habitatis-vos: *kér-end-etek*, *vár-and-atok*, petieritis-vos, exspectaueritis-vos: *kép-etek*, imago-vestri; *ház-atok*, domus-vestri.

Tik, olim *tük*, vos, de eodem affixo *etek*, prima vocali absorpta; translatum ad vsum etiam separatum, sed rariorem.

3) PERSONAE TERTIAE.

Tertiae pluralis personae pronomina similiter tria habemus: *ők*, *ék*, *önök*.

Ők, ii, illi, plurale pronominis *ő*; et vt hoc olim *ű* fuit, ita et eius plurale *ük*; in vsu separato constans sibi, nulli obnoxium mutationi; sed quando per pleonasmum praecedit nomina, et particulas, affixo pronomine auctas, sine pluralitatis signo, solum *ő*, plurali est valore, et adiectiuum praestat, *suus*, *sua*, *suum*; ex. gr. *ő kép-ök*, sua imago-eorum; *ő ház-ok*, sua domus-eorum.

Ék, *vék*, *jék*, plurale affixi pronominis *é*, *vé*, *jé*: in vsu aeque tantum affixo.

Vocali non mutata, superest in plurali pronomine possessiuo *ö-ék*, *ö-vék*, *ö-jék*, vti eius singulare in eiusdem possessiui pronominis singulari, *ö-é*, *ö-vé*, *ö-jé:* genitiuo et hoc efferendum, *sui*, vel *eorum*, et propter geminationem pariter geminate, *suum-sui*, vel *eorum.*

Vocali vero congruenter mutata, et accentu amisso, *ek*, *ök*, *ak*, *jek*, *jok*, *jak*, verbis adiectum, in sola forma determinata, cum praeeunte vocali vtplurimum coalescens, in nominatiuo est ii, illi; cum nominibus vero, et particulis coniunctum, genitiuo redditur, *eorum*, vel *sui;* ex. gr. *kér-ék*, *vár-ák*, vel more vetusto, *kér-é-jek*, *vár-á-jak*, petierunt-illi, exspectarunt-illi; *kép-ök*, *ház-ok*, imago-eorum, domus-eorum.

Önök, ii, illi, plurale aucti pronominis *ön*, is, ille; in vsu solum affixo, verbis iunctum in forma indeterminata vtraque, vocalibus congruenter mutatis, et prima etiam absorpta, praeter concursum duriorem, quo casu eam resumit, *nek*, *nak*, *enek*, *anak:* ex. gr. *kér-nek*, *vár-nak*, petunt-illi, exspectant-illi; *kér-t-enek*, *vár-t-anak*, petierunt-illi, exspectarunt-illi: *fzün-nek*, *lak-nak*, cessant-illi, habitant-illi; *fzün-t-enek*, *lak-t-anak*, cessarunt-illi, habitarunt-illi.

Euolutis, ac stabilitis singularium personarum pronominibus, eorum pluralia tanto iam facilius expediuntur.

PERSONA PRIMA, ET SECVNDA.

MŪ, TŪ.

Hebraeorum pronomen primigenium primae singularis personae נִי *(ni)*, ego, dat de se plurale, litera י (*jod*) in ו (*vav*) mutata, cum *schurek* vocalis sono, נוּ (*nú*), nos. Hoc simplex plurale primigenium, vt ego reor, cum posterioris אֲנִי (*ani*) plurali אֲנַח (*anach*) coniunctum, geminatione et nobis familiari, duplex praebuit auctum, et vsus separati, pronomen plurale, אֲנַחְנוּ (*anach-nú*), et א (*aleph*) litera ab initio neglecta, נַחְנוּ (*nach-nú*), nos, proprie certe nos-nos. Puto enim illud ח (*chet*) in prioribus horum partibus itidem pluralis numeri esse indicium: ות (*oth*) nempe, vel ו (*vav*) omisso, ת (*oth*), pluralis numeri formatiuum, ad halitum ei coniunctum fortius exprimendum, ex imo gutture fuisse protrusum, atque hoc nisu, quem et tonus eo loco insertus intendit, degenerasse in ח (*chet*); vt in Lapponico vidimus plurali, in nostro etiam, eodem hoc ח (*chet*) in כ (*caph*), palatinum forte, mutato: hocque pacto ista composita prima, et propria, אֲנַת־נוּ (*anath-nú*) et נַת־נוּ (*nath-nú*), abiisse in אֲנַח־נוּ (*anach-nú*), et נַח־נוּ (*nach-nú*).

Idem נוּ (*nú*), ortum in lingua primigenia, fuit in primordiis et nostris originibus commune cum Hebraeorum originibus: deinde successu temporum migrauit, tam consonae, quam vocalis, prona, ac facili mutatione, et pronunciatione recta, primum in *mū*; postea, quod solum hodie viget, etiam in *mí*, nos.

Huius similitudine existimo et secundam pluralem personam natam esse ex singulari *te*, tu, sola vocali mutata, primum *tū*; et serius postea, huius quoque vocali in *í* abeunte, *tí*, vos.

Congruit cum hoc pronomine nostro *tū* et Hebraeorum secundae pluralis personae pronomen, sed in statu tantum constructo, adscitis aliis pronominibus ca-

sus accusatiui : ex. gr. פְּקַדְתּוּנִי (*pecad-tú-ni*), inspexistis vos-me. קְטַלְתּוּנִי (*ketal tú-ni*), occidistis-vos-me. פְּקַדְתּוּנוּ (*pecad-tú-nú*), inspexistis-vos-nos. קְטַלְתּוּנוּ (*ketal-tú-nú*), occidistis-vos-nos. פְּקַדְתּוּהוּ (*pekad-tú-hú*) inspexistis-vos-eum. קְטַלְתּוּהוּ (*ketal-tú-hú*) occidistis-vos-eum. Idem hic vsus viget in lingua Chaldaica, et Syriaca. Est in his תּוּ (*tú*), *vos*, exacte respondens nostro *tü*. Fuerit hoc primis Hebraeorum originibus, pariter cum nostris, vsu etiam separato familiare, et fortasse hoc solum notum. Ex eo postea nata hodierna affixa, assumta ם (*mem*) multitudinis nota, תֶּם (*tem*) cum verbis absolutis, et כֶּם (*khem*) cum nominibus, ac particulis.

Hebraeorum נוּ (*nú*), et verbis, et nominibus, particulisque adnectitur. פָּקַדְנוּ (*pâkad-nú*), inspeximus-nos; קָטַלְנוּ (*katal-nú*), occidimus-nos. דְּבָרֵינוּ (*debârê-nú*), verbum-nostri; צָרָתֵנוּ (*tzârâthê-nú*), anxietas-nostri. Pariter fuerit, mea quidem opinione, et תּוּ (*tú*) plurale pronomen, in primordiis, antequam illa posteriora nata fuissent, et verbis, et nominibus, particulisque affixum. פָּקַדְתּוּ (*pâkad-tú*), inspexistis-vos; קָטַלְתּוּ (*katal-tú*), occidistis-vos. דְּבָרֵיתוּ (*debârê-tú*), verbum-vestri; צָרָתֵיתוּ (*tzârâthê-tú*), anxietas-vestri.

Admodum probabile est in primordiis et nostros suis primis pronominibus *mü*, et *tü*, sic plane vsos fuisse: tam in verborum nexu, ex. gr. *fut-mü*, *fordúl-mü*, *él-mü*, *merül-mü*, currimus-nos, vertimur-nos, viuimus-nos, mergimur-nos; *fut-tü*, *fordúl-tü*, *él-tü*, *merül-tü*, curritis-vos, vertimini-vos, viuitis-vos, mergimini-vos: quam etiam in nominum constructione, ex. gr. *atya-mü*, *anya-mü*, pater-nostri, mater-nostri; *atya-tü*, *anya-tü*, pater-vestri, mater-vestri.

Inuenio certe manifesta huius vsus vestigia apud Esthones; nisi quod illi pro *ü* vocali nostra *e* habeant.

Haec in exemplis videre licet: *kule-me*, audimus-nos; *keute-me*, ligamus-nos; *mösse-me*, lauamus-nos; *anda-me*, damus-nos; *neela-me*, deglutimus-nos; *ussu-me*, credimus-nos: deinde *kule-te*, *keute-te*, *mösse-te*, *anda-te*, *neela-te*, *ussu-te*, auditis-vos, ligatis-vos, lauatis-vos, datis-vos, deglutitis-vos, creditis-vos.

Sic habent haec in verbis quidem et Fenni; nisi quod pronominum consonantes geminent, nimia voces omnes sonantius exprimendi consuetudine sua: *cuule-mme*, audimus-nos; *köytä-mme*, ligamus-nos; *heita-mme*, iacimus-nos; *hasita-mme*, canem incitamus-nos: deinde *cuule-tte*, *köytä-tte*, *heita-tte*, *hasita-tte*, auditis-vos, ligatis-vos, iacitis-vos, canem incitatis-vos.

Sic ea vsurpant etiam Lappones, primum in verbis, certe in praeterito primo, et in imperfectis coniunctiui: secundum Ganandrum quidem tam in duali, quam in plurali numero; secundum Leemium vero in duali tantum: *wiedzji-me*, *soucheti-me*, *zjuocgii-me*, *waddoi-me*, attulimus-nos, gemuimus-nos, redarguimus-nos, dedimus-nos; *wiedzji-dte*, *soucheti-dte*, *zjuocgii-dte*, *waddoi-dte*, attulistis-vos, gemuistis-vos, redarguistis-vos, dedistis-vos: deinde *wiedzjali-me*, *souchetali-me*, *zjuocgili-me*, *waddoili-me*, adferremus-nos, gemeremus-nos, redargueremus-nos, daremus-nos; *wiedzjali-tte*, *souchetali-tte*, *zjuocgili-tte*, *waddoili-tte*, adferretis-vos, gemeretis-vos, redargueretis-vos, daretis-vos.

Eadem habent et cum nominibus, vt Ganander docet, in duali, et plurali numero, vt vero Leemius, in duali tantum; et apud Ganandrum quidem promiscua est in iis vocalis, *me*, *te*, etiam *mi*, *ti*; quae sunt ipsa pronomina pluralia absoluta *mij*, *tij*; *atja-me*, et *atja-mi*, pater-nostri; *cala-me*, et *cala-mi*, piscis-nostri; *zjalma-me*, et *zjalma-mi*, oculus-nostri: deinde

atja-de, et *atja-dti*, pater-vestri, *cala-de*, et *cala-dti*, piscis-vestri; *zjalma-de*, et *zjalma-dti*, oculus-vestri.

Clarissima sunt et Vojtakorum exempla. Ipsa hodierna pronunciatione nostra habent illi haec pronomina, *mí*, *tí*, nos, vos. Eadem verbis adnexa comparent: *vui-mi*, *vui-di*, fuimus, fuistis; *vuo-mi*, *vuo-di*, erimus, eritis. Haec nostris verbis reddita sic essent: *volt-mí*, *volt-tí*; *le-fz-mí*, *le-fz-ti*.

Et ista puto sufficere ad stabiliendam opinionem de primigenia affigendi ratione simplicissima.

PERSONA TERTIA.

Ü.

Pronomina *mü*, et *tü*, nos, vos, hac sua forma pluralia, habuerunt certe et *ü* socium pronomen eadem forma nuda plurale, alio formatiuo plurali non auctum. Probat hoc vsus et huius pronominis, sic nude sumti per pleonasmum, hodieque superstes, ante nomina, et particulas, plurali affixo pronomine auctas; vbi et ipsum pluralitatis notionem habet sibi coniunctam, vt in exemplis iam vidimus: *ö kép-ök*, sua imago-eorum; *ö ház-ok*, sua domus-eorum.

Ad hoc vero magnum accedit robur ex vsu etiam Hebraeorum, Chaldaeorum, et Syrorum: apud quos וּ (*ú*), ipsum certe *ü* nostrum, in verbis quidem tertiam format personam pluralem: פָּקְדוּ (*pâkd-ú*), inspexerunt-illi; קָטְלוּ (*katl-ú*), occiderunt-illi. Fuit ergo apud hos quoque iam in prima origine, vnde hic vsus deriuatur, prioribus pronominibus pluralibus נוּ (*nú*), et תוּ (*tú*), socium et tertium pronomen plurale וּ (*ú*), forma simplicissima, sine ם (*mem*), quod multo serius accessit, הֵם (*hèm*), ii, illi. Hoc idem וּ (*ú*), expressum cum halitu suo, הוּ (*hú*), eoque sibilante, *su*, videtur mihi ipsa origo esse et Latini pronominis reciproci: *su*, *sui*, *sibi*, *se*; *suus*, *sua*,

suum; cui, sub eadem hac forma, inest pariter, et singularis, et pluralis numeri notio.

Non possum non attingere et Lapponum vsum, quo noster mire confirmatur. Nam apud hos etiam *sa* plurali notione est in affixione, ipsum certe *sij:* licet misceatur apud Ganandrum, aliosque, et alterum affixum, cum clariore pluralitatis indicio, *sech*, *seh;* quae Leemius inter se distinguenda docet, vt *sa* duale sit, *sek* vero plurale. Exempla saepius memorata et sic videamus: *atja-sa*, pater-eorum; *cala-sa*, piscis-eorum; *zjalma-sa*, oculus-eorum; deinde *atja-sek*, *calas-ek*, *zjalma-sek*, eodem valore, pater-eorum, piscis eorum, oculus-eorum. Quare apud hos quoque pronomina nuda, duali, et plurali notione, non vtique singulari, *ma*, *ta*, congruenter sic mutata de *mij*, *tij*, nos, vos, socium habent et tertium pronomen aeque nudum, duale, et plurale, non sane singulare, *sa*, de *sij*, ii, illi: vti et aucta pluralia inter se socia sunt, *mek*, *dek*, *sek*, nos, vos, illi. Tanto itaque firmiora sunt et nostra pluralia nuda, inter se aeque socia: *mü*, *tü*, *ü*; distinguenda ab alteris auctis, similiter sociis, *mük*, *tük*, *ük;* quae iam vberius explananda sumimus.

PERSONAE PRIMAE, ET SECVNDAE.

MÜK, TÜK, EMEK, EDEK.

Pronomina *mik*, *tik*, olim *mük*, *tük*, primo quidem intuitu, facile dixerimus, esse de *mi*, *ti*, olim *mü*, *tü*, licet iam pluralibus, ad maiorem tamen pluralitatis euidentiam, pluralia aucta, adiecto formatiuo plurali *ök*, cum iis coalescente. Neque admodum repugno, si quis in hac potius maneat sententia. Ea nihilominus, quae mihi et in his veriora esse videntur, explano, pro more meo, ad penitiorem et horum euolutionem, propter vsum cumprimis affixum.

Pronomina *mü*, *tü*, sono tantum vocalium iam in primordiis pluralia facta, veterum monumenta omnia,

quae ego legi, et quantum in iis memoria valeo, tam manuscripta, quam prelo expressa, sic perpetuo vsurpata fuisse docent, in vsu quidem separato, nuda, non aucta *k* litera, euidentiore pluralitatis nota, *mük*, *tük*. Cum veteribus nimium conspirant et recentiores. Vetustissima Allocutio Funebris habet separatim *miv*, *tiv*, cum halitu obscuro, producendae vocalis signo, eo neglecto *mí*, *tí*. Atque in ipso hoc monumento singulari, exemplo omnino raro, hodie non vsitato, vbi adest *mük*, adest in statu affixo: vti et socium pronomen *tük*, quod quidem est et hodie sic in vsu. Adest vtrumque lege eadem, quae est nobis ex altero *tük* notior; nominibus affixum, praemissa vt plurimum vocali; verbis vero adnexum, sine ea solum, praeter concursum duriorem. Praemissa haec vocalis, et iste horum pronominum vsus in statu tantum affixo, eo me vltro adducunt: vt haec affixa singularium affixorum pluralia esse credam, in his quoque personis, modo omnino analogo, vti sunt eadem in tertiis etiam: socia nimirum, in numero singulari, vsu affixo, et mutationibus ab hac affixione dependentibus; socia etiam datis de se pluralibus, in eodem vsu affixo, et iisdem ferme mutationibus.

Primae itaque personae affixum singulari *ém*, secundum legem directam formationis vltro dedit de se affixum plurale *em-ek;* sicuti personae secundae affixum aeque singulare *ed* affixum praebuit plurale *ed-ek*. In vtroque, tam in *emek*, quam in *edek*, adest vocalis prima de singularibus *ém*, atque *ed;* eaque et in his, dum affiguntur, congruenter mutabilis: pariter ergo et in pluralibus flexilis, immo, ad syllabarum compendium, etiam euanescens. Euanescit vocalis affixi pronominis *efz*, vt iam vidimus; et sola asyllaba consona *fz* sufficit formandae personae secundae: absorbetur vocalis in formatiuo praeteriti, in formatiuo accusatiui: sed in

concursu duriore rursum redeunt et istae, et illa. Pariter fit ergo et in nostris *mük*, et *tük*, pronominibus.

In Allocutione Funebri recurrunt haec verborum exempla, hodie insolita, in personis primis: *vegmuc*, *vimaggomuc*, quae sic lego, *vagy-muk*, *vimádj-amuk*, sumus-nos, oremus-nos: illo aeuo ita fuerunt eadem et in secundis personis, *vagy-tuk*, *vimádj-atuk*, vti sunt hodieque, *vagy-tok*, *vimádj-atok*, estis vos, oretis-vos. Est exemplum prorsus singulare et nominis cum eodem affixo pronomine, *isemucut*, quod ita lego *ös-emük-öt*, patrem nostri. Hoc, resecto accusatiui formatiuo, est certe *ös-emük*, pater-nostri. Socium pronomen affixum personae secundae et tunc sic fuit: *ös-etük-öt*, *ös-etük*, patrem-vestri, pater-vestri: et id quidem hodieque sic est, *ös-ötök-et*, *ös-ötök*; sic in aliis exemplis innumeris, *kép-etek*, *nyüg-ötök*, *ház-atok*, *bor-otok*, imago-vestri, pedica-vestri, domus-vestri, vinum-vestri.

In his ego affixa ista *emük*, *etük*, de primis *emek*, *etek*, integra dico esse tanto etiam securius: quod in lingua Lapponica etiam Leemius, qui haec pluralia a dualibus *me*, *te*, seu *mi*, *ti*, fortasse magis superstitiose, quam vere distinguenda esse monet, nominibus quidem sic integra accedere aperte doceat, *emek*, *edek*, *amek*, *adek*, teste etiam Sajnovitsio (§. X. pag. 95.): procul dubio et haec de iisdem *em*, *ed*, affixis singularibus, Lapponibus nobiscum ab origine prima communibus, deducta. Sed haec, vocali inchoata, dum nominibus, et verbis, quod est in hac lingua fere perpetuum, itidem vocali terminatis, iunguntur, propter vocalium concretionem, mutilata esse vulgo non obseruantur, et affixa propria haec putantur, pro dialectorum varietate; *mek*, *mech*, *meh*; *dek*, *dech*, *deh*: ex. gr. cum nominibus, *atja-mech*, *cala-mech*, *zjalma-mech*, pater-nostri, piscis-nostri, oculus-nostri; *atja-*

dech, *cala-deeh*, *zjalma-dech*, pater-vestri, piscis-vestri, oculus-vestri: cum verbis vero, sed vt iam supra monui, tantum in praeterito primo, et in coniunctiui imperfectis: *wiedzji-mech*, *soucheti-mech*, *zjuoegii-mech*, *waddoi-mech*, attulimus-nos, gemuimus-nos, redarguimus-nos, *wiedzji-dech*, *soucheti-dech*, *zjuocgii-dech*, *waddoi-dech*, attulistis-vos, gemuistis-vos, redarguistis-vos, dedistis-vos. Fit hoc pariter in nostris. Eadem haec verba, nostro more expressa, veteri tamen, ad conuenientiam cum Lapponibus clarius videndam, idem satis ostendunt: *vevé-mük*, *sohajtá-muk*, *ſzidá-muk*, *adá-muk*; *vevé-tük*, *sohajtá-tuk*, *ſzidá-tuk*, *adá-tuk*.

At vero, et primum affixum *mük* et secundum *tük*, tam olim, quam et hodie, vbi sic mutilum est, absorpta est vocali; quam in concursu duriore illico reuocat, vt sibi propriam, et non adsciscit aliunde, vt vulgo putatur, euphoniae tantum caussa. Et vsu affixo *tök*, siue *tik*, in quo id hodieque superest, transiit in vsum etiam separatum, sed rarum, eumque magis in sermone; eius societate et *mük*, seu *mik*, eundem accepit vsum, verum istud iam multo rariorem.

ÉNK, ÜNK, MÜNK.

Quod porro in eadem Allocutione Funebri, praeter *ös-emük*, alterum recurrit exemplum peculiare, *uromc*, et *uromchoz* reuera sic legendum, *ur-omk*, *ur-omk-hoz*, dominus-nostri, ad-dominum-nostri; id quidem vtrumque clare indicat, iam tunc et istum morem promiscue viguisse: vt de eodem affixo pronomine *emek*, *emük*, hic *omuk*, vocalibus accommodatis ad vocalem possessi nominis *úr*, posterior vocalis etiam expungi potuerit, *em-k*, *om-k*. Huius ego admonitu coepi ortum euoluere hodierni pronominis affixi, quod istius in locum substitutum habemus, vsu prorsus eodem. Certe *emek*, affixum plurale, in primordiis com-

mune

mune nobis cum Lapponibus, de affixo singulari *ém*, compendium accepit expuncta vocali, *em-k;* redeunte accentu primigenio *émk*, in pronomine possessiuo *mü-énk;* in affixione vero alia, et accentu amisso, et vocali mutata, *emk*, *ömk*, *omk*, *ümk*, *umk;* siquidem in *ur-omk* manifesta est consona *m*. Deinde *m* in *n* abeunte, quod cum proximo *k* pronunciatu est faciliore, sicut et *g*, sono vicinum, in voce *ing*, indusium, de *imeg* contracta, factum *énk*, in pronomine possessiuo *mi-énk* hodieque superstes: factum etiam *ünk*, et *unk*, affixum pronomen vsus latissimi, in nominibus, particulis, et verbis vtriusque formae indeterminatae.

Atque haec posteriorem in affixo *emek* vocalem expungendi consuetudo vltro me ducit ad ortum quarti quoque apud nos pronominis; quod aeque primam pluralem personam facit, *münk* nempe, hodie *mink*. Familiaris olim genti nostrae pronomina geminandi ratio, ad energiam etiam leniorem adhibita, ad expressionem tantum sonantiorem, ex *mü* separato, et affixo *emek*, combinauit pronomen *mü-emek*, nos-nos, nosmet, contiguis vocalibus coalitis *mü-mek*, *mü-mük*. Ex *mü-mük* porro, expuncta altera vocali *ü*, natum est *mü-m-k*, et *m* postea in *n* mutato, praesertim ante *k*, *münk*, *mink*. Probat euolutionem meam superstes et hodie, atque hac ipsa geminatione ortus, secundae pluralis personae accusatiuus, *tü-tük-öt*, *ti-tek et*, etiam *tük-tük-öt*, *tik-tek-et*. In hoc clarissima est geminatio, certe ex separato *tü*, et affixo *etek*, *tü-etek*; concretis porro et hic vocalibus sese contingentibus, *tü-tek*, *tü-tük;* in quo vt etiam aequalia essent combinata, addidit vsus et separatae parti *tü* consonam *k*, *tük-tük*. De hoc porro formatus est accusatiuus sonantior; *tü-tük-öt*, *ti-tek-et;* *tük-tük-öt*, *tik-tek-et*. Pariter placuit geminatione iungere, vt iam exposui, *mü-mük*, atque ex hoc *mü mük-öt* formare, accusatiuum sonantiorem,

geminum priori. Sed in hoc postea, vt in eius nominatiuo, amplius etiam libuit, syncope nimirum: *mü-m-k-öt;* demum et consonae *m* in *n* mutatio, *münk-öt*, *münk-et*, *mink-et*.

Iam et vetusta illa pronunciatio, *mü*, *tü*, *mük*, *tük*, vt quosdam minus offendat: in medium proferenda sunt huius vsus, olim vigentis, exempla. In Codice MS. Transl. Bibl. etsi pronomen *ö* constanter hoc sono scriptum recurrat, ex *o* vocalis nota demisso inferne veruculo, vt hic sistitur, ǫ, pro proprio peculiaris huius soni signo; quod in aliis etiam codicibus, illo fere aeuo exaratis, est quam frequentissimum: *mü* tamen, ac *tü*, et reliqua de his nata, in toto eo opere, perpetuo sic pronunciata indicat peculiaris litera, huius soni signum distinctum, ac proprium, *u* et *v*, modo punctulo, modo virgula superne notata, *u̇*, *v̇*, vel *ú*, *v́*. Ista certe exempla: *mv́ vronc istenǫnc*, Dominus noster Deus; *mv́ atainc*, patres nostri; *múnket el hintet vr*, dispersit nos Dominus: *tv̇ nakatoc*, ceruix vestra; *tv́ ataitoc*, patres vestri; *ki zabadeit tútǫket*, liberabit vos: vltro in oculos incidunt vel prima Prophetae Baruch, vt saltem hunc vnum nominem, capita intuenti. Neque puto ad hanc rem his plura requiri documenta.

Ü K.

Aetate Funebris Allocutionis, cuius mentionem saepe facio, ante sex fere secula, iam clare discreta, ac firmata fuerat verborum, determinata, et indeterminata ratio. Indeterminata habuit personae primae affixum plurale *emek*, *emük*, et prima vocali absorpta *mük*; quod postea abiuisse in *énk*, *ünk*, iam satis docui. Determinata vero iam tunc illud ipsum tenuit huius personae affixum pronomen, quo ea et hodie distinguitur a formis ceteris, *ük*, et vocali congruenter mutata *uk*: vt clara sunt eius exempla in verbis *temet-*

j-ük, *vimád-j-uk*, sepelimus-nos, oramus-nos; quae illic ita scripta cernuntur, *temetiuc*, *vimagguc*. Hoc ego dico esse plurale singularis primae personae pronominis *ék*. Vidimus linguae primigeniae duo pronomina personae primae, נִי (*ni*), et כִי (*khi*): quae ad nos quoque peruenerunt, sed pronunciatione retrograda. Vidimus, remotissima illa aetate, de singulari נִי (*ni*), ego, factum fuisse plurale נוּ, nos, vocalis tantum sono mutato. Et in lingua quidem Hebraica, vt alias taceam, viget haec consuetudo, certe ab illa origine prima ad eam deriuata; vt voces pleraeque vocalium mutatione etiam significatum inflectant: *hiphil*, ex. gr. vocalibus acutis est actiuum, idem vero vocalibus iam obtusis *hophal* passiuum. Ad similitudinem pluralis נוּ (*nú*) vidimus etiam de singulari תָא (*ta*), tu, factum fuisse plurale תוּ (*tú*), vos. Et ista, eadem recta pronunciatione, ad nos quoque peruenerunt, *mü*, *tü*. Fuit certe eadem aetate etiam de singulari כִי (*khi*), pronominis נִי (*ni*) socio, plurale כוּ (*khu*), par pronomini נוּ (*nú*). Hoc itaque *ku* admodum mature adhaesit originibus nostris, sed retrogada pronunciatione, *uk*, *ük*, nos; sicuti et ipsum singulare *ki* placuit illis inuersum adoptare, *ik*, *ék*, ego; vtrumque in solis verbis superstes, repetitum ab vltimo nascentis linguae exordio.

Habent vero et Turcae, quod singulare est, hoc pronomen primae pluralis personae, de eadem certe origine prima, forma prorsus eadem, vocali aeque congruenter mutata, *ük*, *uk*, itidem solis tantum verbis affixum, in plerisque temporibus, praesertim in praeteritis imperfectis, et perfectis; cum alibi aliud adhibeant, *üz*, *yz*, de pronomine *biz*, nos, absorpta *b* litera labiali, propter lenitatem halitui *v* fere parem. Proferimus quaedam exempla: *sewer-d-ük*, *bakar-d-uk*, amabamus, adspiciebamus; *sew-d-ük*, *bak-*

t-uk, amauimus, adspeximus; *sew-se-id-ük*, *bak-sa-id-uk*, amaremus, amauissemus, adspiceremus, adspexissemus.

PERSONAE TERTIAE.

ÖK, ÖNÖK.

Iam proferenda sunt tandem et tertiae personae pronomina pluralia. Palam est ex pronominum singularium *ö*, et *ön*, vsu promiscuo: quemadmodum *ő* pluralem habet *ők*, assumto plurali formatiuo *ők* coalescente; ita sane et *ön* pluralem habuisse, sed, quia hoc in consonam desinit, *ők* formatiuo plurali integre adhaerescente, *ön-ők*, ii, illi. Tanto autem certius hoc infero: quod *az-on*, *ez-en*, *olly-an*, *illy-en*, is, idem, is talis, hic talis, et alia, consona *n* in fine aucta, perinde pluralia forment, *azon-ok*, *ezen-ek*, *ollyan-ok*, *illyen-ek*, atque eorum formant simplicia, *az-ok*, *ez-ek*, *olly-ak*, *illy-ek*. Habuerit idem *ön* etiam possessionis affixum *ön-e*, *ön-ei*, vti *ő* habet *ö-ve*, *ö-vei*: siquidem etiam auctum ad energiam, *ön-ön*, id habuisse doceatur exemplo Komjáthii. *Tsak az önöninek hafznokra (In Explan. Epist. II. ad Corinth.)*: Tantum ad suorum vtilitatem. Alii hoc ita exprimunt: *az öveinek hafznokra*. Est certe apud Telegdium: *Eleséged adhat az öveinek* (Part. II. p. 486.): Alimentum dare potest suis.

Porro cum liquido constet, singulare *ön*, verbis affixum, tertias eorundem singulares personas formare: neque de eo ambigi iam potest, et eius plurale *önök*, prima tamen vocali absorpta, seu demto capite, vt dicere solent, *nök*, cum congrua vocalis mutatione, sic reuera facere, in forma indeterminata, latissime dominantem, tertiarum pluralium personarum terminationem in *nek*, et *nak*; resumta, in concursu duriore, saepe etiam absorpta sua vocali, aeque congruenter mutata, *enek*, *anak*. In exemplis patent ista cla-

rius: *vár-nak*, *kér-nek*, *mond-anak*, *küld-enek*, exspectant-illi, petunt-illi, dicunt-illi, mittunt-illi. Haec, manente truncati pronominis vocali propria, sane ita olim sonuerint, in prima rudi formatione: *vár-nők*, *kér-nök*; aut integro etiam pronomine, praesertim in primordiis: *vár-önök*, *kér-önök*; tanto certius in concursu duriore, *mond-önök*, *küld-önök*.

Postremum est plurale *ék*, *vék*, *jék*, de affixo pronomine singulari *é*, *vé*, *jé*, quod est ipsum *ő*, *vő*, *jő*, in vsu tantum affixo sic mutatum. Hoc ita integrum, vocali non mutata, est dumtaxat in pronomine possessiuo, *ő-ék*, *ő-vék*, *ö-jék*: sed *ö-vék* hodie vtitatissimum. Vocalibus vero congrue mutatis, vti eius singulare, *ek*, *ők*, *ok*, *ak*, *jek*, *jok*, *jak*, et cum verbis iungitur, sed in forma tantum determinata; et cum nominibus, particulisque, ad indicandam eorum possessionem. Halitum obscurum *v*, alternantem cum leni *j*, consequens est et hoc plurale habere, cum eum habeat eiusdem singulare, quod est iam satis superque probatum. Est vero firmior haec probatio; quod et ipsum plurale, cum obscuro hoc halitu *v*, in exemplis Esthonicis, ac Fennicis, hodieque superstes, clare viderimus.

Atque hoc pacto, iam euoluta, et explanata sunt pronomina personalia etiam pluralia: quae ad singularia simplicia primigenia referuntur, et origine sua de iis deducta, et vsu pari.

2. AVCTA *N* PARAGOGICO.

Prima singularis persona *én*, ego, mox in ortu suo litera *n* terminata, traxit post se et reliquas personas cum eadem terminatione, *ten*, tu, *ön*, is, ille, quadam similitudinis ratione, non vero energiae. Eadem terminatio retenta est et in

pluralibus, *min*, nos, *tin*, vos, *ön*, illi; et *ön* quidem, vocali nihil mutata, cum pari, ac simplex *ŏ* pluralitatis notione, praemissum per pleonasmum nominibus, ac particulis, affixo pronomine plurali iam auctis,

Én, in primordiis simplex *é*, seu *i*, diximus iam, in eius euolutione, aliquanto post, mature tamen, auctum fuisse *n* literae accessione, ad determinationem certiorem primigenii soni tam simplicis.

Ten, principio *te*, et ipsum iam fere in ortu eodem *n* auctum est, prioris pronominis quadam similitudine. In lingua certe Chaldaica, Syriaca, et Arabica, ת (*tav*) sonus secundae personae primigenius praefixum sibi habet נ (*nun*) cum א (*aleph*): אַנְתְּ (*ant, ent*) אנתי (*anti, enti*). Et dageschationem ת (*tav*) literae in Hebraico אַתְּ (*att*), אַתָּ (*attâ*), in huius נ (*nun*) supressi compensationem fuisse introductam docent Grammatici. Hoc vsu primigenio inualuit *ten* apud nostros etiam maiores.

Ŏn, aeque remotissimae aetatis reliquum pronomen, eiusdem *n* literae accessione ad simplex *ŏ*, mature natum: siquidem apud Chaldaeos quoque in vsu fuit הֵן (*hên*), ipsum eerte הו (*hú*) primigenium, auctum נ (*nun*) litera.

De hac sunt consuetudine antiquissima et Lapponum pronomina *mon*, *ton*, *son*, ex primitiuis *mo*, *to*, *so*, vel *ma*, *ta*, *sa*: de hac et Fennorum, sed iam vocali aucta in fine, *minä*, *sinä*, *hän*, ex *mi*, *si*, *hi*, vel *mä*, *sä*, *hä*: de hac et Esthonum geminata insuper augmenti consona, *minna*, *sinna*, *temma*, ex *ma*, *sa*, *ta*.

3. COMPOSITA.

Pronomina personalia, composita ad emphasim, ad indicandam scilicet personarum praesen-

tiam vel intensam, seu praegnantem, cum vi expressam, vel cum exclusione aliorum, triplicia sunt in lingua nostra.

Prima horum coalita sunt, ex pronominibus personalibus *n* litera auctis, et ex antiquo pronomine *en*, quod est *ipse: en-en*, ego-ipse; *ten-en*, tu-ipse; *ön-ön*, is-ipse: *min-en*, nos ipsi; *tin-en*, vos-ipsi; *ön-ön*, ii-ipsi: in quibus pronunciandi vis intensior *n* medium etiam geminare solet: *enn-en*, *tenn-en*, *önn-ön; minn-en*, *tinn-en*, *önn-ön.*

Haec vsus habet, tantum per numeros, non vero per casus inflexa.

Alia duo coniuncta sunt ex nominibus, significatione ad emphasim accomoda, et ex affixis pronominibus personalibus, prorsus possessionum more.

Prior huiusmodi coniunctio est nominis *mag*, in lingua primigenia *medulla*, cum affixis pronominibus: *mag-am*, *mag-ad*, *mag-a; mag-unk*, *mag-a-tok*, *mag-ok:* genuine *medulla-mei*, accommoda significatione ad indicandam hominis substantiam, personam, *substantia mei*, *persona-mei*, pro eo, quod pronominibus exprimimus, *ipse-ego:* sic *medulla-tui*, ipse-tu; *medulla-eius*, ipse-ille; *medulla-nostri*, ipsi-nos; *medulla-vestri*, ipsi-vos; *medulla-eorum*, ipsi-illi.

Haec, praeter numerum, per affixa pronomina allatum, accipiunt et casus, et postpositiones alias.

Posterior compositio est nominis *benn*, cum iisdem affixis pronominibus; quod valet *medium*,

intimum; hodie in postpositionum numero, ex accommoda ad hunc quoque vsum significatione. Fuerit olim et hoc, vt *mag*, per omnes personas in vsu, etiam per casus variatum: *benn-em*, genuine *intimum-mei*, substantia-mei, persona-mei, hoc est, *ipse-ego;* et sic porro per reliquas personas. Sed, ceteris casibus penitus exoletis, superest hodie, et dudum satis, vsu frequentissimo, et vulgi, et Scriptorum, casus tantum accusatiuus pluralis, primae, et secundae personae, *benn-ünk-et*, et *benn-etek-et*, rarissime et tertiae, *benn-ök-et:* *intimum-nostri*, ipsos-nos; *intimum-vestri*, ipsos-vos; *intimum-eorum*, ipsos-illos.

Pronomen *en* superest hodieque in lingua Esthonica. Sed in casibus tantum obliquis est eius vsus: *ennese*, sui ipsius; *ennesele*, sibi ipsi; *ennast*, se ipsum; *ennesest*, a se ipso, etc. Resecto genitiui formatiuo *se* de *ennese*, restat *enne*. Sed, de hoc quoque si vocalis postrema, Esthonum more adiecta, et consonae geminatio, ad expressionem sonantiorem adhibita, tollatur; residuum erit *en*, verum pronomen primigenium, *ipse*. Fuit idem et Chaldaeis in vsu, sed *i* vocalis sono, *in*. Nam אִ נְהוּא (*in-hû*) est illis *ipse*, אִינְהִי (*in-hí*) vero *ipsa*. Haec composita esse clare patet, genuine sic reddenda, *ipse-is*, *ipsa-ea*. Ad אִין (*in*), quod est *ipse*, accessit הוּא (*hú*), *is*, *ille*; accessit הִי (*hí*), *ea*, *illa*. Isto vsu tam vetusto fuit certe hoc *in*, vel *en*, et nostris originibus commune, cumprimis in compositione, vt apud Chaldaeos, in qua et hodie superest, et hac euolutione, vt puto, recte indicatur, et explanatur: *en-en*, *ten-en*, *ön-ön*, etc.

Iam quod spectat ad altera pronomina composita: sunt ea de more orientalium. Solent Hebraei nomina

rerum, quae praesertim ad hominis substantiam pertinent, cum affixis pronominibus personalibus iungere; hisque postea, accommoda plane significatione, vti ad emphaticam personarum expressionem. De his nominibus, vt alia praeteream, praecipua sunt: נֶפֶשׁ (*nephesch*), anima; et עֶצֶם (*ghetzem, jetzem, etzem*), os, ossis. Nomen נֶפֶשׁ (*nephesch*) affixo pronomine auctum נַפְשִׁי (*naphschi*), anima-mei, anima mea, est pro emphatico pronomine *ipse-ego*: (בְּנַפְשׁוֹ (*benaphsch-ó*), per animam-sui, per animam-suam, *per se ipsum*: בְּנַפְשָׁהּ (*benaphsch-áh*), in anima-sui, in anima sua, *intra se ipsam*. Sic et עֶצֶם (*etzem*), accepto affixo pronomine עַצְמִי (*atzm-i*), est os-mei, essentia-meî, *ipse ego*. עַצְמוֹ (*atzm-ó*), os-eius, essentia-eius, *ipse-ille*. Singularis est locus in Genesi (VII. 13.): בְּעֶצֶם הַיּוֹם הַזֶּה (*beetzem hajjom hazze*): *In osse diei huius*. In essentia diei huius, hoc est, *in ipso die hoc*.

Atque idem hoc עֶצֶם (*ghetzem, jetzem, etzem*) ם (*mem*) absorpto עֶץ (*ghetz, jetz, etz*), ex vsu certe in primordiis communi, superest hodieque, forma paululum mutata, apud Lappones *ijetz*, et *etz*; apud Fennos *itze*; apud Esthones *isſe*: singulis autem est omnino valore pronominis *ipse*. Apud Lappones, et Fennos assumit etiam affixa pronomina, more prorsus Hebraeo: *ijetzj-am*, *ijetzj-ad*, *ijetzj-es*; *etz-en*, *etz-et*, *etz-es*; *itze-n*, *itze-s*, *itze-san*: ipse-ego, mei-ipsius; ipse-tu, tui-ipsius; ipse-ille, sui-ipsius.

Viguit haec consuetudo, pronomina emphatica sic exprimendi, ex vsu communi, apud nostros etiam maiores. Eius residuum est certe *mag*. De hoc ego iam egi aliquanto fusius in Commentario meo ad vetustissimam Allocutionem Funebrem (*Antiquitatum Lit. Hung. Vol. I.* §. 181, *et seqq.*) Quapropter hic breuior sum. *Mag* in lingua primigenia valuit *medullam*, *vitellum*, *cor*: commune nobis vocabulum cum Hebraeis, Chal-

daeis, Syris, et Arabibus: מוֹחַ (*mocha*), מוֹחָא (*mocha*), מֻח (*much*). Hac significatione est id accommodum visum ad exprimendum pronomen emphaticum more ceterarum gentium orientalium. Assumto affixo pronomine *mag-am* genuine hoc reddit *medulla-mei*, *essentia-mei*, *persona-mei*: circumscriptione concinna pro personali pronomine *ipse-ego*. Sic sunt et reliquae eius personae exponendae.

Vberius refello in Commentario meo, paulo ante memorato, quorundam errorem: qui, contra omnem vsum superiorem, haec, et huiusmodi alia, nunc recentissime sic dicenda praecipiunt: *magam ſzavam*, *magad ſzavad*, *magunk ſzavunk*, *magatok ſzavatok*, *magok ſzavok*: mei ipsius verbum, tui ipsius verbum, illius ipsius verbum, etc. Hoc ego vitium et hic dedocere debeo. Vel vulgus ipse meliora loquitur: quomodo Scriptores deteriora sequi possunt? *Mag-am*, adhibita vel leui etymologia, vltro duas exhibet sui partes: *mag*, nominis certe valore; et *am*, affixum pronomen, per quod hoc *mag* ad primam quidem refertur personam, sed ipsum tamen tertiae est personae, vt aliud nomen quodcunque. Quare, quod porro ad hoc refertur, tertiae personae affixum pronomen habere debet, sic omnino, vt vulgus dicit. *Mag-am ſza-v-a*, data iam nominis *mag* significatione, genuine, et sic solum recte, est *medullae-meae vox-eius*; *medullae* nempe *vox*, sed *medullae meae*. Sic hoc exponendum est per reliquas etiam personas. Qui secus praecipiunt, dicant eodem errore, vel insania, *agy-am velö-m*, cranii-mei cerebrum-meum: dum alii et hic sapiunt, recteque dicunt: *agy-am vele-je*, cranii-mei cerebrum-eius. Eadem haec sunt affixionis lege. Quapropter stet porro etiam vsus vetustus:

Magam ſzava, ſzavai:
Medullae meae verbum eius, verba eius.

Magad szava, szavai:
Medullae tuae verbum eius, verba eius.

Maga szava, szavai:
Medullae eius, vel suae, verbum eius, verba eius.

Magunk szava, szavai:
Medullae nostrae verbum eius, verba eius.

Magatok szava, szavai:
Medullae vestrae verbum eius, verba eius.

Magok szava, szavai,
Medullae eorum, vel suae, verbum eius, verba eius.

Sic et alia, cum hoc emphatico pronomine per affixionem secundam coniuncta, erunt omnino recte exigenda, ad ipsam legem, ex intima linguae indole erutam, et vsu perpetuo stabilitam. Facessant argutuli nouatores, qui tantum in cortice adhaerent, ad ipsam vero medullam non penetrant.

Hanc vero legem, etiam vsu, eoque perpetuo firmatam, ne videar temere memorare: adiicio quaedam veterum exempla. Habent locum singularem Dicta MSS. S. Bernardi de Vita Religiosa: *Nem keresik az illyenek az lelki épületet, de inkább magoknak mutatását* (Cap. XXII.); Non quaerunt tales spiritualem aedificationem, sed potius sui ipsorum ostentationem. Sic isto pronomine vsus est Pétsius: *Egymáshoz való emberséges indulatunkat, és magunk mutatását, a' természet hásonlatossága ajánlja* (pag. adv. 8.); Mutuam humanam propensionem nostram, et nostri ipsorum exhibitionem, naturae similitudo commendat. Sic Lépesius: *Hogy azzal a' magad hasznára éltél volna* (De Extr. Jud. pag. 155.); Vt eo ad tui ipsius vtilitatem vsus fuisses. Sic Marosvásárhelyius: *Magunk magunknak veszedelmét ne keressük* (pag. 59.): Ipsi nos nostri ipsorum perniciem ne quaeramus. Etiam Káldius: *Magam*

Szájával könyörgöttem neki (Iob. XIX. 16.); Ore proprio deprecabar ipsum.

Errauit et Sajnovitsius (§. X. pag. 94.): cum nostrum *magam* de Lapponico *mo egien* oriri prorsus non dubitauit. Primum *egien* male sic legit, vt in eo *g* sonet nostrum. Italico ferme, vel Gallico more, debuisset legere, *ezsen:* vtique de *ezh*, *jezh*, deductum, vt vel ipse innuit. Secundo nesciuit adiecti syllabici *en* valorem; affixum hoc pronomen et ipsum latuit. Huius ignoratione iam neque ad ipsam significationem genuinam penetrare potuit voculae *ezs.* Est hoc idem *etz*, vel sibilo crassiore expressum *ets*, quod supra dixi esse Lapponibus commune eum Hebraeis; pronomen *ipse*, sed proprie, ac reipsa, nomen; quia recipit affixionem. Sit ergo ex pronomine *ipse* nomen *ipseitas*, pro substantia, persona, ex accommoda *ossis* significatione, nam hoc valet *etz.* Erit itaque *etz-en* ipseitas-mei, sicut nostrum *mag-am*, vulgo *ipse-ego; mo-etz en* mea-ipseitas-mei, sicut *én-mag-am*, et hoc etiam in vulgari geminate exprimendum, *ego-ipse-ego.* Affigendi ratio, et vsus vocabuli in hac affixione, conuenit cum nostro; sed vocabulum ipsum prorsus diuersum est, et sono, et origine. In quibus esse deberet vis, et ratio, originis; *etz*, et *mag*, non conueniunt. Ipsum *os*, et *medulla* interior, non cuticula exterior, ducit ad ortum indubitatum. Et haec cuticula *mo* iam perit in persona secunda, *etz-et*, *to-etzet;* perit in tertia, *etz-es*, *so-etz-es.* Sed *os* vbique superest, vti *medulla* in nostris: *mag-ad*, *te-mag-ad; mag-a*, *ö-mag-a.*

Hoc nostrum pronomen emphaticum videtur mihi et aliis gentibus, nobis lingua affinibus, olim commune fuisse. Habent enim Esthones *omma* pronomen, quod est illis *proprius*, *suus*, *suus proprius.* Significatio, vt iam vidimus, eadem est et nostri *mag*, cum alio nomine constructi. Est in his aliquid etiam de sono. Ab

eadem origine, in qua primigenium מח (*much*) in vsu fuerat, nos id, fidelius acceptum, integrum retinuimus, *mog*, *mag*, sono: Esthones vero, neglecta ח (*chet*) adspiratione magis aspera, truncatum arripuerunt *mo*, idque retrograde pronunciatum *om*; postea, pro more suo, vocali auxerunt in fine, et *m* consonae geminatione intensius expresserunt, *omma*. Pronomina affigendi rationem et in hoc, vt in nominibus aliis, iam dudum penitus in desuetudinem miserunt. Ex huius tamen vsu vetusto idem *omma*, vel nudum, nullo affixo auctum, et primae, et secundae, non solum tertiae personae pronomen reddit possessiuum, ipsa persona, ad quam refertur, constructionis sensu determinata: ex. gr. *Minna armastan ommu isſa*, ego amo proprium (*meum*) patrem; *Sinna armastad ommu isſa*, tu amas proprium (*tuum*) patrem; *Temma armastab omma isſa*, ille amat proprium (*suum*) patrem. Idem vbique *omma isſa*, constructionis sensu determinatum, nobis est, per personas, etiam affixione pronominum clarius indicatum, *mag-am öse*, *mag-ad öse*, *mag-a öse*. Tantum est de *omma* Esthonico; quod, coniectura explicatum, non certo definitum esse volo.

Eiusdem est indolis et defectiuum pronomen nostrum *bennünket*, *benneteket*. Huius pars prior *benn*, quae eadem ipsa hodie est tantum postpositio, in primigenia lingua fuit reuera nomen, vt et aliae postpositiones nostrae fere omnes, quas loco suo dabo plerasque euolutas ad euidentiam (*Etym. Part. II. Sect. III. Cap. I.*). Genuina eius significatio est *medium*, *medietas*, *interius*, *intimum*. Commune nobis vocabulum cum Hebraeis, Chaldaeis, Syris, et Arabibus; quibus pari nobiscum vsu valet etiam praepositionem, *inter*, *intra*, *in*. בַּיִן (*bain*), בֵּין (*bein*), in statu constructo בֵּין (*bên*) apud Hebraeos. Nobis, breui vocali *ben*, et ad compensandam י (*jod*) literam primige-

niam, vsu etiam nostro expunctam, geminato *n* scribendum, *benn*, vti solet et vulgo sonantius exprimi. Hoc quoque nomen, accommoda significatione sua, aptum visum est maioribus nostris ad exprimendum pronomen emphaticum. Et casus quidem, qui supersunt de hoc vsu, olim certe multo latiore, sic sunt genuine reddendi, vt supra iam exposui: *bennünket*, intimum nostri; *benneteket*, intimum vestri; pro istis nempe pronominibus, *ipsos-nos*, *ipsos-vos*; licet vulgo iam absolute sumantur pro accusatiuis simplicibus, *nos*, *vos*.

Hodie plerique subtimide his vtuntur: quod Critici quidam, in his plebeium quiddam, et sensu destitutum, inesse dictitent. Sed, quod ab annis iam sexcentis viget, non modo vulgi, verum etiam Scriptorum vsu, id quidem fastidio esse non potest vlli arbitro. Nunc vero, quando clarissima data est huius vsus euolutio, ad tantam antiquitatis auctoritatem accedit plena etiam scientia nostra: cuius praesidio nos quidem maiorum nostrorum vestigia et in hoc tanto securius prememus.

Vetustissimum est huius vsus vestigium in Allocutione Funebri. Occurrit illic accusatiui terminatione absorpta *bennetuc*, lege *bennetök*, ea vero restituta *bennetöket*, ipsos-vos. *Ménd võ szenti, és ünöttei közökön, jó felül iktatnia élefzje võt, és tív bennetök-et:* Inter omnes sanctos, et beatos suos, dextram versus illocandum reuiuiscere faciat eum, et vos-ipsos. Qui postea scripserunt, secure sunt eo vsi ad nostram vsque aetatem. De antiquioribus id certe adhibet Telegdius: *Az halál késʃzen találjon bennünket* (*Part. III. p.* 349.): Mors paratos inueniat nos. *Meg szabadéta bennünket* (*Part. II. p.* 41.): Liberauit nos. Vsurpat Lépesius: *Segétsen benneteket* (*De Morte pag.* 243.): Iuuet vos. *Meg tartóztathasson benneteket* (*Ibid.*): Deti-

nere possit vos. Omitto Pázmánum, et alios, in re tam clara, et certa, memorare: ne tempus perdam rebus magis retrusis vtilius impendendum.

Defectiuum pronomen emphaticum habent et Lappones; cuius genitiuum simplicem *alde*, eius, ipsius, iam memoraui in explicatione nostri pronominis *ál*. Addo nunc et datiuum *allii*, et accusatiuum *ald*. Huic ipsi, iam affixis pronominibus aucto, Ganander in singulari tres casus tribuit, datiuum, accusatiuum, et ablatiuum; in plurali, genitiuum, et datiuum: Lindahlius, et Oerhlingius vbique datiuum tantum adscribit, et penetratiuum: *allasim*, vel *allasam*, mihi ipsi, *allasid*, vel *allasad*, tibi ipsi; *allasis*, vel *allases*, illi ipsi, etc. Quia eo prorsus modo, quo *jetz*, vel *etz*, origine sua reuera nomen, *os*, *ossis*, augetur et hoc affixis pronominibus: puto et ipsum ea esse indole; *all* nempe, resectis formatiuis, et affixis pronominibus, aeque nomen valere; et, accommoda significatione sua, hoc vsu emphaticum praebere pronomen. Porro, quia huiusmodi nomina rerum sunt, quae spectant ad substantiam hominis; coniectura ducor ad ipsum etiam *substantiae* nomen, hoc vsu acceptum. *All*, hodie nobis verbum est, *stat*, *consistit*, *subsistit*: idem in primordiis fuit certe et nomen, idque prius, quam verbum; siquidem nominum prior fuit ortus, quam verborum; procul dubio *consistentia*, *substantia*; quam hodie deriuato dicimus nomine *áll-at*, etiam prolixiore *áll-ap-at*. Hoc itaque *áll*, in lingua primigenia, fuit et Lapponibus commune: dedit illis principio *áll-am*, *áll-ad*, *áll-as*, pronomen emphaticum, pro more antiquissimo, *substantia-mei*, *substantia-tui*, *substantia-eius*, quod iis fuerat *ipse-ego*, *ipse-tu*, *ipse-ille*. Sic in casibus reliquis, quos aetas posterior fidelius retinuit, primis sensim deperditis, elapsa simul et ipsius *áll* genuina significatione primigenia. Datiuus, qui superest,

áll-as-am, *áll-as-ad*, *áll-as-as*, hac est expressione propria: *substantiae-meae*, ipsi-mihi; *substantiae-tuae*, ipsi-tibi; *substantiae-suae*, vel *eius*, ipsi sibi, ipsi illi. Si hoc subsistere potuerit: gratulabor affinibus his linguis a nostra etiam mutuam reddi lucem. Eius differentiam, ne cum nostro *ál*, secundae personae pronomine, confunderetur, sufficientem videmur habituri esse: nam hoc esset ab *áll*, substantia; illud vero ab *ál*, alloquentis interiectione.

4. GEMINATA.

Pronomina personalia, quae in lingua nostra geminantur, duplicia sunt: alia geminata ad emphasim, alia ad possessionem indicandam.

a. AD EMPHASIM.

Familiaris est genti nostrae vocum geminatio, ex consuetudine orientalium: quam etiam in pronominibus frequentem adhibet ad emphasim, modo leniorem, modo intensiorem, etiam longe intensissimam.

1) LENIOREM.

Lenior est emphasis in geminatione eorundem pronominum simplicium.

a) Et primum quidem in geminatione illa, quae superest in quibusdam casibus, praesertim accusatiuis, tantum propterea facta, vt sonantior esset earum pronunciatus: *eng-em-et*, *tég-ed-et*, *ti-tek-et*, *tik-tek-et*, me-me, te-te, vos-vos; qui sunt vsu nihilominus reuera simplici, *me*, *te*, *vos*.

b) Deinde in geminatione pronominum separatorum cum affixis pronominibus nominum, particularumque, ac verborum.

Nam,

Nam, ista quidem nomina, particulaeque, etsi claram habeant sui relationem, per affixa sibi pronomina, ex. gr. *kép-em*, *ház-am*, imago mei, domus-mei; *felett-em*, *alatt-am*, summo mei, supra me, imo-mei, infra me; patiuntur tamen sibi praemitti et separata earundem personarum pronomina, quarum sunt affixa pronomina, ad euidentiam scilicet maiorem; cuius studio pleonasmus, qui in his est, non tantum vitio caret, sed est etiam ipsa adeo virtus, ex linguae nostrae genio peculiari: *én kép-em*, *én ház-am*, mea imago-mei, mea domus-mei; *én felettem*, *én alatt-am*, meo summo-mei, supra memet, meo imo-mei, infra memet.

Viget hoc in ipsis etiam verbis. Ex. gr. *kér-ek*, *vár-ok*, *fzün-öm*, *lak-om*, peto, exspecto, cesso, habito, affixis pronominibus definitae sunt personae primae: sermonis tamen vis paulo intensior apte his praemittit saepe, ad quandam emphasim, pronomina etiam separata: *én kér-ek*, *én vár-ok*, *én fzün-öm*, *én lakom*, ego peto, ego exspecto, ego cesso, ego habito.

2) INTENSIOREM.

Porro de compositis pronominibus iam emphatica sunt *magam*, *magad*, *maga*; ista nihilominus, ad intensionem maiorem, iunguntur et simplicibus, et auctis, sibi praemissis: *én magam*, *te magad*, *ő maga*, etc. *én magam*, *ten magad*, *ön maga*, etc. ego ipse-ego, tu ipse-tu, ille ipse-ille, etc. iunguntur porro, ad intensionem multo maximam, etiam compositis, itidem sibi praemissis:

ennen, *tennen*, *önnön* etc. *ennen magàm*, ego-ipse ipse-ego; *tennen magad*, tu-ipse ipse-tu; *önnön maga*, ille-ipse ipse-ille, etc.

b. AD POSSESSIONEM.

Est porro in lingua nostra peculiaris, huic vnice vsui destinata, et constans sibi geminatio pronominum simplicium, ad indicandam obiectorum possessionem, ad personas relatam. Haec geminatio sic est explananda, vt eam facit lingua ipsa.

Obiectorum, nominibus suis aperte expressorum, relationem ad personas, more omnino orientali, sic effert lingua nostra: praemittit obiectorum nomina, quae sunt in possessione; et ipsis continenter adnectit affixa pronomina earum personarum, a quibus illa possidentur. Possessionum hic modus, et ordo, potest compendio sic exprimi: *praeit nomen possessum, et pronomen possidens illi affixum subsequitur.* Exempla iam nota repetimus: *kép-em*, imago-mei; *ház-am*, domus-mei: *kép-ünk*, imago-nostri; *ház-unk*, domus-nostri.

Duas istas in possessione notiones, alteram possessi, alteram possidentis, eodem omnino ordine exprimit lingua nostra, nominibus possessis etiam non expressis, sed, vt saepissime fit, ex ipso sermonis contextu, subintellectis. Geminat pronomina: prius separatum vice fungitur obiecti possessi, quod proinde, pro hoc positum, Latine adiectiuo efferendum est; posterius affixum, vicarium possidentis, Latine, vt saepe monui, genitiuo reddendum.

Et haec sunt possessiua pronomina nostra: reuera composita geminatione; sed in vsu tantum absoluto, separato, obiectis possessis remotis, non continenter expressis, non cum his coniunctis, vt fit apud Latinos, aliasque gentes Europaeas.

Quia numerum diuersum habent, ac proprium sibi, et possessa, et possidentia obiecta: hunc et ipsa pronomina, in istorum locum substituta, aeque diuersum accipiunt, ac sibi proprium, singula ab ipsis obiectis suis; a possessis pronomina possessa, a possidentibus pronomina possidentia. In qua numerorum ratione quadruplex occurrit combinatio. Vna quaeque, singillatim spectata, pulchre euoluit et ortum singulorum pronominum sic geminatorum.

1) POSSESSVM, ET POSSIDENS SINGVLARE.

a) Possessum nomen singulare, expresse positum, cum possidente affixo pronomine aeque singulari, personae primae, est in his exemplis nostris: *kép-em*, *ház-am*, imago-mei, domus-mei.

Possessis nominibus suppressis, et in eorum locum substituto pronomine separato *én*, eoque, in hac quidem persona prima, etiam in possidentis locum repetito, fuit prima geminatio, *én-én;* in qua, prius pronomen adiectiuo, posterius genitiuo expressum, genuine haec reddit, *meus-mei*, *mea-mei*, *meum-mei*. Postea *én-én*, accentu in priore vocali amisso, vt plerumque fieri solet accedente aliquo incremento, abiit in *en-én*. Porro, et *n* posteriore in *m* mutato, ore praesertim vocem claudente, factum est *en-ém*. Priore vero *n*, consonae

j amico, et hanc sibi adsciscente, *en-j-ém*; et his, pronunciandi mollitie, coalescentibus, *eny-ém*. Postremo, acuti *é* prona in *i* mutatione, *eny-im*: siquidem viget et hic vsus.

b) Eadem exempla, possesso nominè singulari expresso, cum possidente affixo pronomine itidem singulari, personae iam secundae, sic sunt: *kép-ed*, *ház-ad*, imago-tui, domus-tui.

Possessis nominibus remotis, et in eorum locum suffecto pronomine separato *te*, huiusque socio *ed*, in vsu affixo, eidem adiecto, in locum possidentis, orta est prima geminatio, *te-ed*; priore pronomine adiectiui modo, posteriore autem per genitiuum expresso, *tuus-tui*, *tua-tui*, *tuum-tui*. Deinde lege illa, qua postremae breues vocales, accedente incremento, acui solent, factum *té-ed*. Porro, familiari vocalis *é* in *i* mutatione, *ti-ed*. Interiecta denique inter vocales consona euphonica *j*, quandoquidem et hoc in vsu est, natum *ti-j-ed*.

c) Exempla demum, possesso nomine singulari aperte posito, cum possidente affixo pronomine pariter singulari, personae tertiae, isto sunt modo: *kép-e*, *ház-a*, imago-sui, domus-sui.

Possessis nominibus seiunctis, et in eorum locum supposito pronomine separato *ő*, eodemque in locum possidentis iterato, etiam cum halitu, qui hodieque superest, obscuro, et leni, fuit prima geminatio *ő-ő*, *ő-vő*, *ő-jő*; priore pronomine instar adiectiui sumto, posteriore in genitiuum collocato, *suus-sui*, vel *eius*, *sua-sui*, vel *eius*, *suum-*

sui, vel *eius*. Postea, accentu in priore vocali amisso, propter iucrementum, *ö-ő*, *ö-vő*, *ö-jő*. Demum et posteriore vocali, vt clarius efferretur, in *é* acutum mutata, factum *ö-é*, *ö-vé*, *ö-jé*.

2) POSSESSVM SINGVLARE, POSSIDENS PLVRALE.

Eadem haec pronomina possessiua, possessis, et possidentibus singularibus, quae sunt modo euoluta, fiunt vtrisque suis partibus pluralia, sed partibus prioribus possidentium tantum ratione; vt possessa adhuc singularia, differente sua etiam forma, ad plura possidentia pertinere indicentur.

a) Sint porro etiam ante oculos exempla nostra: in quibus, primo hoc loco, stat possessum singulare expressum, cum affixo pronomine plurali, personae primae: *kép-ünk*, *ház-unk*, imago-nostri, domus-nostri. Huic possessioni, sic expressae, occultato nomine possesso, ita fit respondens pronomen possessiuum.

Primae personae separatum pronomen singulare *én* mutatur in separatum plurale *mü*, hodie *mi*, adiectiui valore *noster*, *nostra*, *nostrum*, in locum singularis possessi, ad plura possidentia relati: de *ém* affixo pronomine singulari fit vltro plurale *em-ek*; de hoc contractum, primigenio accentu restituto, *émk*; etiam consona *n* consonae *k* magis amica, *énk*; in locum possidentium pluralium. Et haec coalita dant geminationem antiquam *mü-énk*, hodiernam *mi-énk*, aeque geminate reddendam: *noster-nostri*, *nostra-nostri*, *nostrum-nostri*.

b) Possessum singulare, cum affixo pronomine plurali, personae secundae, est in exemplis nostris; *kép-etek*, *ház-atok*, imago-vestri, domus-vestri. Ad hanc possessionem, suppresso nomine possesso exprimendam, lingua nostra ita facit par pronomen possessiuum.

Secundae personae separatum pronomen singulare *te* migrat in separatum plurale *tü*, hodie *ti*, adiectiuo reddendum, *vester*, *vestra*, *vestrum*, suffectum possesso singulari, ad plura possidentia spectanti: *ed* affixum pronomen singulare, lege communi, abit in plurale *ed-ek*, sed consonam *d* tenuius reddit, *et-ek*, substitutum in locum possidentium pluralium. Et haec coniuncta praebent geminationem veterem, *tü-etek*, recentiorem *ti-etek*, genuine *vester-vestri*, *vestra-vestri*, *vestrum-vestri*.

c) In iisdem exemplis est demum possessum singulare, cum affixo pronomine plurali, personae tertiae: *kép-ök*, *ház-ok*, imago-sui, vel eorum, earum, domus-sui, vel eorum, earum. Huic possessioni, tacito nomine possesso, vsus linguae hoc suppeditat conueniens pronomen possessiuum.

Tertiae personae separatum pronomen *ö* idem manet, quod adiectiuo exprimitur, *suus*, *sua*, *suum*, in locum singularis possessi, sed ad plura possidentia relati: et affixum singulare de eodem *ö* natum, *é*, *vé*, *jé*, accepto plurali formatiuo coalescente, fit reuera plurale, *ék*, *vék*, *jék*, substitutum possidentibus pluralibus. His inter se conne-

xis adest geminatio, *ö-ék*, *ö-vék*, *ö-jék*, si proprie reddatur, etiam geminanda: *suus-sui*, vel *eorum*, *earum*; *sua-sui*, vel *eorum*, *earum*; *suum-sui*, vel *eorum*, *earum*.

3) POSSESSVM PLVRALE, POSSIDENS SINGVLARE.

Nomina possessa quoties pluralia indicat lingua nostra; ea pluralia facit formatiuo peculiari, in hoc solum usu affixo adhuc superstite, *i* nempe multitudinis nota, praemissa plerumque *e*, *a*, vocali, *ei*, *ai*: *kép-ei*, *ház-ai*, etiam *kép-i*, *ház-i*, reuera pluralia, sed tantum constructa, *imagines*, *domus*. His addit postea affixa pronomina. Quae, cum a vocalibus inchoent, possessis nominibus, etiam vocali terminatis, ita iungit: vt illorum vocales horum vocali *i* sese accommodent, et cum ea coalescant.

Prorsus idem agit lingua nostra etiam in pronominibus separatis, in locum possessorum nominum substitutis. Vt ea aeque pluralia sint, sicuti sunt ipsa eorum obiecta, tacite subintellecta, et his addit formationem pluralem constructam, cum iis congruentem, *ei*: deinde his, ita auctis, iungit affixa pronomina, pari lege vocalium, sese contingentium, vt sese et hic accommodent, et coalescant.

a) Possessa nomina iam pluralia, cum affixo primae personae pronomine singulari, propter singulare possidens, ita sunt in exemplis nostris: *kép-ei-m*, *ház-ai-m*, imagines-mei, domus-mei; ante-

quam vocales coaluissent, *kép-ei-im*, *ház-ai-im*; de prima rudi formatione, *kép-ei-ém*, *ház-ai-ém*.

b) Sic sunt eadem cum affixo pronomine singulari personae secundae: *kép-ei-d*, *ház-ai-d*, imagines-tui, domus-tui; sed erant antea *kép-ei-id*, *ház-ai-id*, de istis primis *kép-ei-ed*, *ház-ai-ed*.

c) Ita etiam cum affixo pronomine singulari personae tertiae: *kép-ei*, *ház-ai*, imagines-sui, vel eius, domus sui, vel eius; vocalibus non concretis, *kép-ei-i*, *ház-ai-i*; in primordiis certe *kép-ei-ö*, *ház-ai-ö*.

Eadem ratione possessiuorum pronominum *eny-ém*, *ti-éd*, *ö-é*, *ö-vé*, *ö-jé*, partes priores *eny*, *ti*, *ö*, positae in locum possessorum singularium, subintellectis possessis iam pluribus, ad singulare possidens relatis, assumunt et ipsae formatiuum plurale *ei*, ob hoc augmentum iam plurali adiectiuo reddendae. Singulis porro accedunt affixa pronomina singularia personae suae, *ém*, *ed*, *é*, in locum possidentium singularium, et horum vocalibus accommodatis, et coalitis. Hac geminatione fiunt pronomina possessiua, superiori nominum possessioni respondentia, genuine aeque geminate efferenda.

a) *Eny-ei*, mei, meae, mea. Accedente *ém*, principio quidem *ény-ei-ém*, deinde *eny-ei-im*, postremo *eny-ei-m*; mei-mei, meae-mei, mea-mei.

b) *Ti-ei*, etiam cum interiecto *j* euphonico *ti-j-ei*, tui, tuae, tua. Assumto *ed* primum *ti-ei-*

ed, postea *ti-ei-id*, demum *ti-ei-d*, etiam *ti-j-ei-d*; tui-tui, tuae-tui, tua-tui.

c) *Ö-ei*, praemisso *v* halitu, huic pronomini magis familiari, et hoc quidem loco tantum euphonico, *ö-v-ei*, sui, suae, sua. Adnexo *é*, ipso vtique *ő*, in primordiis *ö-v-ei-ő*, *ö-v-ei-é*, deinde *ö-v-ei-i*, tandem *ö-v-ei*; sui-sui, vel eorum, suae-sui, vel eorum, sua sui, vel eorum.

4) POSSESSVM, ET POSSIDENS PLVRALE.

a) Possessa nomina, facta pluralia formatiuo status constructi, iam ad plura etiam possidentia relata, cum affixo primae personae pronomine aeque plurali, sic exhibent eadem exempla: *kép-ei-nk*, *ház-ai-nk*, imagines-nostri, domus-nostri; vocalibus nondum concretis, *kép-ei-ink*, *ház-ai-ink*, de formatione primitiua, *kép-ei-énk*, *ház-ai-énk*.

b) Ita sunt porro ea cum affixo pronomine plurali personae secundae: *kép-ei-tek*, *ház-ai-tok*, imagines-vestri, domus-vestri; prius certe et haec *kép-ei-itek*, *ház-ai-itok*, de istis primigeniis *kép-ei-etek*, *ház-ai-etek*.

c) Sic demum cum affixo pronomine plurali personae etiam tertiae: *kép-ei-k*, *ház-ai-k*, imagines-sui, vel eorum, domus-sui, vel eorum; sed praecesserunt *kép-ei-ik*, *ház-ai-ik*, nata de primis omnium *kép-ei-ék*, *kép-ei-ők*, *ház-ai-ék*, *ház-ai-ők*.

Eodem prorsus modo possessiuorum pronominum *mi-énk*, *ti-etek*, *ö-ék*, *ö-vék*, *ö-jék*, partes priores *mí*, *tí*, *ö*, suffectae possessis singularibus,

relatis ad plura possidentia, quia tacita possessa iam pluralia innuuntur, adsciscunt et ipsae formatiuum plurale status constructi, *ei*, ac propterea adiectiuo redduntur aeque plurali. Singula porro recipiunt suae personae affixa pronomina pluralia, *énk*, *etek*, *ék*, propter possidentia pluralia, et horum vocalibus, vt in exemplis superioribus, accommodatis, et concretis. Horum geminatio dat pronomina possessiua, posteriori nominnm possessioni congruentia, dum redduntur, pariter geminate exprimenda.

a) Mi-ei, nostri, nostrae, nostra. Resumto *énk*, in exordio certe *mi-ei-énk*, postea *mi-ei-ínk*, demum *mi-ei-nk;* nostri-nostri, nostrae-nostri, nostra-nostri.

b) Ti-ei, etiam *ti-j-ei*, vestri, vestrae, vestra. Accepto *etek*, prima quidem formatione, *ti-ei-etek*, deinde *ti-ei-itek*, postremo *ti-ei-tek;* vestri-vestri, vestrae-vestri, vestra-vestri.

c) Ö-ei, et praemisso halitu, vt supra, *ö-v-ei*, sui, suae, sua. Adiecto *ék*, ipso nimirum *ők*, principio *ö-v-ei-ők*, *ö-v-ei-ék*, subinde vero *ö-v-ei-ik*, ac tandem *ö-v-ei-k*.

Voces geminandi consuetudo, Hebraeis vsitatissima, aliisque orientalibus, apud nos quoque nimium inualuit. Est ea apud Hebraeos duplex: dimidiata, et integra. Dimidiata dicitur, quae radicis consonam tantum postremam geminat, interiecta congrua vocali; qualis est ex. gr. verborum species in *pihl-e-l;* et notionem simplicem, quae est in *pahal*, vehementius intendit. סָב (*ſzab*) notat *circumdare;* סָךְ (*ſzak*) *tege-*

re; geminatione dimidiata סָבַב (*szâb-a-b*) significat, *multis modis*, et *vicibus*, seu *valde circumdare;* item et סָכַךְ (*szâk-a-k*), *multis modis*, *copioseque*, seu *valde tegere.* Iam integra geminatio ea est, quae radicem monosyllabam totam, disyllabae autem posteriorem syllabam integram geminat; qualis est verborum species in *pehal-hal;* et significationem simplicem, quae est in *pahal*, ad summum gradum intendit. חָלַק (*chalak*) idem est, ac *glaber fuit;* posterioris syllabae geminatione integra חֲלַקְלַק (*cha-lak-lak*) hunc habet significatum, *supra modum glaber fuit.* Geminatae vero integrae radicis exempla sunt de plurimis haec aliqua: גַּלְגַּל (*gal-gal*), rota; קָדְקֹד (*kád-kod*), vertex; כּוֹכָב (*khub-khab*), stella.

Atque integrae huius geminationis exempla habemus et nos complura: *did-dab*, bucubata, res extreme nihili; *giz-gaz*, sordes, quisquiliae copiosae; *ringy-rongy*, fragmenta panni supra modum laceri; *dir-dur*, notat actum hominis nimium furibunde perstrepentis; *hip-hop*, vehementiam saltantium; *tip-top*, intensionem presse gradientium; *dirib-darab*, fragmenta, seu frustula multa; *kitzit-katzat*, supellectilem minutulam, etc.

Est praeterea in lingua nostra geminatio adiectiuorum in gradu comparatiuo: quae singularem habent emphasim, parem fere superlatiuis: *szebbnél szebb*, pulchriore pulchrior; *jobbnál jobb*, meliore melior. Sunt insuper et verborum exempla, geminatorum ad asseuerationem fortiorem, ad significationem intensiorem, atque vna etiam ad elegantiam non modicam: dum altera in participiis aduerbialiter, altera finite exprimuntur. Et hoc vsu conuenimus cum Hebraeis. מָלֹךְ תִּמְלֹךְ (*málokh timlokh*), regnando regnabis, *országolván országolsz;* נֵלְכָה הָלוֹךְ (*nelkhá hálokh*), eamus eundo, *menten menjünk.* Sic nostra alia *nöttön nő*, crescendo crescit; *öltön ölöd*, occidendo occidis, etc., quae in

syntaxi recurrent copiosius. Nunc satis est nobis, geminandi consuetudinem probasse, etiam apud nos latius vigentem: vt, quae in pronominibus geminata iam vidimus, et adhuc videbimus, quaedam etiam dimidiata geminatione; ea hoc more orientali, et nobis familiari, introducta esse tanto certius teneamus; maioremque habeamus in iis euoluendis claritatem.

Sed eorum vsum, quae priore loco geminata exhibui, olim et frequentiorem, et in quibusdam meliorem eo, qui est hodie, veterum exemplis docere debeo. *Ten* hodie pauci norunt. Praebet huius exempla Komjáthius (*In Epist. ad Rom. E. ij*): *Ki egyebet tanéjtaſz; tenmagudat nem tanéjtod;* Qui alium doces, te ipsum non doces: *Ki hirdeted, hogy nem kellene orozni, tenmagad orozſz;* Qui praedicas, furandum non esse, tu ipse furaris. Vsus est eo et Pestius: *Te tenmagadról téſzſz bizonyságot* (Ioan. VIII. 13.): Tu de te ipso testimonium perhibes. Pronominis *ön* iam sufficientia memorata sunt exempla. *Min* in plurali fuit et Telegdio vsitatum: *Békeségesek legyünk min köztünk* (Part. II. p. 477.); Pacati simus inter nos. Fuit iam ante hunc familiare Komjáthio: *El vonjuk min magunkat a' veſzedelembe* (Ad Hebr. X. 39.): Subtrahimus nos ipsos in perditione. Idem et *tin* habet. *Meg hozzátok tin magatoknak az ígéretet* (Ibid. 38.); Reportetis vobis ipsis promissionem. Deinde Tinódius: *Tin köztetök tsak dúlátok* (C. 1.); Inter vos ipsos, inuicem, depraedati estis. In Codice MS. Transl. Bibl. pro more Translatoris, *tün* recurrit: *Fordéjtom a' tü megforbutlástokat tün fétekre* (Ioel III. 7.): Conuertam retributionem vestram in caput vestrum.

In eodem porro Codice MS. illa auctiora, *enen*, *tenen*, *önön*, simplicem habent *n* consonam priorem. *Mert ma enen ſzememmel láttam* (Zach. IX. 8.); Quia nunc vidi oculis meis. *En kedég Dániel enem magam*

látám e' látatot (Dan. X. 7.); Vidi autem ego Daniel solus visionem hanc. *Uram, ments meg münket tenen érted* (Baruch II. 14.); Domine, educ uos propter te. *Te el veſzésed, Israel, tenen töled* (Osee XIII. 9.): Perditio tua, Israel, ex te. *Kit meg petsétle király önön gyüröjével* (Dan. VI. 17.); Quem obsignauit rex annulo suo. *Meg gyözte vala öket Dániel önön ſzájokból* (Id. XIII. 61.); Conuicerat eos Daniel ex ore suo. Sic recurrunt ista etiam in Codice MS. Sermonum Sacrorum, *Lettem enen magamnak nehéz:* Factus sum mihimet ipsi grauis. *Tenen magad irtad ezeket:* Tu ipse scripsisti haec. Sic habet Pétsius: *Tenen magadból bövséges kút fö kezd fakadni* (fol. 48. pag. auers.): Ex te ipso copiosus fons incipiet erumpere. *Mert ünön maga igen irgalmas* (fol. 10. pag. auers.): Nam ipse nimium misericors est. Iterum in Codice MS. Transl. Bibl. recurrunt etiam pluralia. *Münön magunk, és mü fiaink, te ſzolgaid vagyunk* (Iudith III. 5.): Nos ipsi, et filii nostri, serui tui sumus. *Münön magunkért is imádjátok mü Urunk Istenünket* (Baruch I. 13.). Et pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum. Sed satis de his.

Iam reliqua videamus exempla cum *n* consona geminata, pronunciatione certe fortiore, ad augendam emphasim. Sic habet Komjáthius: *Hattam ennen magamnak hét ezer férſiakat* (G. vj.): Reliqui mihi septem millia virorum. Sic Pestius: *Nem hagyott Átyám ennem magamat* (Ioan. VIII. 29.): Non reliquit pater meus me solum. Item et Telegdius: *Ennen magamat is el költöm az tí lelketekért* (Part. II. p. 110.): Et me ipsum impendam pro animabus vestris. Etiam Pázmánus: *Felebarátomat mint ennem magamat ſzeressem* (In Libr. Prec. pag. 35.): Proximum meum sicut me ipsum diligam. Demum et Lépesius: *Ennen magam útáltam magamat* (De Infern. p. 208.): Memet ipse abomina-

tus sum. Sic vsurpat et secundam personam idem Komjáthius: *Szeressed felebarátodat miképen tennen magadat* (H. iij.): Dilige proximum tuum sicut te ipsum. Deinde et Pestius: *Tennen mondásodból igazúltatol, tennen mondásodból kárhoztatol* (fol. 24.): Ex verbis tuis iustificaberis, ex verbis tuis condemnaberis. Pariter et Telegdius: *Tennen magadat is meg mented* (Part. II. p. 306.): Etiam temet ipsum liberabis. Item Pázmánus: *Tennen hasonlatossdgodra teremtettél engem* (In Libr. Prec. p. 151.): Ad similitudinem tuam creasti me. Atque iidem sic perpetuo adhibuerunt etiam pluralia: *minnen, tinnen, minnen magunk, tinnen magatok*. Libet vero et aliorum exempla proferre. Apud Albertum Molnárum occurrit huius pronominis prima pluralis persona: *Az melly ditséretet az minnen lelkünk esméreti ád minekünk* (De Summo Bono pag. 182.): Quam famam nostra ipsorum conscientia dat nobis. *Az mint minnen magunk tapasztaltuk* (Ibid. pag. 232.): Vt ipsi nos experti sumus. Secundam promo ex Pestio: *Ne zúgódjatok tinnen köztetek* (Ioann. VI. 43.): Nolite murmurare inuicem, inter vos ipsos. Sic eadem recurrit in Codice MS. de Passione Domini: *Vegyétek tinnön magatok ötet, és ítéljétek a' tü törvénytök szerént*; Accipite eum vos, et iudicate secundum legem vestram. *Önnön* nihil omnino mutatum, idem est et hoc vsu, tam in singulari, quam in plurali. Exemplum suppeditat Telegdius: *Mást tanét, és ünnön magát nem tanétja* (Part. II. in Praef.): Alium docet, et se ipsum non docet. Etiam Pázmánus: *A' ki Istennek szolgál, uralkodik az önnön testén* (In Libr. Prec. p. 231.): Qui Deo seruit, dominatur ille in corpus suum. Deinde Draskovitsius: *Egybe tévén a' régi Doktoroknak önnön közöttök egy értelmű mondásokat* (O. 1.): Conferentes veterum Doctorum dicta sensus inter se eiusdem. Denique Komjáthius: *Az gyarló kór emberek írásokat*

Forgatnak önnen veszedelmekre (In Dedic.): Imbelles aegroti homines scripta voluunt in perniciem suam.

Grammatici antiquiores, Albertus Mólnár (Libr. 9. Cap. XII. p. 61.), Paulus Pereszlényius (Part. II. Cap. I. §. 2. pag. 42.), vsum, et indolem linguae in his fidelius secuti, sic dant omnino horum exempla; *ennem magam, tennen magad, önnön maga*; *minnen magunk, tinnen magatok, önnön magok.* Michael Adámius, et Ephraimus Klein, praeclare presserunt horum vestigia, in his pronominibus emphaticis suae Grammaticae sic integre insertis (prior Cap. IV. §. 1, pag. 19. posterior de Pronom. §. 45. 10. p. 75.).

Atque haec cum sint, et tantae antiquitatis tam copiosa auctoritate firmata, et ex ipsa linguae indole sic omnino euoluta; dissimulari neutiquam potest plerorumque Grammaticorum recentium, etiam Scriptorum quorundam, error sane grauis: qui *önnön* pronomen tertiae personae, cum *magam*, et *magad*, primae, ac secundae personae pronominibus, perperam iungere consueuerunt, *önnön magam*, *önnön magad*; sic etiam in plurali *önnön magunk*, *önnön magatok*; pro *ennen magam*, *tennen magad*, *minnen magunk*, *tinnen magatok*, quae sola recta sunt.

Aeque non recte vsurpant multi *önként*, pro *önképen*, sua sponte: *önként mentem oda*, *önként mentél oda*; quae ad verbum reddita proprie haec significant, *sua sponte eo iui*, *sua sponte eo iuisti*; vitiosa certe construendi ratione, pro *mea sponte*, *tua sponte*.

Kény, et *ny* in *j* mutato *kéj*, sunt pro his vere Hungarica, proprie *delicium*, *libentia*, *lubido*, *lubitus*. Haec, assumto *an*, aduerbiorum formatiuo, vocali congruenter mutata, *kényen*, *kéjen*, valent nudum *sponte*, *pro lubitu*, *vltro*, sine vlla ad personas relatione, absolute constructum. Qui vsus occurrit in Codice MS. Transl. Bibl. *Ménd kéjén adjuk meg magunkat Olofer-*

nes népének (Iudith VII. 15.): Sponte tradamus nos omnes populo Olofernis.

Eadem, cum affixis pronominibus, et cum eodem *an*, aduerbiorum formatiuo, fiunt iam relata ad personas. Quibus, in hac construendi ratione, praemittuntur ipsa etiam pronomina personalia absoluta, et simplicia quidem, sed frequentius tamen composita emphatica. Explanationem clariorem reddent ipsa horum exempla.

Kényemen.	*Kényeden.*	*Kényén.*
Kéjemen.	*Kéjeden.*	*Kéjén.*
Sponte mea.	Sponte tua.	Sponte sua.
Kényünkön.	*Kényeteken.*	*Kényeken.*
Kéjünkön.	*Kéjeteken.*	*Kéjeken.*
Sponte nostra.	Sponte vestra.	Sponte sua.
Ennen kényemen, én kényemen.	*Tennen kényeden, ten kényeden.*	*Önnön kényén, ön kényén.*
Ennen kéjemen. én kéjemen.	*Tennen kéjeden. ten kéjeden.*	*Önnön kéjén. ön kéjén.*
Minnen kényünkön, min kényünkön.	*Tinnen kényeteken, tin kényeteken.*	*Önnön kényeken, ön kényeken.*
Minnen kéjünkön, min kéjünkön.	*Tinnen kéjeteken, tin kéjeteken.*	*Önnön kéjeken, ön kéjeken.*

Qui vsus, praesertim posterior, probatur exemplis veterum. In Codice MS. Transl. Bibl. recurrit, et singulari, et plurali numero. *Készleijed az Éber némberiet, hogy önkéjén engedjen lakozni én velem* (Iudith XII. 10.): Persuade Hebraeam mulierem, vt sponte sua consentiat habitare mecum. *Nem akarák önkéjeken önmagokat meg adniok* (Ibid. X. 12.): Noluerunt vltro (*sponte sua*) tradere se ipsos. Legitur etiam in Medgyesio: *Rúgoldozások nélkül, önkéjén, és betsületesen engedjen* (pag. 138.) Sine recalcitrationibus, sponte sua, et honeste cedat.

Iu

In pronominibus possessiuis insolita est hodie forma *enyeim*, vulgo *mei*, *meae*, *mea*: in eius locum haec inualuit *enyémek*, prorsus non analoga, ac propterea, mea quidem opinione, neque recta. In sociis pronominibus rerum possessarum pluralitas indicatur *i* vocali, multitudinis nota: *övé*, *övei*; *tied*, *tieid*; *övék*, *öveik*; *tietek*, *tieitek*; *miénk*, *mieink*. Consequens est certe: vt, ad horum similitudinem, etiam *enyém* eandem notam sic habeat, *enyeim*. Et huius omnino analogiae ratio mihi sola sufficit: vt hanc formam, per desuetudinem exoletam, sociis pronominibus congruentem, restituam. Adest vero et antiquitatis auctoritas; qua id tanto securius faciam. Pestius enim sic eo vtitur: *Engemet is ösmérnek az enyiim* (Ioan. X. 14.); Et noscunt me meae, *oues* nempe, de quibus sermo est. Consentit hoc loco cum Pestio et Siluester: *És meg esmértetem az enyiimtöl*; Et cognoscor a meis. Vltro liquet, in vtroque exemplo de geminatis *i* vocalibus priorem esse pro *e*, soni, praesertim acuti, vicinitate assimilatam posteriori. Eam vero non mutatam habet Vita MS. S. Apolloniae, monumentum singulare seculi XV. fere medii, Bibliothecae Regiae Scientiarum Vniuersitatis Hungaricae: *Valamit az enyeim közül legkisebbnek töttetök, neköm töttétök*; Quidquid ex meis minimo fecistis, mihi fecistis. Quem locum, vti et alios complures, moris antiqui ignoratione sibi insolentes, aeui recentioris inficetus quidam Aristarchus ausus et litura temerare: vt genuinae formae veteri, sensim exoletae, *enyeim*, substitueret posteriorem, vt mox clare videbimus, male irrepentem, non sinceram, *enyimek*. Molnárus adiunxit hanc formam, aeuo suo adhuc superstitem, alteri iam magis inualescenti, eamque per casus inflexam (Libr. I. Cap. XIV. pag. 69.)

Nom.	*Mi.*	*Enyimek.*	*Enyeim.*
Gen.	*Miénk.*	*Enyimeké.*	*Enyeimé.*

Dat.	*Nekünk.*	*Enyimeknek.*	*Enyeimnek.*
Acc.	*Minket.*	*Enyimeket.*	*Enyeimet.*
Mut.		*Enyimekké.*	*Enyeimmé.*
Abl.	*Tőlünk.*	*Enyimektől.*	*Enyeimtől.*

Idem fecit et Pereſzlényius, sed solum in nominatiuo: *enyimek*, vel *enyéim* (Part. II. Cap. I. §. 2. pag. 44.). Verum in eo non modice adhaereo, quod mox addit ordine inuerso in persona secunda: *tieid* pro *tiedek*, quod non est in vsu. Indicat *enyeim*, iam fere exoletum: cui geminum est *tieid*, reuera vsitatum. Altera aeque sunt socia, *enyimek*, et *tiedek*; sed hoc posterius notat non esse in vsu. Transuersa haec sunt. Si *tiedek* non est in vsu, cur est *enyimek*? Et si vsurpatur *tieid*, cur periit *enyeim*? Haec, et inter se, et ceteris analoga sunt; etiam etymologica euolutione probata.

Sed coniectura assequor, quomodo hoc vitium irrepserit. In vsu scilicet possessionum coepit sensim ignorari genuinus valor intermixtae vocalis *i*; et pluralitatis nota altera *ök*, *ek*, *ok*, *ak*, interea sola inualescens, fuit hoc vsu notissima. Quare *enyém*, vulgo *meus*, *mea*, *meum*, in singulari ita spectatum, vt nomina alia, horum more factum est plurale, *enyém-ek*, vulgo *mei*, *meae*, *mea*; vt *törvény*, *törvény-ek*, leges; *edény*, *edény-ek*, vasa. Cuius similitudine etiam *tied*, horum more, plurale factum, *tied-ek*. Sed istius verum plurale, possidente singulari, et possesso plurali, *tieid*, tvti etiam *övei*, eodem hoc vsu priori geminum, vitiosae huic consuetudini statim restitit, inuoluta sibi, obscura licet, vera tamen pluralitatis notione. Miror non eadem vi valuisse etiam *enyeim* pronomen ad repellendum spurium pronomen *enyémek*. Pluralitatis nota *ek*, vulgo notior, non suo loco adiecta, hic omnino peregrina, domesticam *i* notam de interiore sede exturbauit.

Incuria nostrorum duas in his notiones obseruandi, easque inter se accuratius distinguendi, alteram possessi, alteram possidentis, cum propriis suis numeris, et aliud propagauit vitium: vt *övék*, quasi in eo *k* istud, et possessi, et possidentis notaret pluralitatem, vtroque casu idem adhiberetur, *suum eorum*, et *sua eorum*.

Tsétsii, et sociorum insignis perspicacia, primum, quod ego sciam, accuratius fecit discrimen inter *ovék*, et *öveik*. Et in hoc quidem personae tertiae pronomine indicatam hanc differentiam secutus est et Adámius, et Klein, et alii meliores notae Grammatici. Sed mirum est, hos non itidem adoptasse et ipsum *enyeim*, a Tsétsio reductum; vt esset et hic principium, ad quod referrentur resecta, vt vulgo dicuntur, affixa *im*, *aim*, *eim;* quemadmodum adest *öveik*, fons resectorum, vt hoc more loquar, affixorum *ik*, *aik*, *eik*.

Eadem sunt haec Tsétsiana, quae et nos accuratius eruimus; nisi quod accentibus discrepent, qui, nostra quidem sententia, probari non possunt (Obseruationes Orthographico Grammaticae, Lexico Párizpápaiano adiectae, §. III. Reg. VII. pag. 10.).

Enyím.	*Tiéd.*	*Övé.*
Miénk.	*Tiétek.*	*Övék.*
Enyéim.	*Tiéid.*	*Övéi.*
Miéink.	*Tiéitek.*	*Övéik.*

Quibusdam vocibus, ac particulis, addit vsus, et tollit accentum, tantum ad arbitrium. Dicitur ex. gr. *légyen*, et *legyen; nékem* et *nekem*. Vtrum in his praestet alteri, alibi doceo. Hoc loco vsus istius arbitrium expendamus in assumtis dumtaxat pronominibus. *Tiéd*, vt Tsétsius habet, iam sic adhibuit Pereſzlényius, etiam in deriuatis, *é* vocali acuta. Sed Molnárus eam vbique breuem posuit. Et reuera breuem esse abunde docet ipsa eius origo. Verum *enyém*, *miénk*, *övé*, *övék*, hae

quidem forma, *é* acuto esse debere, clare vidimus itidem in euoluta eorundem origine. Eadem porro auctiora, quia ignoratum est, quomodo augeantur, etiam producta *é* vocali esse volunt plerique, vt Tsétsius produxit. In solo *mieink* promiscuus est vsus; sed correpta tamen vocali multo frequentior. Molnárus nihilominus, satis diligens accentuum notator, et *enyeim*, et *övei*, et, vt plerique solent, etiam *mieink*, breuiter pronuncianda scripsit. Sic vero ista esse debere clarissime docet pluralis formatio *ei*; quae etiam in nominibus semper breuis est. Ludit viros, qui *é* et in his producunt, eius sonus productus in parte *ém* de *enyém*, in *énk* de *miénk*, in *é* de *övé*, in *ék* de *övék*; quas vocales putant etiam in auctioribus suo hoc loco easdem esse; non vero vlterius retrusas, interiecto plurali formatiuo *ei*, et concretum cum huius *i* vocali.

Coalescere autem affixorum vocales, cum postremis radicum vocalibus, satis indicat vel leuior formationum euolutio etymologica. Sed quam doceo vocalium concretionem in possessionibus, ea paulo insolentior esse videtur; vt est ipsa etiam affigendi ratio tota alia, mea quidem explanatione, sed tota ex ipsis linguae legibus petita. Hae, nobis cum Hebraeis communes, clare indicant et istam vocalium concretionem. Nam apud Hebraeos quoque, antequam affixa pronomina adiiciantur nominibus possessis, sic ista fiunt pluralia, vt in statu constructo, retenta י (*jod*) multitudinis nota: ex. gr. דָּבָר (*dâbar*), verbum, דִּבְרֵי (*debârai*), verba. Huic alterum י (*jod*) adnectitur, affixum primae singularis personae, *mei*: דִּבָרַיִי (*debâraii*), verba-mei. Sed vsus linguae, ne eadem litera bis ponatur, duo י (*jod*), alterum multitudinis alterum pronominis, in vnum contrahit: דְּבָרַי (*debârai*), verba mei. Hoc ipsum est in nostra affixione personae tertiae, possidente singulari: *kép-ei*, *ház-ai*,

imagines-eius, domus-eius, contracta sunt de *kép-ei-i*, *ház-ai-i*; et haec nata de *kép-ei-ő*, *ház-ai-ő*. Et possidente plurali, *kép-ei-k*, *ház-ai-k*, imagines-eorum, domus-eorum, cum in his adsit *k* de pronomine *ők*, certe eius *ő* per concretionem periit ex formatione primigenia, *kép-ei-ők*, *ház-ai-ők*; posteaquam id, euphoniae caussa, vicino *i* fuisset accommodatum, *kép-ei-ik*, *ház-ai-ik*. Sic prorsus et in ceteris.

B. CASVS PRAECIPVI PRONOMINVM.

1. GENITIVVS.

a. GENERATIM NOMINVM OMNIVM.

Omnes genitiui nominum possessionem indicant. Cum enim dicitur *úré*, domini, *jobágyé*, serui; refertur in memoriam res aliqua, cuius mentio facta iam est in sermone, possessa a domino, possessa a seruo.

Relatiua haec vis in lingua nostra adeo clare inest genitiuorum formatiuo *é*; vt vltro pateat, hoc *é* ipsum esse pronomen *ő*, is, ille: quod in hoc vsu, vt clarius pronunciaretur, abiit in *é* acutum, sicque manet semper constans sibi, qualescunque vocales, siue crassae, siue tenues praecedant: habetque reciproci valorem, adiectiuo reddendum, *suus*, *sua*, *suum*; aut etiam his pronominibus, relatiuorum instar, exprimitur, *ille*, *ipse*, *idem*; concordantibus cum re vtique possessa, quae reuocatur in memoriam. Quare *úré*, *jobágyé*, genuine haec valent, *domini-suum*, *serui-suum*, vel *domini*, *serui* *illud*, *ipsum*, *idem*, illud aliquid

nimirum, quod iam memoratum est in sermone, vel mox memorabitur.

Atque hic latet recondita caussa intima: cur ipsi etiam genitiui nostri, et pro nominatiuis habeantur, et per casus omnes, plurali quoque formatiuo assumto, porro inflecti soleant. Quo vsu dicuntur *genitiui inflexi*, et *constructi.*

Praeclare autem prouisum est a linguae nostrae auctoribus: vt idem hoc pronomen *ő*, duplici vsu adeo frequens, certam in vtroque haberet differentiam. Sic enim constituerunt: vt, pronomen istud, adiectum nomini, dum ad hoc, tamquam possidens, aliquid subintellectum, tanquam possessum, referri significaret, hoc est, dum genitiuum formaret; immutabiliter eadem acuta esset vocali *é*; *úré*, *jobágyé*, domini suum aliquid, serui suum aliquid: dum contra nomen, cui iungitur, tanquam possessum, ad tacitum aliquod possidens reuocaret, vt fit in vsu possessiuo, cum hoc concordans, vocalem suam, amisso accentu semper breuem, congruenter mutaret; *képe*, *háza*, imago eius, domus eius; eius, ad quem est horum relatio; et qui ex contextu sermonis intelligitur.

Meam hanc sententiam de genitiui nostri vera indole, et valore genuino, ex linguae vsu meditatione natam, et auctam, multum gratulor et Molnári obseruatione confirmari (Libr. I. Cap. XII. p. 60.). ,,Omnium, ,, inquit ille, paradigmatum genitiui, qui formantur ,, per *é*, quae vim habet pronominis *ő*, ipse, vel *övé*, ,, ipsius, itidem inflectuntur per reliquos casus; quan- ,, do nominatiui vice funguntur, quod fit in ellipsi rei

„possessae.“ Formatiuum *é* vim dicit habere pronominis *ö*. Vidit linguae arcanum, sed nondum distincte; quia dubius adiungit et *övé*. Nondum ausus est dicere, ipsum esse, vti reuera est, pronomen *ö*. Eandem vim sensit, sed obscurius, etiam Pereſzlényius (Part. II. Cap. II. §. 3. pag. 45.). Huius tamen consectarium et iste notat, ex vsu linguae, verbis omnino claris: quae fere eadem iam exscripsi in explanatione mea, modo data. „Omnes genitiui tam nominum, quam pronomi„num, significant aliquam possessionem: vt, cum di„co *uré*, domini, vel *úramé*, domini mei, refertur „in memoriam res aliqua possessa a domino. Iam er„go omnes tales genitiui iterum per sequentes casus „flectuntur.“

Genitiui nostri reuera nominatiui sunt: ac propterea rursum per casus inflectuntur. Nam eorum formatiuum *é*, ipsum nempe *ö*, licet sono mutatum, persistit tamen pronominis valore in nominandi adhuc casu, vi intimae significationis suae, qua est omnino relatiuum, et in nostris quidem genitiuis amplius significans, quam in Latinis. Quae enim exempla sumsimus, *uré*, *jobágyé*, et cetera omnia, non reddunt nudos genitiuos, *domini*, *serui*; sed, vt iam exposui, cum ampliore significatione, quam omnes Hungari vltro sentimus: *domini suum*, *illud*, *ipsum*, *idem aliquid*; *serui suum*, *illud*, *ipsum*, *idem aliquid*, quod iam indicatum est in sermonis contextu. Atqui hoc *suum*, *illud*, *ipsum*, *idem aliquid*, sic in nominatiuo positum, est vtique declinabile. Ergo declinabile est et *é*, quod valet omnino hoc *suum*, *istud*, *ipsum*, *idem aliquid*.

Et Molnárus quidem, hac interna vi rectius percepta, exempla genitiuorum singulariter inflexorum reddit multo felicius Pereſzlényio. Sed iste compensat, postea quod hic neglexit, in genitiuis pluraliter inflexis (Part. II. Cap. III. §. 3. pag. 70.). Ad maiorem

claritatem profero primum Molnáriana, sed vberius exposita, addita et mea interpolatione.

Úré, Domini suum aliquid,	Id, ea, is,		quod, vel
Úrénak, - - -	Illi, ei,		quae, aut
Úrét, - - -	Id, eam, eum,		qui est
Úrétól, - - -	Ab eo, ea, eo;		domini.

Uraké, Dominorum suum aliquid.	Id, ea, is,		quod, vel
			quae, aut
Urakénak, - - -	Illi, ei,		qui est
Urakét, - - -	Id, eam, eum,		domino-
Urakétól, - - -	Ab eo, ea, eo,		rum.

Jam Pereſzlényiana sequuntur. Eadem ille in memoriam reuocat, quae supra vidimus: „Genitiuos omnes „significare aliquam possessionem.“ Addit porro: „Eandem regulam sequuntur genitiui cum affixo per„sonali vtriusque numeri: vt *urámé*, *uraimé*. His er„go genitiuis insuper eleganter additur affixum *k*: vt „*uraméк*, *uraimék*. Et habent hunc sensum: *uramék*, „illi, qui spectant ad dominum meum; *uraïmék*, illi, „qui spectant ad dominos meos; *uradék*, illi, qui „spectant ad dominum tuum, etc. Et sic alia plura.“

Placet hunc vsum exemplis etiam constructis illustrare. Primum depromo ex Telegdio: *Ortzánkat, és ſzemeinket fel emelte az ég felé, nem fordétotta alá a' földre, mint az oktalan állatokét* (Part. II. pag. 528.): Vultum nostrum, et oculos nostros erexit in coelum, non vertit deorsum in terram, vt brutorum animalium. *Állatoké*, est genitiuus *animalium*; sed *é*, genitiui formatiuum, etiam relatiuum est, pro natura pronominis, quod esse nondum desiit, et non innuit solum, vt in Latino, sed etiam refert omnino antecedentia, *vultum* nempe, et *oculos*: pronominis itaque lege migrat etiam in accusatiuum, quem hic construendi po-

scit ratio: *mint az állatokét*, quasi esset, *vt animalium sua eadem*, *vultum* nempe, et *oculos*.

Produco porro exemplum ex Codice MS. Transl. Bibl. *El megyek meg fosztatván, és mezéjtelen: siralmat teszek mint sárkányokét, 's gyászolatot, mint strutzokét* (Micheae I. 8.): Vadam spoliatus, et nudus: faciam planctum, velut draconum, et luctum quasi struthionum. *Sárkányoké, strutzoké*, non est solum *draconum, struthionum*; sed his amplius *draconum suum illum, struthionum suum illum*: per *é* nimirum referuntur antecedentia, *planctus*, et *luctus*: et ipsum itaque, horum vtpote relatiuum, abit in casum, quem constructio hic exigit, accusatiuum, *sárkányokét, strutzokét*.

Addo et aliud rursum ex eodem Codice MS. pariter, vt priora, resolutum: *Láttam én népemnek fogságát, én fiaimét, és én leányimét* (Baruch IV. 10.): Vidi captiuitatem populi mei, filiorum meorum, et filiarum mearum. *Fiaimé, leányimé*, non sunt nudi genitiui, *filiorum meorum, filiarum mearum*; sed aucti pronomine, quod vtique natura sua relatiuum est, praemissamque captiuitatem, etiam huc pertinentem, reuocat in memoriam, *filiorum meorum suam illam, filiarum mearum suam illam*; sensu sic poscente itidem in accusatiuo, *fiaimét, leányimét*.

Sic in aliis casibus. Exemplum suppeditat idem iterum Codox MS. *A' mellyet szóllottam, Istenének esméritek lenni* (Iudith VIII. 30.): Quod locuta sum, Dei esse cognoscitis. *Dei suum* esse. Sed in Hungarico datiuus est, *Istenének*, quem poscit verbum *esmér*. Latine ablatiuo reddi potest cum praepositione *pro*, et cum verbo *habeo*: *pro eo, quod Dei est, habetis, quod locuta sum*.

Etiam cum postpositionibus. Sumo exemplum ex illo rursum Codice MS. *Bemégy Jósiásnak házába*,

Sofoniás fiájéba (Zachar. VI. 10.): Intrabis domum Iosiae, filii Sophoniae. *Sofoniás fiájéba* plus est, quam *filii Sophoniae:* adiectum habet certe *in suam illam*, in domum nempe filii Sophoniae, quae per genitiui formatiuum, reuera pronomen, hic etiam postpositione auctum, refertur in memoriam.

Sed ista puto iam abunde sufficere ad id, quod volui multo clarius patere, quam hactenus patuerit: genitiuorum formatiuum *é* esse omnino ipsum pronomen *ö*. Quod enim iam dudum sentitur huius ipsius pronominis habere vim: quod porro, si ita, vt sentitur, reddendum est, eodem hoc pronomine reddi solet: quare idem, tanto hoc indicio, non hoc ipsum esse, quod reuera est, vltro tandem agnoscatur? Admittunt genitiui nostri casus omnes, numerum pluralem, etiam postpositiones. Si hoc tantum ex vsu linguae sciamus, obscurum est, quod scimus, neque satis iucundum. Si vero ex intima eius indole penitus cognitum habeamus, quare sit hic vsus: et plena nobis affulget lux ad certas inposterum huius vsus leges; et voluptatem, ex vera scientia, aeque veram, et sinceram capimus. Quae Magna Grammatica Debretzinensis de genitiuo nostro memorat (Part. IV. §. XXXI. pag. 24.); longe absunt ab omni veri similitudine.

b. SPECIATIM PRONOMINVM PERSONALIVM.

Cum genitiui omnes possessionem significent; etiam vicissim vltro consequitur: pronomina possessiua, geminatione sui nata, vt possessionem ad personas suas relatam indicarent, tam singularia, quam pluralia, *enyém*, *tied*, *övé*, *miénk*, *tietek*, *övék*, veros, ac primigenios esse genitiuos suorum simplicium pronominum *én*, *te*, *ö*, *mi*, *ti*, *ök*.

Genitiui formatiuum, quia relationem indicat rei cuiuspiam subintellectae ad nomen, cui iungitur ad formandum genitiuum, eidem huic nomini reciprocum, eiusdem scilicet personae, esse debet. Inde est, quod nomina omnia, quia tertiae sunt personae, pro genitiui sui formatiuo tertiae itidem personae pronomen habeant, ipsum *ő*, hoc vsu mutatum in *é* acutum. Et ipsum hoc *ő*, tertiae personae pronomen, geminatione sui, suapte natura formauit suum quoque genitiuum, *övé*; sed ita, vt iam docui, reddendum, *suum-sui*, vel *eius*; natum nempe imitatione affixionis possessiuae cum nominibus.

Ad haec tam recta, et ex intima linguae indole sponte consequentia, animum suum non aduertunt: qui antiquos, primae, ac secundae personae pronominum genitiuos, coniectura erronea, hos fingunt, *én-é*, *te-é*, *mik-é*, *mink-é*, *tik-é*. Linguae nostrae primis auctoribus multo altius erat in his consilium: quam vt adeo humiliter ineptire potuissent. Quid enim ista sunt, quae ab istis egregiis etymologis ita combinata affinguntur venerandae antiquitati nostrae? Certe *én-é* est *mei-suum aliquid*; *te-é* est *tui-suum aliquid*; *mik-é*, *mink-é*, *tik-é*, etiamsi et haec, *mik*, *mink*, *tik*, concedenda sint istis ita olim fuisse in vsu separato, genitiuis tamen suis, sicuti priora, aeque sunt vitiosa, *nostri-suum aliquid*, *vestri-suum aliquid*. Non enim reciprocat in his *suum aliquid*, quod valet adiectum *é*, tertiae vtpote personae pronomen, cum pronominibus personae primae, ac secundae, *én*, *te*, *mik*, *mink*, *tik*. Exacta loquendi ratio, quae originibus nostris nimium cordi fuit, etiam remotissima, et rudi adhuc aetate, pro his quidem iam tunc meliora exposcebat: *aliquid meum-mei*, *aliquid tuum-tui*, *aliquid nostrum-nostri*, *aliquid vestrum-vestri*. Haec genuine redduntur iis formis, sui geminatione combinatis, antiquissimis,

et primigeniis: quas paulo ante proposui, et loco suo clare iam euolui.

Sed quaerunt isti; cur ergo possessiua pronomina, *enyém*, *tied*, *miénk*, *tietek*, cum sint primae, ac secundae personae, admittunt tamen genitiui formatiuum *é*; *enyém-é*; *tied-é*, *miénk-é*, *tietek-é?* In istis non ipsa haec pronomina requirunt hoc formatiuum *é*; sed possessa tacita, tertiae vtique personae nomina, his possessiuis in memoriam reuocata; illud *aliquid* his inuolutum petit *é* sibi congruens, *aliquid* meum-mei, *aliquid* tuum-tui, *aliquid* nostrum-nostri, *aliquid* vestrûm-vestri.

2. DATIVVS, ET ABLATIVVS.

Particulae nostrae, postpositionum nomine insignitae, origine sua reipsa nomina, cum ad personas referuntur, nominum omnino more accipiunt affixa personalia, linguae vsu antiquissimo, et perpetuo.

Datiui proinde formatiuum *nek*, et ablatiui *tôl*, cum huiusmodi sint particulae, et ipsa proprie nomina; quando ad personas referuntur, et accommoda significatione dictos casus formant; personarum pronomina, possessionum lege, sibi aeque affixa habent, et antea habuerunt semper.

Quare pronominum simplicium hi sunt genuini datiui, hi item ablatiui, pronominibus post ipsa formatiua positis: *nekem*, *neked*, *neki*, *nekünk*, *nektek*, *nekik*; *tôlem*, *tôled*, *tôle*, *tôlünk*, *tôletek*, *tôlök*. Ad quandam emphasim saepe geminantur et in his pronomina, pleonastice praemissa, vti in possessionibus fieri solet: *én nekem*, *te ne-*

ked, ő neki, mi nekünk, ti nektek, ő nekik; én tőlem, te tőled, ő tőle, mi tőlünk, ti tőletek, ő tőlök.

De datiuis quoque, et ablatiuis, quidam sic somniant: hos casus formatos fuisse in primordiis eorum formatiuis *nek*, et *től*, ad ipsa pronomina personalia adiectis: *énnek*, *tének*, *önek*, etc. *éntől*, *tétől*, *ötől*, etc. Analogos putant fuisse hos pronominum casus iisdem casibus nominum aliorum: ex. gr. *embernek*, *embereknek; embertől*, *emberektől.* Sed in errore sunt. Horum anologia alibi quaerenda est, vbi adest aeque copiosa.

Demonstro ad euidentiam in euolutione particularum (Etym. Part. II. Sect. III. Cap. I.): postpositiones nostras origine sua plerasque reuera nomina esse. Hae nominibus postponuntur; cum pronominibus autem personalibus coniunctae praemittuntur. Id cur ita fiat, paucis explicabo.

Nominibus, quae sunt potiora sermonis obiecta, ad indicandam eorum relationem ad obiecta alia, accedunt altera quaedam nomina, particularum appellatione nota; quae, iisdem continenter adiecta, accommoda ad hunc vsum significatione, famulantur in exprimendis relationum notionibus. Ea itaque secundana, et tantum famulantia, hoc vsu bene posteriore sunt loco: *ember-nek*, *ember-től*, et alia his similia. Iisdem nominibus, obiectis potioribus, quando indicanda est eorum relatio ad personas, etiam personarum pronomina famulantium more affiguntur; quae propterea loco sunt itidem posteriore: *ember-em*, *ember-ed*, *ember-e*, etc. Iam particulae, quando non sunt in nominum famulatu, sed, ad personas relatae, cum personarum pronominibus iunguntur; nominum valorem primigenium in hoc vsu clarius resumunt, atque ipsae etiam potiores sunt; et pronomina, vt cetera faciunt

nomina, assumunt sibi aeque famulantia, in indicanda hac sui relatione; quare etiam ea sibi, vt secundana, postponi volunt.

Hoc discrimen adhibuit lingua nostra iam in primordiis; quod probant et affines linguae, tam orienles, quam septentrionales. Istorum itaque casuum, postpositionum adminiculo expressorum, et postpositionum omnium, analogia est cum nominibus copiosissima in vsu affixo: in quo primigenium nominis valorem clare sustinent.

Et datiui quidem, etiam ablatini, pronominum personalium, vt hos solum in isto vsu affixo in praesenti magis dilucidem, resumto formatiuorum primigenio valore nominali, circumscriptionem continent, tota forma sua nominibus, affixione auctis, simillimi. Nam *nek*, verum nomen, est proprie *relatio*, *oppositum*, *aduersum*; *töl*, compositum ex nomine et particula, *ex obiecto*, potiore suo valore aeque nomen. Quapropter *nek-em*, *nek-ed*, *nek-i*, ista reddunt; *relatione-mei*, *opposito-mei*; *relatione-tui*, *opposito-tui*; *relatione-sui*, vel *eius*, *opposito-sui*, vel *eius*; *töl-em* vero, *töl-ed*, et *töl-e*: *ex obiecto-mei*, *ex obiecto-tui*, *ex obiecto sui*, vel *eius*. Et sic porro in numero etiam plurali. Haec certe simillima sunt nominibus, eadem affixione auctis: *ember em*, *ember-ed*, *ember-e*, etc. *homo-mei*, *homo-tui*, *homo-sui*, vel *eius*, etc.

Nominum valor et eo clarus est in his particulis: quod, affixis pronominibus auctae, horum etiam separata pleonastice sibi praemissa habeant: *én nek-em*, *te nek-ed*, *ö töl-e*, etc. *én töl-em*, *te töl-ed*, *ö töl-e*, etc. prorsus vt ipsa nomina, *én ember-em*, *te ember-ed*, *ö ember-e*, etc. illae sic reddendae, *mea relatione-mei*, *meo opposito-mei*, *tua relatione-tui*, *tuo opposito-tui*, *sua relatione-sui*, *suo opposito-sui*, etc. *meo ex obiecto-mei*, *tuo ex obiecto-tui*, *suo ex obiecto sui*, etc.

ista vero *meus homo-mei*, *tuus homo-tui*, *suus homo-sui*, etc.

Atque haec rudi etiam primigenia formatione sic certe fuerunt; vt nominum exempla quaedam alibi iam dedimus, Fennorum, et nostro vsu vetusto formata. Quae enim tam sunt inter se, et hodie analoga; fuerunt procul dubio et olim more antiquissimo: et successu temporum, iisdem mutationibus pariter variata, pariter formam acceperunt recentiorem. Forma itaque primitiua, similis nominum formae, certe haec fuerat: *nek-én*; *nek-te*, *nek-et*; *nek-ö*: *nek-mü*, *nek-emek*, *nek-emük*, *nek-énk*; *nek-tü*, *nek-etek*, *nek-etük*; *nek-ök*: deinde *töl-én*; *töl-te*, *töl-et*; *töl-ö*; *töl-mü*, *töl-emek*, *töl-emük*, *töl-énk*; *töl-tü*, *töl-etük*; *töl-ök*.

De datiuis demum tertiae personae restat notandum: in iis pronomen *ő* vsurpari etiam geminatum. In his nempe *neki*, *nekik*, est iam semel hoc pronomen in *i* mutatum; sed vulgo dicuntur et ista, *nekie*, *nekiek*, in quibus *ő* iam secundo est, verum in *e* mutatum. Geminatur hoc pronomen tum etiam, cum est genitiui formatiuum: certe interrogatiui pronominis idem casus *kié*, *kijé*, cuius, apud vulgum et sic viget, *kiejé*, *kijejé*.

3. ACCVSATIVVS.

Accusatiui singulares pronominum, primae, ac secundae personae, dupliciter sunt in vsu: integri, *engemet*, *tégedet*; decurtati per apocopen, *engem*, *téged*.

Geminati sunt hi casus de geminatis pronominibus, *en-én*, *té-ed*. Singulae scilicet horum partes, assumto accusatiui formatiuo, ita principio sonabant, *ent-emet*, *tét-edet*. De quibus partes priores *ent*, et *tét*, erant accusatiui primi, et an-

tiquissimi, simplicium pronominum separatorum. Sed postea, vt essent sonantiores, inualescente geminationum vsu, accesserunt iis et alterae partes, *emet*, *edet*, affixorum pronominum accusatiui. In geminatis porro accusatiuis, *ent-emet*, *tét-edet*, priorum formatiuo *t* in *g* mutato, nata est horum forma, quae hodie viget, *eng-emet*, *tég-edet*.

Praeterea, quia sufficiens visa est huius casus nota in partibus prioribus, eam posteriores sensim amittere coeperunt, *ent-em*, *tét-ed*: quae sic decurtata manserunt postea etiam in vsu *t* in *g* mutato, *eng-em*, *tég-ed*.

Tertiae personae pronomen singulare *ő* habet accusatiuum genuinum *őt*, antiquis vsitatum; ipsum nempe *ő* auctum accusatiui formatiuo *et*, primum *ő-et*, deinde coalitum *őt*. Sed placuit et hunc prolixiorem esse formatiui geminatione, *őt-et*; quae forma hodie, et dudum satis, fere sola nota est.

Sunt etiam plurales accusatiui pronominum, primae, ac secundae personae, hodie superstites, de pronominibus geminatis. Horum geminatio primigenia fuit certe, vt in singulari, separatorum, et affixorum: *mü-emek*, *tü-etek*; deinde *mü-emük*, *tü-etük*; demum coalitis vocalibus *mü-mük*, *tütük*.

Accessit porro accusatiui formatiuum, semel tantum, ad horum partes posteriores; *mü-mük-et*, *tü-tük-et*. In *mü-mük-et* collibuit et arctior contractio, *mü-m-ket*, *mü-n-ket*. Quae hodie sic dicimus *minket*, *titeket*.

Siquando

Siquando viguerunt simpliciores accusatiui *müket*, *tüket*; verosimile est, hos de vsu affixo venisse ad vsum separatum; vti etiam eorum nominatiuos, *mük*, *tük*.

Literam *t* in *g* mutari, et vicissim *g* in *t*, non est in lingua nostra insolitum. Particulam *rursus*, *iterum*, nos et hodie promiscue dicimus, *ismég*, et *ismét*. Deinde *söt*, et *tehát*, quae reddunt particulas *quin*, *imo*, *ergo*, *igitur*, veteres *sög*, et *tehág* dixerunt. Iam adduxi pro his auctoritatem Silnestri in orthoepia. In memoriam reuocari possunt, quae dixi de mutatione etiam Hebraici ת (*tav*) in כ (*caph*), in pronomine תָּ (*tá*), tu, cum verbis; quod cum nominibus est ךָ (*khá*), tui. Et litera *k* sono est vicina literae *g*: apud nos quidem vtraque saepe alternans. Nam, quod olim *kazdag* dixerunt Komjáthius, Siluester, Pétsius, Telegdius, et alii, hodie id nobis *gazdag* est: et *menyegző*, nuptiae, *g* de *k* habet, de contracto participio *menyekező*, quod est de verbo *menyekezem*, sponsam duco (Codex MS. Transl. Bibl. Esther II. 18.).

Quapropter et in accusatiuis *eng-emet*, *tég-edet*, *g*, quod in his hodie sonat, est de *t* primigenio in formis primis *ent-emet*, *tét-edet*. Haec vero geminatione nata esse luce clarius est. Quomodo enim simplex *én*, et simplex *te*, tam prolixos secus dedissent accusatiuos? Quos dederant, formatione ad legem exacta, alii esse non potuerant, quam qui restituti sunt. De *én*, integro formatiuo *en-et*, absorpta vocali *en-t*; siquidem *n* cum *t* amice conuenit; vt de nomine *len*, linum, fit accusatiuus *lent*. De *te*, integro formatiuo *té-et*, vocalibus coalitis *tét*. Iam, quae his accesserunt, vnde illa sint, nisi de *ém*, nisi de *ed*, affixis earundem personarum pronominibus? Haec accusatiuos, rite formatos, hos de se sponte sua dederunt: *ém emet*, accen-

tu propter incrementum amisso; *ed* vero lege planissima *edet*.

Geminationem pronominum simplicium; praeter illam, quae est ad possessionem, habuimus certe, quod vel isti casus clarissime indicant, et aliam ad leniorem emphasim: *en-én*, *té-ed*, *ő-ő*; *mü-emek*, *tü-edek*, *ö-ők*; ego-ego, tu-tu, ille-ille, nos-nos, vos-vos, illi-illi. Superest huiusmodi geminationis vestigium apud Fennos quoque: *minuni*, ego-ego; *sinus*, tu-tu; *hänensä*, ille-ille. Separatis nimirum *minä*, *sinä*, *hän*, affixa sunt adiecta, vt apud nos. Docui et Hebraeorum אָנֹכִי (*ánókhi*) geminatum esse, ego-ego. Clarum est et pluralia talia esse: אֲנַחְנוּ (*anach-nú*) et נַחְנוּ (*nach-nú*), nos-nos; et haec quidem, retrograda enunciatione, *nú-anach*, *nú-nach*, nostris huius personae pluralibus exacte respondentia, *mü-emek*, *mü-mek*, deinde *mü-emük*, *mü-mük*. Sed de pluralium pronominum geminatione satis iam egi in eorum euolutione.

In his, vt vidimus, integra est geminatio. Dimidiatam habet pronomen *ő*, in qua solum accusatiui formatiuum repetitur, *őt*, *őt-et*. Socia sunt isti, dimidiata hac geminatione, etiam demonstratiua pronomina, *az*, is, ille, *ez*, hic, iste: simplici accusatiuo *azt*, *ezt*, et hodie notissima; frequentissima vero etiam geminato, *azt-at*, *ezt-et*. Sed *őt-et* geminatum adeo solum hodie vsurpatur; vt alterum simplex *őt* olim viguisse fere ii tantum norint, qui vetusta euoluissent monumenta; timideque adhibeant primigenium, propter vsum posterioris latissime dominantem.

Vetustissima Allocutio Funebris hunc solum habet accusatiuum simplicem, aliquoties recurrentem, quem cum halitu obscuro lego, *vöt*. Eundem et Codex MS. Transl. Bibl. frequenter adhibet. *És ménd őt, és ménd ő szolgálóit megöltöztetné* (Esther II. 9.): Et tam ipsam, quam pedissequas eius ornaret. Vtitur eo saepe saepius

etiam Tinodius. *Hogy kegyötlen lenne, őt azon inté* (f. 41): Quod crudelis esset, ipsum de eo monuit. *Legottan őt éjjel fogva el vivék* (I. 3.): Confestim eum nocte captum abduxerunt. Occurrit et in Chariclia Gyöngyősiana. *Azt tartom, hogy őt is olly veszély követte* (Part. IV.): Id puto, quod ipsum etiam tale periculum insecutum sit.

CAPVT II.

DE INFLEXIONE PRONOMINVM RELIQVORVM.

---

§. I. PRONOMINA DEMONSTRATIVA.

A. PARADIGMATA.

1. SIMPLICIVM.

a. SEPARATORVM A NOMINIBVS.

Singulari Numero.

Nom.	*Ez.* Hic, iste.	*Az.* Is, ille.
Gen.	*Ez-é.*	*Az-é.*
Dat.	*En-nek*, olim *ez-nek.*	*An-nak*, olim *az-nak.*
Acc.	*Ez-t*, *ez-t-et.*	*Az-t*, *az-t-at.*
Abl.	*Et-töl*, olim *ez-töl.*	*At-tól*, olim *az-tól.*

Plurali Numero.

Nom.	*Ez-ek.*	*Az-ok.*
Gen.	*Ez-ek-é.*	*Az-ok-é.*
Dat.	*Ez-ek-nek.*	*Az-ok-nak.*
Acc.	*Ez-ek-et.*	*Az-ok-at.*
Abl.	*Ez-ek-töl.*	*Az-ok-tól*

b. CONIVNCTORVM CVM NOMINIBVS.

1) INTERIECTO ARTICVLO.

Singulari Numero.

Nom.	*Ez az ember.* Hic homo.	*Ez a' vitéz.* Hic miles.
Gen.	*Ez-é az ember-é.*	*Ez-é a' vitéz-é.*
Dat.	*En-nek az ember-nek.*	*En-nek a' vitéz-nek.*
Acc.	*Ez-t az ember-t.*	*Ez-t a' vitéz-t.*
Abl.	*Et-től az ember-től.*	*Et-től a' vitéz-től.*

Plurali Numero.

Nom.	*Ez-ek az ember-ek.*	*Ez-ek a' vitéz-ek.*
Gen.	*Ez-ek-é az ember-ek-é.*	*Ez-ek-é a' vitéz-ek-é.*
Dat.	*Ez-ek-nek az ember-ek-nek.*	*Ez-ek-nek a' vitéz-ek-nek.*
Acc.	*Ez-ek-et az ember-ek-et.*	*Ez-ek-et a' vitéz-ek-et.*
Abl.	*Ez-ek-től az ember-ek-től.*	*Ez-ek-től a' vitéz-ek-től.*

2) DEMONSTRATIVI, ET ARTICVLI VALORE.

Singulari Numero.

Nom.	*Ez ember.* Hic homo	*Az ember.* Is homo.
	E' vitéz. Hic miles.	*A' vitéz.* Is miles.
Gen.	*Ez ember-é.*	*Az ember-é.*
	E' vitéz-é.	*A' vitéz-e.*
Dat.	*Ez ember-nek.*	*Az ember-nek.*
	E' vitéz-nek.	*A' vitéz-nek.*
Acc.	*Ez ember-t.*	*Az ember-t.*
	E' vitéz-t.	*A' vitéz-t.*
Abl.	*Ez ember-től.*	*Az ember-től.*
	E' vitéz-től.	*A' vitéz-től.*

Plurali Numero.

Nom.	*Ez ember-ek.*	*Az ember-ek.*
	E' vitéz-ek.	*A' vitéz-ek.*
Gen.	*Ez ember-ek-é.*	*Az ember-ek-é.*
	E' vitéz-ek-é.	*A' vitéz-ek-é.*
Dat.	*Ez ember-ek-nek.*	*Az ember-ek-nek.*
	E' vitéz-ek-nek.	*A' vitéz-ek-nek.*
Acc.	*Ez ember-ek-et.*	*Az ember-ek-et.*
	E' vitéz-ek-et.	*A' vitéz-ek-et.*
Abl.	*Ez ember-ek-töl.*	*Az ember-ek-töl.*
	E' vitéz-ek-töl.	*A' vitéz-ek-töl.*

2\. COMPOSITORVM

a. CVM PRONOMINE DEMONSTRATIVO.

Singulari Numero.

Nom.	*Ezen.* Hic idem, iste idem, hic ipse, iste ipse.	*Azon.* Is idem, ille idem, is ipse, ille ipse.
Gen.	*Ezen-é.*	*Azon-é.*
Dat.	*Ezen-nek.*	*Azon-nak.*
Acc.	*Ezen-t.*	*Azon-t.*
Abl.	*Ezen-töl.*	*Azon-tól.*

Plurali Numero.

Nom.	*Ezen-ek.*	*Azon-ok.*
Gen.	*Ezen-ek-é.*	*Azon-ok-é.*
Dat.	*Ezen-ek-nek.*	*Azon-ok-nak.*
Acc.	*Ezen-ek-et.*	*Azon-ok-at.*
Abl.	*Ezen-ek-töl.*	*Azon-ok-tól.*

b. CVM ADVERBIO DEMONSTRATIVO.

Singulari Numero.

Nom.	*Imez.* Ecce hic, ecce iste, hic ipse, iste ipse.	*Amaz.* Ecce is, ecce ille, is ipse, ille ipse.
Gen.	*Imez-é.*	*Amaz-é.*

Dat.	*Imen-nek*, olim *imez-nek.*	*Aman-nak*, olim *amaz-nak.*
Acc.	*Imez-t.*	*Amaz-t.*
Abl.	*Imet-től*, olim *imez-től.*	*Amat-tól*, olim *amaz-tól.*

Plurali Numero.

Nom.	*Imez-ek.*	*Amaz-ok.*
Gen.	*Imez-ek-é.*	*Amaz-ok-é.*
Dat.	*Imez-ek-nek.*	*Amaz-ok-nak.*
Acc.	*Imez-ek-et.*	*Amaz-ok-at.*
Abl.	*Imez-ek-től.*	*Amaz-ok-tól.*

B. OBSERVATIONES.

1. DE SIMPLICIBVS.

a. DE IPSIS DEMONSTRATIVIS.

Demonstratiua pronomina nostra, *ez*, et *az*, sunt formae primigeniae, et consonam *z* habent radicalem. Nam sonat ea in linguis cognatis. Etiam a nostris olim perpetuo expressa est ante voces, et vocali, et consona inchoantes: ex. gr. *ez élet*, haec vita; *az ember*, is homo; *ez föld*, *ez tenger*, *ez vilag*, haec terra, hoc mare, hic orbis; *az föld*, *az tenger*, *az világ*, ea terra, id mare, is orbis; *eznek*, *aznak*, huic, illi; *eztől*, *aztól*, ab hoc, ab illo.

Temporum successu, soni sui lenitate, assimilauit se consonae sequenti; ex. gr. *efföld*, *ettenger*, *evvilág*; *afföld*, *attenger*, *avvilág*; *ennek*, *annak*; *ettől*, *attól*. Geminatio inchoantis consonae sic inducta et hodie super est in plerisque voculis, quae particularum nomine veniunt; ex. gr.

ennek, *annak*, *ettöl*, *attól*; *ekkor*, *akkor*, hoc tempore, eo tempore; *efféle*, *afféle*, huius generis, illius generis. In nexu autem cum aliis nominibus omisit quidem vsus expressam geminationem, sed eam indicauit tamen signo quopiam, vel punctulo, vel accentu graui, vel apostropho, qui hodie viget: ex. gr. *e' föld*, *e' tenger*, *e' világ*; *a' föld*, *a' tenger*, *a' világ*.

Demonstratiua itaque pronomina, ante consonas sic apocopata, *e'*, *a'*, primigeniam consonam *z* non habent penitus suppressam; sed eam sequentibus consonis assimilatam, earundem sono geminato, distincte exprimunt. Et haec, licet ita scripta, *e' föld*, *e' tenger*, *e' világ*, *a' föld*, *a tenger*, *a' világ*, recta pronunciatio reuera sic effert: *efföld*, *ettenger*, *evvilág*, *afföld*, *attenger*, *avvilág*. In his proinde demonstratiuis, ante consonas apocopatis, vocales longae sunt, seu moram habent, certe a positione, vt dicimus, non a sono acute producto, Etiam composita, sic apocopata, *ime'*, *ama'*, eandem sequuntur legem.

b. DE ARTICVLO.

Non est sufficiens ratio, cur articulum, vt quidam faciunt, orationis partem constituamus singularem. Nam in nostra lingua est is alterum reipsa pronomen demonstratiuum obiecti remoti, ipsum nempe *az*, *a'*, hoc etiam vsu, vt mox videbimus, pro natura sua omnino designans, demonstratione tamen directa aliquanto remissius. Quare articulus, ipsum vtique pronomen, ad clas-

sem pronominum refertur, hocque loco apte explanatur.

Articuli vsu multum conuenimus cum gentibus Europaeis: de quibus Germanos, nobis non modo viciniores, sed etiam cumulate intermixtos, opportune nominamus ad maiorem claritatem.

Nomina appellatiua, vt loco proprio diximus, sunt nomina plurium rerum singularium, quae propter similitudinem eiusdem sunt speciei. Prolatis huiusmodi nominibus, et Germani, et nos, ex. gr. Spatz, Maus, Pferd, *veréb*, *egér*, *ló*, passer, mus, equus, nondum designamus de his speciebus determinatum quendam passerem, murem, equum. Ad hanc designationem vsurpant Germani articulum triplici terminatione, der, die, das, qui valet vna etiam ad genera nominum discernenda; nos vero simplicem habemus *az*, eundem apocopatum *a'*, sine generum discrimine, soli tantum designationi inseruientem. Hic si nominibus praemittatur, der Spatz, die Maus, das Pferd, *a' veréb*, *az egér*, *a' ló*, designatur passer, mus, equus, singularis, certus, determinatus.

Hic articulus *determinatus* dicitur: quod indicet rem singularem, certam, vel etiam res plures singulares, certas, quae iam pro notis habentur: ex. gr. Gib mir das Buch, das Messer; *Add ide a' könyvet, a' kést;* Cedo librum illum, cultrum illum: illum inquam, per articulum designatum, iam notum, ex. gr. qui in mensa iacet, qui in manu tua est.

Sed idem indicat saepe totam speciem, cum omnibus rebus singularibus ad eam pertinentibus: Der Mensch ist sterblich; *Az ember halandó;* Homo est mortalis; dictum ad omnes homines extensum.

Est apud Germanos et alter articulus, qui ad differentiam *indeterminatus* dicitur. Eundem habemus et nos, sed illis multo parcius. Praebet hunc nomen numerale, ein, eine, ein; nobis *egy;* vnus, vna, vnum; sumtum pro his pronominibus, quidam, aliquis. Indicat rem de tota specie indeterminatam, quaecunque ea sit: ex. gr. Gib mir ein Buch, ein Messer; *Adj egy könyvet, egy kést;* Cedo librum aliquem, cultrum aliquem.

Huius vsus in lingua nostra iusto frequentior vitium est: et prodit quam maxime Translatores textui Germanico seruiliter inhaerentes. Eiusmodi est exemplum sequens: *Láttam egy vitézt, kinek az oldalán egy hoſzſzú kard vólt egy ezüst hüvelyben.* Germanismum redolet: Ich sah einen Kriegsmann, der an der Seite einen langen Degen hatte, in einer silbernen Scheide. Primum *egy* in Hungarico apte reddit *quendam;* sed duo alia superflua sunt. *Láttam egy vitézt, kinek oldalán hoſzſzú kard volt ezüst hüvelyben.* Vidi militem quendam, cuius lateri appensus erat longus gladius in vagina argentea.

Demonstratiua pronomina nostra, et articulum, de horum altero isti vsui destinatum, dicimus consonam *z* radicalem habere. Nam sonat ea apud Hebraeos, quibuscum haec pronomina et nobis communia sunt, ex primigenio vsu simplici ad nos forma aeque simplici deuoluta; nisi quod illi vocalem, vt in plerisque

aliis, post consonam exprimant. Est enim Hebraeis pronomen demonstratiuum זֶה et זו (*ze* et *zo*), hic, ille, haec, illa; זוּ (*zu*) vero communis generis, hic et haec, ille et illa. Et Iahni quidem opinione fuerant haec olim in primordiis sola ז (*zain*) consona expressa, vocali tamen variata, זֶ, זֹ, זֻ (*ze*, *zo*, *zu*,): temporum deinde successu, accedentibus afformationibus, ortae sunt horum formae auctae, זֶה (*ze*), hic, ille; זֹה et זֹאת (*zo* et *zoth*), haec, illa; demum adiectis etiam praeformationibus, articulo nempe הַ (*ha*), cui saepe et ל (*lamed*) iungitur, natae sunt formae his ampliores: הַזֶּה (*hazze*), etiam הַלָּזֶה (*halláze*), et הַלָּז (*hallâz*), hic iste, hic ille, iunctim exprimenda, cum demonstrandi vi magis intensa, propter articulum הַ (*ha*), hic; הַזֹּאת (*hazoth*), haec ista, haec illa; הַלֵּזוּ (*hdllêzu*) communis generis, hic iste, hic ille, haec ista, haec illa.

Est idem pronomen apud Fennos etiam, et Esthones, simplici adhuc forma, et more Hebraeo vocali postposita, cum radicali consona sua sibilante, *se*, is, iste.

Arabes ז (*zain*) Hebraicum mutarunt in ד (*daleth*), sed quod punctulo notant, et cum sibilo edunt, *dsal:* דא (*dsa*), hic, iste.

Auditur apud Aethiopes quoque primigenia lenis sibili consona radicalis; sed quibus vocalem, et Hebraeo more postponere, et nostro praemittere collibuit, *ze*, et *ez*.

Tanto iam clarius est, cur et nostri maiores eandem consonam *z*, in demonstratiuis his pronominibus nostris, *ez*, et *az*, eorumque compositis, *imez*, et *amaz*, diu retinuerint ante voces etiam a consona inchoantes: quod eam radicalem, in primigenia forma simplici acceptam, nuspiam putarint negligendam esse. Ante eas quidem voces, quae vocales habent in ini-

tio, et olim fuit semper, et hodie quoque est ea, tam in simplicibus, quam in compositis, constans, et immobilis.

Documenta suppeditant pro vsu vetusto, et Codices MSS. et complures libri alii typo expressi. In duobus Allocutionibus Funebribus, monumentis vetustissimis, et *ez*, et *az*, perpetuo integrum recurrit: *ez munkás világ*, hic laboriosus mundus; *ez vermet*, hanc scrobem; *ez lélekért*, pro hac anima; *az gyimöltsnek*, illi fructui; *az gyimöltsben*, in illo fructu; *az tilott gyimöltstöl*, de illo vetito fructu. Omitto reliqua huius generis exempla, quae aliunde adduci possent prope infinita. Illud tamen praeterire nequeo, haec nostra pronomina demonstratiua, etiam cum datiui formatiuo, et reliquis particulis, olim aeque integra vsurpata fuisse. Occurrunt talia cumprimis in Sacris Sermonibus MSS. de B. V. Maria: *eznek*, *aznak*, huic illi; *ezböl*, *azból*, ex hoc, ex illo; *ezben*, *azban*, in hoc, in illo; *ezröl*, *azról*, de hoc, de illo; *ezhez*, *azhoz*, ad hunc, ad illum; *ezkor*, *azkor*, hoc tempore, illo tempore, tunc; *ezféle*, *azféle*, huius generis, illius generis, etc. Deinde studio euphoniae magis inualescente, ad vitandum sonum sibilantem, coepit hoc *z* radicale transire in easdem consonas, quas praecederet. Atque inde est illa consonarum geminatio in istis, quae hodie sic vigent pro illis superioribus: *ennek*, *annak*; *ebböl*, *abból*; *ebben*, *abban*; *erröl*, *arról*; *ehhez*, *ahhoz*; *ekkor*, *akkor*; *efféle*, *afféle*, etc.

Sunt vero exempla frequentissima radicalis huius consonae *z*, in sequentem consonam mutatae, ante ipsa etiam nomina, et pronomina. Primum in Codice MS. Transl. Bibl. legitur *ennapot* (Esther XVI. 22, et alibi saepius), hunc diem; *annéphez* (Baruch I. 7. et alibi non raro), ad populum. Deinde in Precum Libro MS. *ahhárom vas ſzegek*, tres ferrei claui. Item in

Sermone MS. de Inferni Cruciatu: *ember abbünt kevés ideig teszi*; homo peccatum breui tempore patrat: *ammegszokott bün*; consuetudinarium peccatum. In Sermone alio de Inconstantia Mundi: *a' test szóll allélök ellen*; corpus loquitur aduersus animam. Apud Komjáthium reperiuntur multo frequentiora: *akkisded*, paruulus; *annagyobb*, maior; *ammalaszt*, gratia; *ammellyet*, quod; *ammennyire*, in quantum; *ammí urunk*, *atte felebarátod*, *attí felebarátotok*; in quibus *ammí*, *atte*, *atti*, pro *az mí*, *az te*, *az tí*, sunt pronomina per pleonasmum geminata, cum praefixo articulo, ad possessorum praesentiam intensius indicandam, Latine adiectiuo reddenda: noster dominus-nostri, tuus proximus-tui, vester proximus-vestri (In Dedicat. deinde B. ij, C. ij, D. iiij, G. ij, vj et alibi quam saepissime). Et ista posteriora, *ammí*, *atte*, *attí*, crebro sic recurrunt in Precum quoque Libro MS. et Vita MS. Christianae Virg. ac Mart.

Patet ex his exemplis nostra ista demonstratiua, praepositiuumque articulum, vocibus, quibus praefixa essent, etiam cohaesisse, atque vna, tanquam vocem vnam, pronunciata fuisse, valde et hoc ex more Hebraeo. Nam et horum articulus ה (*ha*) sic iunctim praefigitur, et profertur: הַמֶּלֶךְ (*hammelek*), *azkirály*, *akkirály*, rex; הָאִישׁ (*háisch*), *azférfi*, *afférfi*, vir; הָאָרֶץ (*háàretz*), *azföld*, *afföld*, terra. Et idem articulus Hebraicus, hoc nempe הַ (*ha*) demonstratiuum, vt vulgo solet vocari, cum sit aeque pronomen, forma simplici, ipsum scilicet הוּא (*hú*), is, ille, quod serius afformatione auctum est; vt hoc inter ceteros et Vaterus clare indicat (Part. II. Sect. II. Cap. IV. §. 305.): iam tanto minus in eo adhaerebimus, quod supra diximus, nostrum etiam articulum esse pronomen, et ipsum quidem demonstratiuum alterum obiecti remoti.

Arabes quoque sic prorsus, vt Hebraei, articulum suum אַל (*al*), quem ipsi notificationem vocant, nominibus praemissum cum iis iunctim scribunt, et pronunciant: ex. gr. אַלְרַגִל (*alragil*), vir, der Mann, *azférfi*, *afférfi*; אַלְרַאס (*alras*) caput, das Haupt, *azfő*, *affő*.

Articulum cum nominibus iunctim efferunt et Valachi, sed ipsis postpositum: *tate-l*, *leu-l*, *dinte-le*, *om-ul*, *lup-ul*, hic pater, hic leo, hic dens, hic homo, hic lupus; quae nuda, sine articulo, sic sunt, *tate*, *leu*, *dinte*, *om*, *lup*.

Videntur mihi quaedam etiam Esthonum nomina in nominatiuo singulari, ad emphasim demonstratiuam, pronomine *enne* sibi postposito aucta esse; quo priuantur in casibus reliquis, horum formatiuis in eius locum substitutis. Tale est *innimenne*, homo, vt ego reor, homo-ille; *lehhekenne*, foliolum, certe foliolum-illud. Et ipsa omnino diminutiua hanc mihi coniecturam adferunt. Monent enim Grammatici, horum formatiuum *kenne* saepissime contractum vsurpari, *ke*: ex. gr. *lehheke* pro *lehhekenne*. Diminutiuorum verum formatiuum esse nomen *ke*, cum notione parui, exigui, de quo est adiectiuum *ke-v-es*, paucus, lingua quidem nostra clare docet. Idem nobis cum Esthonibus commune est; sed quod illi etiam demonstratiuo auxerunt, *kenne*, paruus-ille. Haec compositio vsu propagata est ad posteros; sed ipsa compositionis distincta ratio fugitiua obliuione ademta. Ignoratur affixum *enne*, quid proprie valeat; quemadmodum et nostris quam plurimis obscurum est nostrum *ik*, aeque pronomen, in numeris ordinalibus, *harmad-ik*, *negyed-ik*; in comparatiuis, *fzebb-ik*, *jobb-ik*; in ipsis etiam verbis, *jelen-ik*, *rohan-ik*; quae vulgo nude redduntur, tertius, quartus, pulchrior, melior, apparet, corruit; cum tamen auctiora sint, hocque ipso emphatica, et

genuine sic efferenda, tertius-ille, quartus-ille, pulchrior-ille, melior-ille, apparet-ille, corruit-ille. Grammatici linguae Esthonicae si animum ad haec aduerterint; facilius expedient, vt ego puto, huiusmodi nominum anomaliam. Patebit ratio, cur *hone*, domus, nobis *hon*, eadem significatione, et alia his similia, non amittant in reliquis casibus *n* consonam; quam, non foris allatam, ab adiecto nempe pronomine demonstratiuo, sed radicalem habent.

Manifestum est in lingua etiam Germanica pronomen, certe articuli valore continenter affixum, et concretum, nominibus quam maxime adiectiuis, ad genera demonstranda: schön-er, schön-e, schön-es, pulcher, pulchra, pulchrum; etiam verborum radicibus primis ad formanda substantiua: Richt-er, iudex; Schreib-er, scriptor.

Sed iam ad nostra redeamus. In illa ratione euphonica, demonstratiui, et articuli *z* consonam in sequentis vocis consonam mutandi, licet sensim irrepserit, pronunciandi segnitie, neglectus mutatae prioris consonae; vocales tamen praefixi demonstratiui, et articuli, cum nominibus, ac pronominibus, iunctim cohaeserunt; defectum vero consonae suppleuit ipsarum vocalium, per morulam suspensa, et obtuse producta enunciatio. Et cohaesionem quidem sic quoque in vsu fuisse probant exempla in Precum Libro MS. *etömlötz*, hic carcer; *asegedelem*, adiutorium; *akeresztfán*, in cruce. Non pauca leguntur talia in ipso etiam Codice MS. Transl. Bibl. Sed eiusdem Codicis Scriptor hanc tamen diligentiam frequentius adhibuit; vt consonae prioris defectum interserto punctulo notaret, satis claro et eius rei indicio; vt saltem vocalium prolatio, suspensione facta, radicalis consonae, vel mutatae, absentiam compensaret: *a· gyortya tartó*, candelabrum; *a· magyarázat*, interpretatio; *e· kéz*, haec manus, *e·*

beſzéd, hic sermo (Dan. V. 5, 12, 24, 25.). Serius deinde, qui mos hodie cumprimis iam constans est, in huius punctuli locum substitutum est signum apostrophi ('): *a' gyortya tartó*, *a' magyarázat*, *e' kéz*, *e' beſzéd*.

Ante nomina, et pronomina, a consonis inchoantia, hodie haec viget regula: vt pronomina demonstratiua, articulusque praepositiuus, neglecto *z* radicali, cum apostropho, huius defectus signo, notata adhibeantur. At vbi his ipsis, tanquam nominibus, adfixae accedunt postpositiones, aliaeque particulae, quae continenter adhaerere amant: in plerisque durat hodieque ratio, medii temporis consuetudine firmata, eorum consonam *z* in adhaerentis particulae consonam mutandi. Horum exempla quaedam iam supra adduxi, quibus hic et ista adiungo: *erre*, *arra*, supra hunc, supra illum; *ettöl*, *attól*, ab hoc, ab illo; *evvel*, *avval*, cum hoc, cum illo. Sed hoc postremum, quia et *v* consona mutationibus iam longo vsu obnoxia est, recte sic etiam effertur, *ezzel*, *azzal*, manente *z* radicali, et *v* litera huic sese accommodante. Aliqua tamen horum, vsu praeualente, apostrophum habent potius: *e' hez*, *a' hoz*, ad hunc, ad illum; *a' hol*, vbi; *a' mi*, quod, *a' mint*, sicut, quemadmodum.

Scriptores quidam, potissimum Transiluani, quod ante nomina apostrophi vsus iam inualuerit, vt vbique aequabilem tenerent scribendi rationem, eo in his, similibusque, malunt vti: *e'nek*, *a'nak*; *e'böl*, *a'ból*; *e'ben*, *a'ban*; *e'röl*, *a'ról*; *e'kor*, *a'kor*; *e'féle*, *a'féle*; *e're*, *a'ra*; *e'töl*, *a'tól*; *e'vel*, *a'val*. Apostrophi vsu, tam ante nomina, quam ante affixas particulas in his posterioribus, compendium aliquod est fortasse in scribendo; sed idem in pronunciando perperam inducitur. Nam ista, vtut ita scribere placeat, *e'nek*, *a'nak*, *e'böl*, *a'ból*, *e'ben*, *a'ban*, etc. fortius tamen, geminatae con-

sonae sono, pronuncianda sunt: *ennek*, *annak*, *ebbõl*, *abból*, *ebben*, *abban*, etc. Non absimili modo, ex vsu veterum, etiam ante nomina, licet sic scripta, *a' gyortya tartó*, *a' magyarázat*, *e' kéz*, *e' beſzéd*, neglectae radicalis consonae vis, in exstante nominis consona, sonantiore expressione exerenda est: *agygyortya tartó*, *ammagyarázat*, *ekkéz*, *ebbeſzéd*.

Quod cum ego iam dudum persuasissimum habuissem: ea est ratio, cur demonstratiua nostra, articulumque praepositiuum, *e'*, *a'*, *ime'*, *ama'*, apostropho notata, in versibus meis, ad morem Graecum et Latinum exactis, constanter pro longis adhibuerim; non accentu acuto, sed positione longis; quod cuiuis vltro patet ex iis, quae sunt hactenus explanata.

Media fere aetate, non pauci Scriptores nostri, inter quos praecipuus est Telegdius, haec demonstratiua, articulumque praepositiuum, *z* radicali priuata, accentu graui, *è*, et *à*, signare consueuerunt. De quo vsu est notula in Grammatica Molnariana (Libr. I. de Etymol. Cap. III.): „in articulis *à*, *è*, accentus gra„uis, vel circumflexus *â*, *ê*, nota est elisae consonae „*z*; vt *à*, *è*, pro *az*, *ez*, ille, is, iste, hic.“ Hoc signo isti quoque moram longiorem, ad compensandam omissam consonam radicalem, his vocalibus dandam esse satis indicarunt, diuersam ab acuta, grauem, seu obtusam, productam tamen; qualis auditur in voce *kêd*, ex *kegyed* contracta, diuersa ab acuto *é*, ex. gr. in voce *két*, dubium. Confirmatur ergo et isto vsu, haec demonstratiua, articulumque praepositiuum, etiam *z* radicali neglecto, pro longis sumi oportere.

In Commentariò meo in duas Allocutiones Funebres, sub voce *ozchuz*, quam ita lego *azhoz*, haec eadem exposui, iisdem exemplis illustrata, et partem maximam verbis etiam iisdem. Apte vero stant ista et hic, proprio vtpote loco; et opportuna, vtilisque est

eorum

eorum repetitio: quod demonstratiuorum nostrorum vera forma primigenia, propter mutationes, temporum successu ipsi inductas, multis adhuc dubia, et incerta videatur. Quo fit, vt errores etiam non pauci et propugnentur, et doceantur. Sed his puto me ista euolutione satis superque occurrisse.

2. DE COMPOSITIS.

Iam ea dabo, quae mihi de horum compositis certiora videntur. Haec duplicia esse indicaui: alterum compositum cum alio pronomine demonstratiuo; alterum cum demonstrandi aduerbio.

a. CVM PRONOMINE DEMONSTRATIVO.

Simplicibus demonstratiuis *ez*, *az*, accessit antiquum pronomen aeque demonstratiuum *en*, vocali congruenter mutata *on*, quo pacto nata sunt prima composita: *ez-en*, hic ipse, iste ipse, hic idem, iste idem, idem hic, idem iste; *az-on*, is ipse, ille ipse, is idem, ille idem, idem is, idem ille.

Ostendi in emphaticis pronominibus personalibus *enen*, *tenen*, *önön*, *en* pronomen antiquum, nobis etiam cum Chaldaeis olim commune, clare adhuc superesse apud Esthones. Nunc adiicio, idem apud Syros, vocali tantum discrepante, esse omnino demonstratiuum, הן (*hon*), הנא (*hono*), hic, iste. Vt vero Persae id habent, multo est euidentius: אין (*in*) demonstratiuum propinqui, hic, iste; אן (*an*) vero remoti, is, ille. Haec prorsus eadem sunt in compositis nostris, eadem propinqui, et remoti notione, *ez-en*, *az-on*.

b. CVM DEMONSTRANDI ADVERBIO.

Simplex porro *ez*, coniunctum cum *ime*, demonstrandi particula *ecce*, dedit compositum *ime-*

ez, vocali priore elisa *im-ez*, demonstratiua significatione per hanc accessionem tanto etiam magis intensa, ecce hic, ecce iste, hic ipse, iste ipse, idem hic, idem iste. Vocalis *í*, in particula *íme* producta, in hac compositione accentu amisso corripitur, propter incrementi accessionem, *imez*. Ita et *az*, crassae vocalis demonstratiuum, cum *íme* compositum, *íme-az*, mutat huius *i* in vocalem suam, aeque breuem, *am-az*, ecce is, ecce ille, is ipse, ille ipse, idem ille.

Frequens est huius particulae combinatio potissimum cum aduerbiis, eorum significatione, per accedentem demonstrandi vim, aeque intensa: ex. gr. *ímígy*, hoc modo; *amúgy*, illo modo; proprie vero, ecce hoc modo, ecce illo modo.

Pro compositis *ezen*, *azon*, sumuntur saepe, cum eadem significatione, ipsa simplicia coniuncta cum aduerbio affirmandi *ugyan*, etiam, certe, omnino: *ugyan ez*, *ugyan az*, hic ipse, ille ipse; sed quae genuine reddita ista potius valent, omnino is, omnino ille.

Simplicia praeterea demonstratiua et ipsa sibi iunguntur, *ez az*, *az az*; in quo nexu, primum est demonstratiui, alterum vero articuli valore: *ez az ember*, hic homo; *ez a' vitéz*, hic miles; *az az ember*, ille homo; *az a' vitéz*, ille miles. Inflexionem per casus, et numeros, subit tali combinatione demonstratiuum prius vna cum nomine. Vtraque vero, sola praeposita, indeclinabilia sunt adiectiuorum more. Horum inflexionem iam vidimus in paradigmatibus.

§. II. PRONOMINA RELATIVA.

A. PARADIGMATA.

Pronomina relatiua in lingua nostra duo sunt simplicia, *ki*, et *melly*. Horum declinatio, quae sequitur, dat etiam compositorum declinationem.

Singulari Numero.

Nom.	*Ki.* Qui, quae, quod.	*Melly.*
Gen.	*Ki-é, ki-jé.*	*Melly-é.*
Dat.	*Ki-nek.*	*Melly-nek.*
Acc.	*Ki-t.*	*Melly-et.*
Abl.	*Ki-töl.*	*Melly-töl.*

Plurali Numero.

Nom.	*Ki-k.*	*Melly-ek.*
Gen.	*Ki-k-é.*	*Melly-ek-é.*
Dat.	*Ki-k-nek.*	*Melly-ek-nek.*
Acc.	*Ki-k-et.*	*Melly-ek-et.*
Abl.	*Ki-k-töl.*	*Melly-ek-töl.*

B. OBSERVATIONES.

1. DE SIMPLICIBVS.

Vtrumque hoc relatiuum amicum est articulo praepositiuo, *a' ki*, *a' melly*; qui tamen sine vitio saepe etiam negligitur.

De vsu relatiuorum Grammatici meliores distincta dant praecepta.

Ki, et *a' ki*, adhiberi volunt tantum de personis: quae proinde poni debeant post antecedentia nomina propria Dei, spirituum, hominum, ac nonnulla appellatiua personarum.

Melly vero, et *a' melly*. vsurpanda praecipiunt de rebus omnibus, quae personae non sunt.

Apud Scriptores tamen vetustiores rarius est huius discriminis vestigium: hi enim, tam de personis, quam de rebus aliis, idem *ki*, et *a' ki*, promiscue adhibuisse obseruantur. Exemplum, ad recentiorum regulam exactum, *boldog méh, a' melly tégedet hordozott, és az emlök, a' mellyeket ſzoptál*, olim et sic expressum est: *boldog méh, a' ki tégedet hordozott, és az emlök, a' kiket ſzoptál*: beatus vterus, qui te portauit, et vbera, quae suxisti.

Relatiuum saepe praemitti solet antecedenti suo. Hoc casu sermo noster, etiam ad personas, tantum *melly* adhiberi patitur: *a' melly vitéz annyit türt a' háborúban, meg érdemlette a' jutalmat*; qui miles tanta tulit in bello, meruit remunerationem: *a' melly dajka engem ſzoptatott, már régen meg holt*; quae nutrix me lactauit, iam dudum mortua est.

Ki nostrum videtur olim commune fuisse cum Chaldaeis. Est enim his די (*di*) relatiuum qui, quae, quod. Etiam Syris, et Arabibus; sed his alteris cum אל (*él*) articulo, et ד (*daleth*) sibilante, אֵלְדִי (*élladsi*), vel אַלְדִי (*alladsi*); sic prorsus, vt nobis *azki*, *a'ki*. Literam *d* in *g* mutari pronum est. Supersunt et hodie vsu promiscuo voces vel in nostra lingua: *víg*, et *víd*, vtrumque laetus, hilaris; *súgár*, et *súdár*, etiam *sudar*, vtrumque vitilis, etiam radius fulgoris. Quare *di*, linguae primigeniae relatiuum, qua forma apud Chaldaeos mansit, in nostrorum labiis abiit in *gi*, ex hoc deinde in *ki*.

Hac eadem forma transiit ad Persas, כה (*ki*). Sic inualuit apud Turcas. Viget apud Esthonos in dia-

lecto Dörptensi, *ke*, et *kä*; in Revalensi, probabiliter ex halitu lenni in fine intensius efflato, sibilum adsciuit, *kes*. De quo notat Hupelius, *id non posse vsurpari de rebus, sed tantum de personis, quandoque tamen de animalibus.* Haec ergo lex, cum ex vsu olim communi apud istos etiam supersit, est certe admodum antiqua: licet maiores nostri, vt iam indicaui, in ea obseruanda fuerint aliquanto negligentiores.

Sed relatiuum *melly* intricatius est. Paulo ante vidimus אֵל (*él*) articulum Arabicum. Est idem etiam demonstratiuum Hebraicum, plurale quidem hodie, sed olim certe et singulare: cum ל (*lamed*), procul dubio pars eiusdem, demonstratiuo singulari זֶה (*ze*), et solum, et cum articulo ה (*ha*) iunctum, formam demonstratiui dederit prolixiorem: לָזֶה (*láze*), הַלָּזֶה (*halláze*), hic, ille. Habemus praeterea interrogatiuum de re, *mi*, quid: idem est saepe etiam relatiuum itidem de re, *a' mi*, quod. Conuenit hoc cum Hebraico, Chaldaico, Syriaco, et Arabico, מָה (*má*), vel מֶה (*me*); etiam cum Turcico נֶה (*ne*), quod differt נ (*nun*) litera, certe ex מ (*mem*) nata. Hoc istis pariter est rei tantum interrogatiuum.

Puto itaque demonstratiuum pronomen *el*, quod primum attuli, ex primigenia lingua et nostris maioribus olim commune, cum pronomine interrogatiuo *mi*, aeque communi, in primordiis hoc modo fuisse compositum *mi-el*; hoc porro abiisse in *mel*, *i* vocali per sequentem *e* absorpta; deinde consona *l* emollita, demum etiam dageschata, natum esse *melly*. Principio fuerit compositum hoc pronomen tantum interrogatiuum, quid-illud? quod-illud? Quo vsu viget et hodie. Dicimus enim, *melly ember*? quis homo? *melly ház?* quae domus? cumprimis vero, si cum *ik* pronomine coniunctum ampliore crescat compositione, *mellyik?* demonstratiuo iam geminato, reuera quis-ille? quae-

illa? de duobus vter-ille? *mellyik ember? mellyikház?* Deinde coepit etiam relatiuum valere, praesertim de re. Et ad hanc quidem eo etiam procliuius relatum est: quod prior eius pars componens, *mi*, *me*, *ma*, apud omnes, quibus commune est, tantum de re interroget: et, apud quos idem et relatiuum praestat, sit itidem rei dumtaxat relatiuum.

Hac ergo euolutione clarum est pronomen relatiuum *melly*, quod vulgo pro simplici habetur, reipsa compositum esse. Sed morem receptum non turbamus, Sit hoc et porro simplex; composita dicemus magis increscentia.

2. DE COMPOSITIS.

Pronomina, quae de relatiuis compositione sunt orta, quidam aptius vocant distributiua, vel partitiua.

a. EIVSDEM GEMINATIONE.

Prima compositio fit eiusdem pronominis geminatione. Relatiuum personae *ki* ipsum sibi hoc modo iunctum, *kiki*, valore proprio est quisque, quaeque, aeque de personis tantum. *Kiki tudja, hogy meg halandó:* Quisque scit se moriturum esse.

Inflexionem per casus, et numeros, pars vtraque subit. *Kinek kinek add meg az övét:* Cuique suum reddito.

Hanc geminationem habent et Fenni eodem hoc sensu: *caicki*, quisque. In Actibus Apostolorum (I. 19.) legitur exemplum in datiuo casu; cuius formatiuam consonam *l* Fenni cum Hebraeis communem adhuc habent: *Ja se oli tiettaewae caickille;* Et hoc erat notum factum cuique: *És ez vala tudtával kinek kinek.*

b. DIVERSORVM CONNEXIONE.

Altera compositio, iam amplior, est per connexionem trium potissimum vocularum, *akár*, *vala*, *né*, cum relatiuo vtroque.

Akár-ki, *akár-melly*, quiuis, quilibet, quicunque. Hodie *akár* particulam reddit aequiualentem Latinae siue, aut: *akar ez*, *akár az;* siue hic, siue ille; aut hic, aut ille. Olim in lingua primigenia fuit nomen, alius, alter. Quapropter *akár-ki*, *akár-melly*, proprie est alius-quis, alter-quis.

De lingua primigenia superest apud Hebraeos, et Arabes, nomen אַחֵר *(achér)*, hac significatione genuina, alius, alter. Idem ad nostros quoque maiores pertigit. Sed in horum labiis posterior vocalis ֵ *(tzére)* natura sua longa, priori sese accommodans, in eandem abiit, aeque longam, qualis antea fuit, *achár*, *akár*. Quare *akár-ki*, *akár-melly*, est reuera alius-quis, alia-quae, aliud-quid: et probe congruit cum his Latinis, quiuis, quilibet, quicunque. Nam si dicamus, *alius quis faciat*; certe hoc ipsum dicimus, quiscunque faciat, siue hic, siue ille. Inualuit postea hoc nomen et particulae vsu, quem exposuimus, accommoda significatione, siue, aut.

De eo est, mea quidem opinione, et Turcarum חֵר (*her*), א (*aleph*) litera ab initio priuatum, et gutturali ח (*chet*) profundiore in asperum ה (*he*) mutato. Nam et hoc interrogatiuis praemissum prorsus idem reddit: et de persona quidem חֵר כִּים (*her kim*) quiuis, quiscunque; de re autem חֵר נֶה (*her ne*), quiduis, quidcunque.

Vala-ki, *vala-melly*, quidam, quispiam, aliquis, nonnullus; quandoque, latius sumtum, cum priore conuenit, quicunque, quiuis, quisque. Hoc

vala in lingua primigenia nominis valore fuit separatus, secretus, distinctus. Genuiná proinde significatio compositorum *vala-ki*, *vala-melly*, ista est: separatus-quis, secretus-quis, distinctus-quis.

Vocem Hebraicam פְּלוֹנִי (*pheloni*) sic explicat Schindlerus: „cum nomen rei non exprimitur, *certus* „*aliquis homo*, aut *locus*, cuius nomen occultat, eius „mentionem faciens, etiam si illud non ignoret.“ Mox addit formas variantes: Chaldaeis פְּלוֹנִי (*pheloni*), Syris פְּלָן (*phelân*), Arabibus פְּלַאן (*phalan*); singulis *quidam*, *aliquis*. Fere eadem notat Iahnus in sua Grammatica Arabica. Praemittit vero, pronomen *quidam* (das Fürwort jemand) esse ipsum *fulano* Hispanis familiarissimum. Sed nullum est dubium, hoc vocabulum Hispanis adhaesisse ab Arabibus. Subiungit porro Arabum formam eodem vsu etiam simpliciorem: פלא (*pholo*, *phola*). Et haec iam ipsam exhibet radicem, de qua natam esse reor huius pronominis expressionem, significatione accommoda. פָּלָא, et פָּלָה (*phâlâ*), verbi valore separauit, secreuit, distinxit. Linguae primigeniae vocabulum, et nostris maioribus vsitatum; quod nominis valore superest in compositis pronominibus, vsu nobis cum his gentibus communi: *vala-ki*, *vala-melly*, quidam, quispiam, aliquis; proprie, vt iam exposui, separatus-quis, secretus-quis, distinctus-quis.

Né-ki, *né-melly*; eadem, quae superiorum est, significatione: quidam, quispiam, aliquis, nonnullus, nonnemo; etiam alius, praesertim *néki*. Hic vsus satis indicat, voculam *né* eodem esse valore, quo est *vala*: vt proinde et ista composita *né-ki*, *né-melly*, genuine eadem reddant, separatus-quis, alius-quis.

Alterum compositum de re, et persona, *némelly*, viget hodieque; sed alterum, solum de persona, *néki*, iam exoletum est. Olim vero id in vsu fuisse complura docent monumenta. Vetustior Codex MS. de Passione Domini singulare habet exemplum: *Nékik az ott állókban mondnak vala, Ilyést hija ez — nékik mondnak vala, veſztegj, lássuk, ha Ilyés eljö* (Matth. XXVII. 49. 51.)); Quidam illic stantes dicebant, Eliam vocat iste — quidam dicebant, sine, videamus, an veniat Elias. Tale occurrit in Vita MS. S. Alexii: *Boſzſzúságot ſzenved vala, nékiktöl mövetséget, nékiktöl tál mosadékkal valo öltözést;* Contumeliam perpetiebatur, a quibusdam deridiculum, a quibusdam patinarum illuuie factam conspersionem. Antiqui moris tenacitate est eo vsus quam saepissime Siluester. *Nekiket meg dobolának — nékik esméglen mövetségre lönek* (Ad Hebr. XI. 35.): Alios distenderunt (alii distenti sunt) — alii autem ludibria perpessi. Quem locum Komjáthius ita vertit: *Némellyek (az öſztörőre) felvonattak — némellyek esméglen tsúfolásokat vöttenek fel.* Iterum Siluester: *Miképen nékik azt késedelemnek álijtják* (II. Petr. III. 9.): Sicut quidam id pro tardatione habent, tardationem existimant. *Adok a' Sátánnak nékiket* (Apoc. III. 9.): Dabo quosdam Satanae. *Nékik mondának vala, ez: nékik viſzontag, hasonlatos a'haz* (Ioann. IX. 8, 9.): Alii dicebant, hic est: alii autem, similis est ei. Sed idem Siluester quandoque etiam alternat, *nékik* et *némellyek*. *Nékik ezt mondják vala: Ez az Kriſztus. Némellyek kediglen ezt mondják vala: Galiléából jö e el az Kriſztus?* Alii dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Nunquid a Galilaea venit Christus? Eundem hunc locum (Ioann. VII. 41.) sic prorsus habet et Pestius. Sic etiam Molnárus alternat in Opere de Summo Bono a se in Hungaricum translato: *Nékiket életeknek közepében meg ſzomorít a' ſzerentse — némel-*

Lyekkel semmi idöt nem tart (pag. 65.): Quosdam in media vita contristat fortuna — cum quibusdam nullum tempus seruat.

Vocula *né* cum *vala* significatione manifeste congruit: si vsus spectetur compositorum, *némelly*, et *valamelly*, huiusque socii *valaki*; nisi quod haec altera, latius sumta, habeant quandoque et istum valorem, quicunque, quiuis, quisquis. Eadem vtrorumque significatio vltro me ducit ad euoluendam et alterius componentis particulae originem. Reperi verbum Arabicum נְחָא (*nahi*), quod Schindlero interprete idem valet, ac פְּלָא (*phâlâ*), separauit, secreuit, distinxit; nominis autem forma separatio, etiam pars. Hoc simplicissimum fuerit in lingua primigenia *ni*, in nostrorum vero labiis *né*; hodie in solis compositis superstes, *néki*, *némelly*; et quae sunt alia, ex. gr. *néhány*, aliquot, *néha*, aliquando.

Quid si, et Hebraica, et Chaldaica forma auctior פְּלוֹנִי (*pheloni*) compositio est, ad maiorem emphasim, de פְּלָא (*phelâ*), et de isto נְחָא (*nahi*): vt פְּלָא נְחָא (*phelâ nahi*) abierit contractione in פְּלוֹנִי (*pheloni*); significatione intensa, separatus-separatus, vel separata separatio, etiam separata pars. Geminatio vocum idem significantium his quidem gentibus familiaris est, omnino ad emphasim: vt satis vidimus vel in pronominibus personalibus, אָנֹכִי (*ânoki*), אֲנַחְנוּ (*anachnu*), proprie ego-ego, nos-nos, quae vulgo sumuntur pro simplicibus, ego, nos. *Separata pars*, quam significationem adieci postremam, pro distributiuo pronomine sumta, valde probatur cumprimis Arabum vsu simili: apud quos reipsa *partis* nomen aliud בַּעְץ (*baads*) pro huius generis pronomine adhibetur, quidam, quispiam, aliquis, etiam alius. Consule, si lubet, quos iam citaui, Iahnum, et Schindlerum.

Hoc ipsum *ni*, nobis *né*, videtur mihi ex lingua primigenia etiam ad Esthones deuenisse, sed *n* litera in *m* mutata. Nam est his *mu*, Hupelio interprete, in vtraque dialecto, Dörptensi et Revalensi, der andre, ein anderer, jemand, alter, alius, aliquis. Idem apud Lappones, vt me recte coniicere puto, increuit litera labiali *b*, certe ex halitu finali *v*, quem simplex forma assumsit, *muv*: *mubbe*, alius, alter, secundus. Dörptensis porro dialectus apud Esthones habet pronomen distributiuum *mönne*, mancher, etliche, quidam, aliquis, nonnullus. Si quid ego video, compositum est hoc ex *mu*, alius, et ex pronomine, quod alibi clare euolui, *enne*, ille: *mu-enne*, deinde *u* et *e* coalescentibus sono medio, *mönne*, alius-ille; quod prorsus geminum est nostro *néki*, eadem, vt supra vidimus, significatione, alius-ille, et simplciter alius.

Horum compositorum altera, *akármelly*, *valamelly*, *némelly*, ad maiorem vim demonstratiuam, saepe augentur affixo pronomine *ik*: *akármelly-ik*, *valamelly-ik*, *némelly-ik*; quiuis-ille, quilibet-ille, quiscunque-ille; quidam-ille, quisquam-ille, aliquis-ille; de duobus vero, vteruis, vterlibet, vtercunque, alteruter.

Ad classem pronominum distributiuorum veniunt et haec numeralia, *egy más*, alter et alter, proprie vnus et alter. Eadem similiter augentur *ik* pronomine, *egy-ik más-ik*, significatione priore, alter et alter, genuine vero vnus-ille, alter-ille.

Compositum est porro et *senki*, nullus, ex particula negatiua *sem*, et pronomine *ki*; proprie *sem-ki*, neque-quis, et-non-quis. Sed in quo *m* abiit in *n*, quod cum *k* amicius conuenit. *Sem* ve-

ro vltro patet ortum esse de *és-nem*, *'s-nem*, et *n* litera per *s* propter sonum faciliorem expuncta, *sem*, et-non, neque.

Huic accedit recentius compositum *minden-ki*, genuine omnis-quis, pro quisque. Frequens est idem *minden* etiam *ik* pronomine auctum: *minden-ik*, omnis-ille, singuli, quisque; de duobus vero vterque.

Iam vtraque composita prima, *akárki*, *vala-ki*, *néki*, *akármelly*, *valamelly*, *némelly*; deinde auctiora, *akármellyik*, *valamellyik*, *némellyik*, etiam *egyik*, *másik*; demum et *senki*, et *mindenki*, et *mindenik*, per casus, et numeros, posteriore tantum parte inflectuntur.

§. III. PRONOMINA INTERROGATIVA.

A. SIMPLICIA.

Etiam interrogatiua pronomina simplicia duo sunt in lingua nostra: alterum *ki*, de persona, quis? alterum *mi*, de re, quid?

Ki est ipsum relatiuum personae, iam supra explanatum, etiam interrogandi vi praeditum. Similiter et *mi*, interrogatiuum de re, praestat saepe relatiuum. Pronominis *ki* inflexio per casus, et numeros, iam nota est; exacte eandem habet et *mi*.

Vtrumque, interrogandi modo adhibitum, reiicit articulum praepositiuum, et prorsus nudum vsurpatur. *Ki tette ezeket?* Quis fecit haec? *Kitől hallottad?* A quo audiuisti? *Mit mondàſz?* Quid dicis? *Mitől tartaſz?* A qua re tibi metuis?

De altero *mi* probe notandum est: id cum articulo, *a' mi*, relatiuum valere de re indefinita, cum aliquid in genere dicitur, quod Latini neutraliter exprimunt. *Igaz, a' mit mondok;* Verum est, quod dico. *Nekem nem tetszenek, a' miket hallottam;* Mihi displicent, quae audiui.

In similibus *melly* locum non habet. Neque probatur Hungaris haec loquendi ratio: *igaz, a' mellyet mondok; nekem nem tetszenek, a' mellyeket hallottam.* Nam *melly* subiungitur antecedentibus expresse positis: ex. gr. *igaz a' beszéd, a mellyet mondok;* verus est sermo, quem dico: *nekem nem tetszenek a' hírek, a' mellyeket hallottam;* mihi displicent rumores, quos audiui.

Lappones conueniunt nobiscum vtroque hoc interrogatiuo, forma omnino simplici: *ki, kå*, aeque de persona, quis? et *mi* de re, quid? Habent vero vsu eodem formam etiam auctiorem, *kias? mias?* et *mis?* Congruunt et Fennorum simplicia, *cu? mi?* sed quibus composita sunt tamen magis familiaria, *cuca? mikå?* Esthones quoque auctiora proferunt, halitu finali, vt ego reor, in sibilum abeunte, *kes? mes?*

Persarum relatiuum כִה (*ki*) est idem et interrogatiuum de persona. Turcarum vero כִה (*ki*), dum fit interrogatiuum, increscit ם (*mem*) litera, כִים (*kim*). Sed interrogatiuum rei, idem et relatiuum, est his נֶה (*ne*).

Hebraeorum interrogatiua tantum vocali differunt: de persona est מִי (*mi*), quis? quae? de re autem מָה (*má*); vel מֶה (*me*), quid? conueniunt haec cum nostro *mi;* sed quod nos tantum de re vsurpamus, sicuti et Lappones, et Fenni, et Esthones. Chaldaei, Syri, et Arabes interrogatiuum de persona augent נ (*nun*) litera: מַן (*man*), quis? non item alterum de

re מָה et מָא (*má*), quid? Notandum praeterea, et Arabibus haec interrogatiua esse vna etiam relatiua.

B. COMPOSITA.

De vtroque interrogatiuo simplici *ki*, et *mi*, adest etiam compositum congruens, ad interrogationem energicam, *kitsoda? mitsoda?*

Haec vulgo putantur concreta esse ex *ki*, *mi*, et *tsoda*, miraculum; tunquam esset interrogationi energicae etiam admiratio adiuncta. Verum et haec videntur mihi residua esse ex vsu olim communi linguae primigeniae. Legitur certe apud Rabbinos, teste Schindlero, interrogatiuum כֵּיצַד (*kitsad*), sed aduerbiale, quomodo? qualiter? Natum hoc est more Hebraeo, quem paulo post in aliis etiam exemplis vberius videbimus. כְּ (*ki*) nempe, particula similitudinis, sicut, iuxta, secundum, iunctim praemissa est nomini צַד (*tsad*), quod inter alia modum significat. Quare כֵּיצַד (*kitsad*) genuine haec valet: sicut modus, iuxta modum, interrogatiue quis modus? et aduerbialiter sumtum quomodo? Nostri, vt aliis, quae mox proferentur, ita et huic *tsad*, vocali in fine adiecta *tsada*, et priore obscure prolata *tsoda*, praefixerunt interrogatiuum rei, *mi*: quo pacto orta sunt *mi-tsad*, *mi-tsada*, *mi-tsoda?* genuina significatione quis modus? sed quod postea, neglecto posterioris partis valore primigenio, et retenta prioris tantum vi magis nota, inualuit interrogatiui vsu de re, aliquanto sonantioris propter incrementum, quid? quidnam? Primigeniam nihilominus significationem, quam dedi sinceram, et propriam, vltro prodit formatum de eodem *mi-tsoda* adiectiuum *mi-tsodá-s;* quod est reuera vsu omnium quem-modum-habens, quo-praeditus-modo, cuiusmodi, qualis. Interrogatiuum de re, forma auctiore vsu stabilitum, *mitsoda?* quid? quidnam? cui adiecta notio al-

tera fugitiua obliuione iam dudum ademta est, traxit post se, formae similitudine, interrogatiuum etiam de persona, *kitsoda?* eodem simplici valore, quis? quisnam?

Dantur et alia composita cum altero tantum interrogatiuo *mi*. Primum est *millyen?* qualis? cuiusmodi? vicinis vocalibus concretis in prima compositione *mi illyen?* Huic subiungitur *mennyi*, quantus, et quot, ex eodem *mi*, et *nyi* vocula, olim *nyé*, coalitum: *mi-nyé*, *me-nyé*, *me-nyi*, et *ny* geminato *meny-nyi*, *mennyi*.

Idem porro *mi* relatiui valore, quemadmodum *ki*, et *melly*, vt pariter distributiuum fiat, componitur cum *akár*, et *vala;* sed tunc quoque de re in genere insinuata vsurpatur; *akár-mi*, quiduis, quidlibet, quidcunque; *vala-mi*, quiddam, quidpiam, aliquid. *Akármi, de jó;* Quidcunque sit, certe bonum est. *Mondok valamit, ha meg hallgatſz;* Dicam aliquid, si me audieris.

Fit de eo etiam negatiuum *sem-mi*, nihil; spectata particulae *sem* vera significatione, proprie neque-quid, et-non-quid, de re; vt est *senki*, pari modo compositum, de persona, neque-quis, et-non-quis, nullus.

§. IV. REDDITIVA.

Redditiua nostra, quae explananda sumuntur ad postrema duo tantum interrogatiua, *millyen*, *mennyi*, proprie adiectiua sunt, quemadmodum et ipsa eorum interrogatiua. Memorantur tamen inter

pronomina, quod horum accessione coalescant de nominibus.

A. SIMPLICIA.

Interrogatiuo *millyen* duo respondent redditiua simplicia: *illy*, quod propinquum, et *olly*, quod remotum indigitat. Hanc, propinqui, et remoti notionem excitat lingua nostra, vt saepe et alibi videbimus, solis vocalibus, crassis, et tenuibus. Vtriusque redditiui significatio vulgo ista adscribitur: talis, huiusmodi, illiusmodi. Sed vocis primigenia notio nominis valore est reuera qualitas, modus; vocalium vi, ad propinquum, et remotum extensa, qualitas-haec, qualitas-illa; quae postea vsu acceperunt adiectiui valorem, qualis-hic, qualis-ille.

Eadem adiectiuis praemissa sunt etiam pro aduerbio *quam*: *illy ſzép*, *olly ékes*; tam pulchrum, tam elegans.

B. COMPOSITA.

1. PRIMA.

Redditiuorum composita prima sunt de his simplicibus *illy*, *olly*, eaque triplicia.

Illy-en, *olly-an*, coalescit accepto *en* pronomine antiquo, vocalem congruenter mutante, ad demonstrationem iam apertam, vocali prima debilius factam: vulgo talis-iste, talis-ille; genuine vero qualis-iste, qualis-ille; pleniore explicatu, talis, qualis-iste, talis, qualis-ille.

Illy-e-tén, *olly-a-tán*, itidem pronomine increscit, apud nos iam dudum exoleto, *tén*, ille, vocali

vocali sese accommodante, *tán;* quod voculae in duplicem consonam desinenti, ad vitandum sonum duriorem, iungitur interiecta euphonica vocali connectente, aeque congrua, *e*, *a*. Valor idem est, qui priorum, qualis-iste, qualis-ille.

De prioribus compositis *illyen*, *ollyan*, est et auctior compositio, ad demonstrationem multo intensiorem, praemisso scilicet demonstrandi aduerbio *íme*, ecce, vocali posteriore, vt in pronóminibus demonstratiuis, per sequentem absorpta, et priore propter incrementum correpta: *im-illy-en*, *am-olly-an*, ecce-qualis-iste, ecce-qualis-ille. Sed hodie vix aduertimus animum ad genuinum hunc valorem, componentium partium ignoratione.

Inter pronomina Arabica occurrit אַיּוּן (*ejjün*), quod ampliore significatione vulgo sic redditur, quis, qui, quicunque, qualis, qualiscunque, vt Meninſzkius explicat, interrogatiue, et enunciatiue. In אַיּוּן (*ejjün*) si negligatur nunatio, restituitur radix genuina אַיּ (*ejj*). Haec in primigenia lingua nominis valore fuit qualitas, vel certe modus, ratio. Apud Arabes, vt complura nomina alia, coepit pronomina praestare: vsu latiore, quis, qui, quicunque; deinde ad originem propius restrictum, qualis, qualiscunque. Alta origo, eodem vsu communi, idem hoc vocabulum ad nostros etiam maiores propagauit; sed cuius geminatum *j* lene, *ejj*, in labiis nostris mutauit in molle *ly*, aeque geminatum, vocali variante, ad excitandam, propinqui, et remoti notionem, *illy*, *olly*.

Auditur apud Turcas אוילה (*öjle*), ab eadem origine, et sono nobis propiore, ita, sic, talis. In constructione, *öjle ádem*, talis homo, huiusmodi homo.

In lingua Esthonica *nis-ſuggu-ne* interrogatiue est welcherley, qualis, cuiusmodi; *ni-ſuggu-ne* vero, et *ſe-ſamma-ſuggu-ne*, enunciatiue ein solcher, eben dergleichen, talis, eiusmodi. Si de his resecentur accessiones praeformantes, et afformantes, quae se vltro manifestant: *mis*, quis, quid; *ſe*, hic, iste; *ſamma*, idem; *ni*, qui, quod; *ne*, pars posterior de *enne*, ipse, vocali priore absorpta, et *n* consonae geminatione neglecta, de substantiuis adiectiua formans; residuum est *ſuggu*, *ſuggo*, Art, Weise, Geschlecht, modus, ratio, genus. Ecce et hic nomen, cum pronominibus compositum, pronomen facit qualitatem indicans, et interrogando, et enunciando, sic aperte, vt nobis, vt Arabibus.

Sed idem iste vsus, vt ego non vane coniicio, et Esthonicum hoc vocabulum ad eandem reuocat originem. Nam *ſuggu*, *ſuggo*, postrema vocali absorpta *ſugg*, video equidem ipsum esse אֵי (*ejj*) Arabicum: in quo א (*aleph*) halitus lenis olim clare auditus fuit, *hejj*; deinde apud Esthones intensius protrusus in sibilum abiit, *sejj*; etiam geminatum *j* lene densiorem accepit sonum, *segg*; et ipsa demum vocalis tenuis in crassam migrauit, *sugg*. Huiusmodi mutationes iam satis probatae sunt multis exemplis aliis quam clarissimis.

Arabicum אֵי (*ejj*) videtur mihi superesse in Hebraico אֵיךְ (*ék*), et אֵיכָה (*ékâ*), י (*jod*) litera propter praecedens ·· (*tzere*) quiescente: quod Stockius dicit conflatum esse ex אֵי (*ej*), et כֹה (*ko*), forma alia כְּ (*ke*). Hoc כְּ (*ke*) est, vt iam indicauimus, particula similitudinis, iuxta, secundum, sic, ita; et אֵי (*ej*) primigenia significatione cum valeat modum, rationem: compositio אֵיךְ (*ék*), et אֵיכָה (*ékâ*), erit genuine modus similitudinis, modo simili. Vsu accommodo sumtum pro particula quaerentis de rei qualitate, aut admirantis, quomodo? qualiter?

Pronomen *tén* autumo et nobis olim in vsu fuisse, cum Esthonibus, et Fennis commune: quibus *temma*, et *tåmå*, est hodieque is, ille. Sed nos vocalem in fine absorbuimus, et consonam *m* in *n* mutauimus, eiusque apud Esthones geminationem neglectam compensauimus priore vocali producta. Inde sunt *illy-e-tén*, *olly-a-tán*: quae ex remotissima antiquitate sola supersunt hac forma, gemina alteris, *illy-en*, *olly-an*. Ista vero cum pateat aucta esse *en* pronomine pariter antiquo, nobis iam satis euoluto: certe et in illis, quod augmentum eadem adest significatione, itidem pronomen esse recte inferimus. Iuuat nos in eo detegendo affinium linguarum, Esthonicae, et Fennicae, vocabulum sono simile, idem valore.

Auditur hoc pronomen apud gentes etiam Slauicas: *ten*, in genere masculino, hic, ille. Et cumprimis prónominum harmonia obseruatur in linguis quam latissima: quae manifesto est indicio, ea ab vna eadem origine altiore, a lingua certe primigenia, ad tot alias deriuata esse. Slauicum *tzo*, *tso*, pronomen neutraliter interrogans, conuenit cum Persico כי (*tsi*) eiusdem vsus pronomine. Hoc quidem neutri habent ab alteris; sed vtrique ab altiore fonte communi.

Pro *ollyatán*, quod recentiores plerique *ollyatén* scribunt, vocali *e* prioribus crassis non accommodata, stat veterum auctoritas. In Codice MS. Transl. Bibl. hoc quidem vocabulum perpetuo sic recurrit. *Mire illyetén, vagy ollyatán lött légyen* (Prologo III. in Habacuc): Cur tale, vel tale factum sit. Etiam in plurali: *Ollyatánok nem leletének mindenek közül* (Dan. I. 19.): Non sunt inuenti tales de vniuersis. Sic legitur in Sacris quoque Sermonibus MSS. de B. V. Maria: *Kiknek ö képek ollyatán vala:* Quorum facies talis erat. Sic est eo vsus et Telegdius, vt reliquos taceam: *Ollyatán minekünk a' Krifztus* (Part. II. p. 253.): Talis est nobis Christus.

2. ALTERA.

Altera redditiuorum composita, respondentia interrogatiuo alteri *mennyi*, aeque duo sunt: *ennyi* cum propinquo, *annyi* cum remoto comparans, tam magnus, tantus, etiam tot.

Horum pars componens posterior *nyi*, olim *nyé*, nominis valore est quantitas, magnitudo.

Quare interrogatiuum *mi* cum hoc compositum, forma rudi, *mi-nyé*, et vocalem huius vocali accommodans *me-nyé*, deinde *me-nyi*, sonantiore demum pronunciatu *meny-nyi*, *mennyi*, genuine haec reddit: quae quantitas, quae magnitudo; sed vsu communi iam adiectiui valorem accepit, quantus, quam magnus, etiam quot.

Similiter pronomina demonstratiua illi coniuncta *ez-nyi*, *az-nyi*, *z* consona, halituum more mutabili, ac propterea sequenti consonae sese assimilante, *eny-nyi*, *any-nyi*, scribendi compendio *ennyi*, *annyi*, dant redditiua: genuina quidem significatione, haec quantitas, haec magnitudo, illa quantitas, illa magnitudo; sed vsu iam recepto, tantus, tam magnus, vt hic, vel ille, quocum fit comparatio, cum demonstratiui discrimine; sic etiam tot, quot ista, tot, quot illa.

Compositionem interrogatiui dico esse cum *mi*, *mi-nyé*, et vocali congruenter mutata *me-nyé*, deinde *me-nyi*: quia et alia cum hoc sunt composita, ex. gr. *mi-illyen*, deinde *mi-ért*, quam ob caussam, quare; quae vocalium concretione abierunt in *millyen*, *mért*. In vetustissima Allocutione Funebri occurrit *menyi*, consona non geminata, cum tanto clariore indicio prio-

ris partis *mi*. Geminatio serius inualuit pronunciatu sonantiore, *mennyi*.

Vocula *nyi*, olim *nyé*, fuerit in primordiis linguae nostrae etiam separata in vsu; hodie, et iam dudum, tantum in compositis superest. Habet significatum quantitatis, magnitudinis; vt eiusdem docet compositio cum aliis etiam non paucis nominibus: *anyányi*, *parányi*, *hüvelk-nyi*, *arasz-nyi*, *könyök-nyi*, *öl-nyi*, etc. Nobis adiectiui est valore, et singulari compendio praeditum, comparationem rei inuoluens, cui iungitur. *Anyányi már a' leánya:* Iam matris magnitudine est, matrem magna, tanta, quanta mater, filia eius. *Para*, vocabulum nobis cum Chaldaeis, et Syris commune, בָּרָה (*bárá*) *b* in *p* mutato *para*, pro nomine sumtum *parui*, *exigui*, *modici*, significatum habet: siquidem vtrisque vsitatissimum fuit, eiusdem semine simplici, filium בַּר (*bar*), filiam vero בְּרָא (*berá*) vocitare. Hoc vsu, certe ex lingua primigenia deriuato, fuerit et nobis *para* aliquando pusio, pusillus, paruulus. *Parányi* ergo est pusilli magnitudine, pusillum magnus, tantus, quantus pusio. *Hüvelknyi*, *arasz nyi*, *könyöknyi*, *ölnyi*, etc. pollicis, spithamae, cubiti, orgyae magnitudine; pollicem, spithamam, cubitum, orgyam magnus; tantus, quantus pollex, quanta spithama, quantus cubitus, quanta orgya.

Video, si non ludor obseruatione mea, hoc *nyé* aperte congruere cum Fennico *ne*: deinde cum *me*, *ma*, Esthonico; eodem et Hebraico, Chaldaico, Syriaco, et Arabico. Primigeniae linguae simplex vocabulum *me*, *ma*, in Fennorum labiis abiit in *ne*, in nostris vero in *nyé*, pronissima vtique consonae *m* in *n* mutatione, huius porro in mollem *ny*.

Apud Fennos pariter in compositione vsurpatur. Est his *mones*, quotus, certe de *mone*, quot. Hoc *mo-ne*, partibus separatis, pronomine interrogatiuo, et nomi-

ne, est procul dubio quae-quantitas, quae-magnitudo: *mo-n-es* vero, accedente adiectiuorum formatiuo *os*, nobis cum ipsis aeque communi, vocali eodem modo absorpta, qua-quantitate-praeditus, quam-magnitudinem-habens; quae vsus accommoda significatione pro istis sumit, quot, quotus.

Similiter Esthonibus *mitme*, *mitma*, est wie viel, quot; *mitmes* autem, et *mitmas*, der wie vielste, quotus. Partibus et hic seiunctis, interrogatiuo scilicet pronomine, et ipso nomine; *mit-me*, *mit-ma*, idem reddit, quae-quantitas, quae-magnitudo: *mit-me-s*, porro, et *mit-ma-s*, accepto eodem adiectiuorum formatiuo, qua-quantitate-praeditus, quam-magnitudinem-habens.

Hebraeis porro כַּמָּה (*kamá*), etiam כַּמָּה (*kammá*), Chaldaeis כְּמָא (*kemá*), Syris כַּמָּא (*kammá*), valet enunciatiue tot, interrogatiue quot; quotus, quantus. Est autem, vt Schindlerus explicat, כְּ (*ke*) sicut et מָה (*má*) quid. כַּמָּה (*kamá*) proinde, genuine redditum, esset sicut quid. Ego vero מָה (*mà*), non pronomen, sed nomen esse reor ex lingua primigenia, pronomini sono simile, reuera cum notione quantitatis, magnitudinis: vt ista quidem compositio כַּמָּה (*kamá*) sit proprie sic magnus, ita magnus; es vsu haec reddat more nostro, interrogando quantus, enunciando tantus. Monet me et Rabbinorum כַּמִּיָה (*kamijá*), et Arabum כַּמָּה (*kamá*), etiam apocopatum כַּם (*kam*): quibus vulgo isa adscribitur nuda significatio, quantitas, magnitudo. Accedit robur huic opinioni meae ab vsu linguae Fennicae, et Esthonicae, vt de nostra taceam. In his enimuero voculae istae *ne*, *me*, *ma*, si reipsa nomina non essent, non paterentur de se adiectiua formari prorsus nominum more; assumto scilicet *os* formatiuo, vocali hic quidem absorpta, vt saepe diximus, vel potius concreta, quia et ipsae in

vocalem desinunt: *ne-s*, *me-s*, *ma-s*. Hoc *os* significat aliquid habens, aliqua re praeditum: et istud aliquid in huiusmodi formationibus semper nomine exprimitur. Quare formae istae *ne-s*, *me-s*, *ma-s*, aptissima significatione iam clare euoluta ex integrorum vsu, cum valeant, quantitate, magnitudine praeditum; resecto *s* quae nuda restant, *ne*, *me*, *ma*, vltro reddunt quantitatem, magnitudinem.

Forma prior voculae *nyé*, quae serius abiit in *nyi*, familiari vocalis *é* in *i* mutatione, recurrit apud antiquos, sic omnino scripta, tanto frequentius; quanto illi a nostra aetate altius recidunt. In Codice MS. Transl. Bibl. nuspiam secus legitur. Singularis est locus in Libro Iudith (I. 2, et 3.): vbi *hetven könyökletnyé*, *harmintz könyökletnyé*, *fzáz könyökletnyé*, continua serie sese excipiunt, accedit etiam *húfz lábnyomdéknyé*. Quae in Latino, ad huius sermonis indolem, genitiuis exprimuntur; sed, ipsorum compositorum natura penitius spectata, non adaequate: septuaginta cubitorum, triginta cubitorum, centum cubitorum, viginti pedum. Valor voculae *nyé* negligitur. *Raká ö falit hetven könyökletnyé fzéllességben*, genuine sic est reddendum: Fecit muros eius in latitudinem septuaginta cubitos magnam. *Harmintz könyökletnyé magasságban:* In altitudinem triginta cubitos magnam. *Ö tornyit fzáz könyökletnyé magasságban:* Turres eius in altitudinem centum cubitos magnam. *Monnó oldal húfz nyomdéknyé tágosságra nyúl vala:* Vtrumque latus spatio viginti pedes magno tendebatur. Sed veterum auctoritas amplior est adducenda pro *nyé*. Et interrogatiuum *mennyé*, et eius redditiua *ennyé*, *annyé*, cum ipsa sola, tum etiam postpositione *re* aucta, aduerbii valore, *mennyére*, *annyéra*, tantopere, tantum, sic certe recurrunt saepe saepius, non modo in Codicibus MSS, sed serius etiam in libris iam typo expressis. Horum tantum aliqua profe-

ram. Habet Tinodins: *Ennyé sok inségben még sem tanálhattok* (m. 2.): In hac tam multa aerumna nondum saperere potestis. Item Medgyesius: *A' mennyére a' sietés miatt lehetett* (In Praef.): Quantum per properationem licuit. Denique et Telegdius: *Ugy annyéra, hogy a' nép le omlana* (Part. II. pag. 194.): Adeo, tantopere, vt populus corrueret.

CAPVT III.

DE AFFIXIONE PRONOMINVM AD NOMINA.

Affixio, quae hic distinctius explananda sumitur, est pronominum tantum personalium, et eorum quidem simplicium, ad sola dumtaxat nomina, deinde etiam ad particulas, nominum vtique valore praeditas.

Indicant haec pronomina, vt est iam satis insinuatum vel in euoluta eorum origine, nominum, quibus affiguntur, ad personas relationem: quae vulgo possessio dicitur, et ipsa huiusmodi affixio vsus pronominum possessiuus, vel simpliciter affixio possessiua.

Hic vsus est in lingua nostra singularis; sed mala consuetudine etiam erroribus nonnullis deprauatus. Regulas vsus recti per omnes personas hic damus. Relatio ad personam tertiam, cumprimis pluralem, resumitur in syntaxi propter errores; qui eo loco, opportunius, et prolixius refelluntur, et corriguntur.

Pronominum vsum possessiuum conatus sum singulari studio euolutum, et clare explanatum, prolixius, et locis pluribus proponere: quod satis peruiderim, errores, qui in hoc vsu admiscentur, nisi diligentiore, ac fusiore aliqua, et saepe repetita explicatione, refelli, ac penitus eripi non posse; siquidem breues illae regulae, a nonnullis Viris intelligentibus, praesertim a Ioanne Tsétsio datae, licet optimae, ex ipsius vtpote linguae nostrae intima indole petitae, omnibusque ob oculos positae, vix tamen aliquid, hac in re, vel tanto tempore effecerint. Paucis nempe verbis propositae, imbelles sunt rectissimae istae leges ad reprimendum praeposterum illum vsum, latissime inundantem; cui, ad arrogantem ex arrepto imperio auctoritatem, iam et argumenta adiiciuntur, insulse conquisita, sed vel talia multum valida. Nam vis earum legum breuiter expressa, et iis solum perceptu facilior, qui linguae nostrae naturam penitius rimari consueuissent, ceteris, ad haec arcana aut coecutientibus, aut incuriis, sese non fusius explicans, vana, et nulla esse putatur. Interim, mutis hic legibus, quae contraria obtruduntur argumenta ab hominibus, pro re etiam erronea loquacioribus; auide ea et arripiuntur a turba reliqua, quae ipsa cogitare non nouit, et tenentur pertinacius.

Si quid est in lingua nostra, quod dignum sit studio diligentiore, est certe hic pronominum vsus possessiuus, apud nos, ex more orientalium, quam latissimus. Dominatur enim, non solum in nominibus, sed etiam in particulis, iisdem per omnia legibus. Dedecori esset aetati nostrae, quae se percolendae linguae patriae cumprimis deditam esse iactat: si ea latissimo hoc vsu et errores intermixtos latius propagari sineret, praesertim scriptis etiam praeceptionibus non rectis. Has quidem, quia publice iam sparguntur, sua-

det linguae integritas aeque publice refellendas. Et huic rei opportune praemissa est euoluta pronominum personalium natura, et origo. Affusa enim quam plurima inde luce, cum affixa pronomina singula, relationem, seu possessionem indicantia, iam probe nota sint, vnde ortum ducant, et quid genuine valeant: certe de eorum etiam nexu recto, sine erroris periculo, tanto securius disseri, certiusque decerni potest.

§. I. REGVLAE. DE AFFIXIONE POSSESSIVA.

In linguis Europaeis nomina, quae ad personas referuntur, ad indicandam hanc relationem, iunguntur cum pronominibus possessiuis earum personarum, ad quas est eorum nominum relatio, seu a quibus ea possidentur. Sint nomina ex. gr. Latina, *pater*, *mater*; eadem Germanica, Vater, Mutter: Gallica, *pere*, *mere*. Haec, ad personas relata, gentes istae, praemissis personarum pronominibus possessiuis iuncta, efferunt.

Ad Personas Singulares:

Meus Pater.	Mein Vater.	*Mon Pere.*
Tuus Pater.	Dein Vater.	*Ton Pere.*
Suus Pater, vel *eius*.	Sein Vater.	*Son Pere.*
Mea Mater.	Meine Mutter.	*Ma Mere.*
Tua Mater.	Deine Mutter.	*Ta Mere.*
Sua Mater, vel *eius*.	Seine Mutter.	*Sa Mere.*

Ad Personas Plurales.

Noster Pater.	Unser Vater.	*Notre Pere.*
Vester Pater.	Euer Vater.	*Votre Pere.*

Suus Pater, vel *eorum*.	Ihr Vater.	*Leur Pere.*
Nostra Mater.	Unsere Mutter.	*Notre Mere.*
Vestra Mater.	Euere Mutter.	*Votre Mere.*
Sua Mater, vel *eorum*.	Ihre Mutter.	*Leur Mere.*

Apud nos vero, licet adsint pronomina possessiua, *enyém*, *tied*, *övé*, *miénk*, *tietek*, *övék* huic tamen vsui prorsus non sunt: vt, nominum ad personas relationem, seu possessionem, sic iuncta exprimant: *enyém atya*, *tied atya*, *övé atya*; *miénk atya*, *tietek atya*, *övék atya*: *enyém anya*, *tied anya*, *övé anya*; *miénk anya*, *tietek anya*, *övék anya*. Vitiosa sunt haec in lingua nostra.

Possessiua enim pronomina nostra restricta sunt ad vsum tantum absolutum, relatiui valore, antecedente remotiore, non coniunctim posito, ex. gr. facta interrogatione: cuius est hic liber? *kijé ez a' könyv?* bene ad hanc respondetur: *enyém*, meus; *tied*, tuus; *övé*, eius; *mienk*, noster; *tietek*, vester; *övék*, eorum.

Est praeterea vsus horum singularis, si iis praemissis, et nominibus ad ea relatis, verbum aliquod interseratur, praesertim verbum substantiuum, vel tacite subintellectum, vt in praesenti fit, vel expresse positum, vt in reliquis tenet temporibus. Ex. gr. mea est haec pecunia; *enyém ez a' pénz*: tuus fuit hic ager; *tied volt ez a' ſzantó föld*: illius erit hoc praemium; *övé leſzen ez a' jutalom*.

Illa nominum relatio, quam exprimunt Europaeorum pronomina possessiua, nominibus possessis plerumque praemissa, cumque iis, quoniam adiectiua sunt, genere, casu, ac numero concordantia, in lingua nostra leges habet peculiares, nobis cum orientalibus communes.

A. AFFIXA POSSESSIVA SVNT IPSA PRONOMINA PERSONALIA.

Nobis enim relatio nominum ad personas exprimitur per pronomina personalia simplicia, possessis nominibus coniunctim adnexa, varie tamen mutata secundum leges euphoniae: quae, hoc vsu a primigeniis separatis vtcunque deflexa, vocantur inseparabilia, et affixa pronomina.

Haec, in pronominum euolutione sparsim explicata, placet hic in tabellam contracta proponere, quo facilius vno obtutu conspici possint.

Pronomina Personalia. Prima separata,	de iis	Nata affixa.	Eadem vocalibus congruenter mutatis.
		Singularia.	
Én.	Ego.	*Ém.*	*em, öm, am, om.*
Te.	Tu.	*Ed.*	*ed, öd, ad, od.*
Ő, vő.	Is.	*É, vé.*	*e, a, i, je, ja.*
		Pluralia.	
—	Nos.	*Énk.*	*ünk, unk.*
—	Vos.	*Etek.*	*etek, ötök, atok, otok.* priore vocali saepe absorpta: *tek, tök, tok.*
Ők, vők.	Ii.	*Ék-vék.*	*ek, ök, ok, jek, jök, jok.*

Grammatici nostri vulgo sic docent pleriqne: affixa possessiua, quae in lingua nostra, nominibus, particulisque adiicit vsus, ad indicandam horum ad personas relationem, esse partes posteriores, cum varia vocalium mutatione, resectas de separatis pronominibus possessiuis, *eny-ém*, *ti-ed*, *ö-vé*, *mi-énk*, *ti-etek*, *ö-vék*. In vnica Grammatica Debretzinensi obseruationem legi etymologicae rationi conuenientem: quae clare monet possessiua haec **affixa de separatis pronominibus** possessiuis minus recte sumi; cum et ipsa composita sint.

Et huius quidem compositionis rationem iam explanaui in euolutione pronominum. Est certe apertum, et euidens, ad formanda possessiua pronomina nostra, iam in ipsis primordiis, pronomina personalia simplicia eodem modo ipsa sibi adiecta esse, tantum nexus ratione distincta, et natis inde mutationibus, priora scilicet separata, posteriora vero inseparabilia: quo eadem ipsa inseparabilia, nominibus, patirculisque iuncta sunt, ad indicandam horum ad personas relationem. Atque hinc vltro consequitur, nos, non modo per ambages duci, sed multum etiam ineptire: si, de pronominibus possessiuis altera haec pronomina personalia resecaenda, et resecta nominibus, particulisque, ea deinde ratione iungenda praecipiamus; qua sunt in his pronominibus possessiuis iuncta pronominibus personalibus separatis. Quare, missis his erroribus, satius est recta nos via incedere, atque id sincere praecipere: quod in lingua nostra vere fieri etymologica ostendit euolutio, illustrata, et confirmata vsu etiam Hebraeo, nobis inde a primis originibus communi.

In nostra igitur lingua Hungarica, more prorsus Hebraeo, relationum, vel possessionum affixa, nominibus, particulisque adhaerentia, sunt ipsa pronomina personalia simplicia, a prima tamen separatorum for-

ma, in hoc nexu, euphonia suadente, mutata et consona suis, et potissimum vocalibus.

In euolutione pronominum iam principio docuimus, adducta Iahni, et Sonnenfelsii sententia, Hebraeorum affixa possessiua esse pronomina personalia simplicia, formae primigeniae; quae vsu affixo eadem mansit, sed vsu separato accessionibus increuit. Qui, ordine praepostero, simplicia haec affixa ab auctioribus pronominibus separatis orta esse docent, resectione, vel mutilatione: ea quidem et isti pro personalibus habent. Aperta sunt Schroederi verba (Sect. VIII. de Pronom. Reg. 129.): „Pronomina *inseparabilia*, „ quae et *affixa* dicuntur, quia ad finem vocum aliarum ita affiguntur, vt cum iis coalescant. Ea, a per„sonalibus separatis orta, etiam ipsa sunt personalia."

Hebraeam hanc consuetudinem, possessionem per affixa exprimendi, habent vtique et sorores linguae, Chaldaica, Syriaca, et Arabica: etiam aliae orientales magis deflexae, Turcica nempe, et Persica; et istae posteriores in quibusdam personis ipsa etiam affixa eadem adhibent, communia nobiscum. Exempla, in euolutione pronominum neglecta, producentur, loco aeque opportuno, in obseruationibus ad paradigmata adiectis. Morem itaque in his orientalem sequimur, nobis solis, et Fennicis gentibus, inter Europaeos proprium, Fennica exempla iam vidimus satis copiosa.

B. AFFIXIO POSSESSIVA COMPOSITIONEM EXHIBET.

Quam ob rem nominum ad personas relatio, affixis pronominibus expressa, voces exhibet apud nos compositas: quarum pars prior est nomen relatum, seu possessum; pars vero posterior pronomen personae, ad quam est relatio, seu ipse pos-

sessor, eo pronomine, suo vtpote relatiuo, in memoriam reuocatus; collocatione ad possessionem indicandam prorsus orientali.

Hebraei, cum genitiuo careant, regimen nominis vnius ab altero exprimunt eorundem collocatione: rectum nempe, seu relatum priore, regens vero, seu ad quod relatio fit, posteriore ponunt loco, nobis, si Latine reddamus, genitiuo efferendum. פְּרִי עֵץ (*peri hgêtz*), fructus arbor, *fructus arboris;* חַיַּת הָאָרֶץ (*chajath hâåretz*), bestia terra, *bestia terrae.* Eandem seruant collocationem in relatione nominum ad personas. Pronomina personalia, ad quae fit relatio, vtique in nominum locum substituta, posteriore sunt apud ipsos loco, nobis proinde et haec genitiui casu reddenda; nomina vero relata priore; vtraque autem, ob coniunctionem ex hac relatione arctiorem, in vnam vocem concreta. Orientalem hanc collocationem, in possessione per affixionem indicanda, ex vsu linguae primigeniae et nos retinemus, licet relationem nominis ad aliud nomen vulgo iam inuersa exprimamus ratione; quae in syntaxi loco suo vberius explanatur.

C. AFFIXA POSSESSIVA
LATINE GENITIVO REDDENDA.

Pronomina personalia, possidentium relatiua, hocque ipso nominum instar affixa nominibus possessis, Latine, si genuine reddantur, genitiuo sunt efferenda, in quo sunt casu ipsi possidentes, in quorum locum ea substituuntur.

Hebraeorum affixa pronomina, cum sint ipsa personalia, recte monet Schroederus genitiuo esse reddenda (Sect. VIII. de Pronom. Reg. 131.): „Nominibus quando accedunt affixa, *genitiuum* exprimunt

„ *possessoris*: vt דְּבָרִי (*debári*), *verbum mei*, seu „ *meae personae*, hoc est, *meum*." Idem notat et Iahnus: **als ob man anstatt** liber meus **sagen wollte** liber mei: quasi loco *liber meus* diceretur *liber mei*. Quare tanto securius doceo eodem modo exprimenda esse et nostra affixa, quae sunt vtique pronomina aeque personalia.

D. DIVERSVS NVMERVS AFFIXI POSSESSIVI, ET REI POSSESSAE.

Pars vtraque, probe discernenda, proprium habet numerum, cum altera non communem, ab altera prorsus non dependentem; sed, vt rerum fert vsus, in sermonis contextu sic omnino exprimendum, quemque suo modo proprio.

Iam vero in rerum nexu, et sermonis contextu, possessi, et possidentis numerus occurrere potest quadruplici modo varians.

1. *Possessum singulare, item et possidens*. Potest nempe res vna possessa esse a possessore itidem vno: ex. gr. pratum-mei, pratum-tui, pratum-eius.

2. *Possessum singulare, possidens plurale*. Hoc est, res vna possessa a pluribus possessoribus: ex. gr. pratum-nostri, pratum-vestri, pratum-eorum.

3. *Possessum plurale, possidens singulare*. Res nempe plures possessae ab vno tantum possessore: ex. gr. prata-mei, prata-tui, prata-eius.

4. *Possessum plurale, item et possidens*. Hoc est, res plures possessae a possessoribus aeque pluribus: ex. gr. prata-nostri, prata-vestri, prata-eorum.

E.

E. AFFIXA POSSESSIVA SEQVVNTVR NVMERVM ANTECEDENTIVM.

Affixa possessiua personas referunt possidentium, in horum vtpote locum substituta: relatiuorum itaque more, quem et alia tenent pronomina, debent ea cum suis antecedentibus, hoc est, cum possessoribus, quos referunt, numero conuenire.

Singularis ergo possessor postulat affixum pronomen singulare; pluralis item possessor exigit affixum pronomen plurale: vtriuscunque fuerit numeri, siue singularis, siue pluralis, ipsum nomen possessum, cui affixum pronomen adhaeret.

Hanc legem, nobis cum Hebraeis communem, paucis verbis expressit Schroederus; nisi quod genus, cuius discrimina nos nulla habemus, apud nos omitti debeat (Sect. VIII. de Pronom. Reg. 131.): „Numerus „affixorum pronominum non sequitur numerum no„minis, cui illa adduntur; sed eius, cuius in locum „illa substituuntur.“

F. NOMINIS POSSESSI NVMERVS FORMIS PROPRIIS DISCERNITVR.

Iam nominis possessi numerus, ab affixorum pronominum numero nihil adsciscens, singularis est: si ipsum nomen in affixione sic stat, vt illud seperatum in singulari est forma sua, vel integra, vel certe contracta, vocali ante postremam consonam expuncta.

Pluralis vero fit nominis possessi numerus, more apud nos in solo affixionis vsu superstite: assumta *i* litera, multitudinis nota; vel sola, prae-

sertim cum nomen possessum in vocalem desinit; vel *e*, aut *a* vocali ei praemissa, vt sit terminatio in *ei*, vel *ai*; quae amat saepe etiam per *j* euphonicum connecti, post nonnullas consonas ab huius societate non alienas.

G. GENVINA RATIO AFFIXA PRONOMINA CVM NOMINIBVS CONNECTENDI.

Affixa pronomina, vt vidimus, singula a vocali inchoantia, cum adnectuntur nominibus in consonam desinentibus, retinent vocales suas; sed, euphonia suadente, nominum tamen vocalibus congruenter accommodatas. Affixa praeterea personae tertiae, et singularia, et pluralia, *j* suum primigenium, de *v* natum, resuscitant post nonnullas consonantes, ab huius consortio non abhorrentes. Deinde affixum secundae pluralis personae, quin durior sit pronunciatio, priorem vocalem suam saepe amittit.

Cum vero affixa eadem nominibus iunguntur in vocalem exeuntibus, vocales suas, praeter ea, quae tertiae sunt personae, nominum vocalibus accommodant, cumque iis in vnam plerumque longam abire cogunt. Affixa vero tertiae personae adiecta nominibus singularis numeri, vocalibus congruenter mutatis, etiam *j* suum primigenium reuocant, vocalesque ante se breues producunt. Sed eadem coniuncta cum nominibus pluralis numeri, pariter ac reliqua affixa, vocales suas nominum

vocali postremae, quae hoc vsu semper *i* est, accommodant, cumque ea in vnam contrahunt.

In affixione possessiua ea est distinguendorum numerorum clarissima ratio; quae iam satis exposita est superius: vt pars vtraque compositionis, possessum, et possidens, separatim indicetur, in vtro sit numero. Sic enim pars vtraque numero sibi conueniente, ac proprio, facilius, certiusque exprimetur, rectae connexionis ratione non vitiata.

Magna Grammatica Debretzinensis rerum possessarum, et possidentium, distinctum numerum aperte quidem indicat (Part. V. §. XLVII.); sed labitur in exponendis signis pluralibus: quod, licet horum alterum sit rei possessae, alterum possidentis, vtraque tamen, et *i*, et *k*, ad affixa referat, ignorata vera vtrorumque origine; dicatque porro, confusa horum notione, cuiusque nominis, affixo aucti, triplex esse plurale, vnicum autem singulare. *Minden ragasztékos névnek az egyese tsak egyféle; de' a' többese lehet háromféle.* Falso vtique: cum nomen quodque, affixo auctum, etiam plurale vnicum habeat, sibi proprium, sicuti et ipsum singulare vnicum.

Neque denominationes distinguendorum pluralium probare possum: *fél többes*, dimidium plurale; ista praesertim expressione: *az illyen ragasztékos név mondathatik lenni fél többesben;* huiusmodi nomen, affixo praeditum, dici potest esse in dimidio plurali. Quem sensum facit hoc dimidium plurale? Dimidia pluralia non noui; sed integra. Et vtrum est postea in dimidio plurali: affixumne, an vero nomen? Cur ista sic confunduntur? Affixi pluralitas non est nominis affixo aucti; neque nominis pluralitas affixum facit plurale: sed vtraque, distincte pro se, et integre sunt vel pluralia, vel singularia.

Si placet in huiusmodi affixione compositi partes dimidia vocare: aptius adhibendum est hoc vocabulum *fél*, dimidium, praesertim cum ordinalibus *elsö*, *második*, primum, secundum. *Elsö felében többes*, primo dimidio, prima sui parte plurale; quod est certe exemplum casus tertii, *könyv-ei-m*, libri-mei. Exemplum casus secundi, *elsö felében egyes*, primo dimidio, prima sui parte singulare, *könyv-ünk*, liber-nostri. Sed quae locutiones poscunt dimidii etiam secundi, quandoquidem et hoc variat, apertam fieri mentionem: *második felében egyes*, altero dimidio, altera sui parte singulare, *könyv-ei-m*, libri-mei; *második felében többes*, altero dimidio, altera sui parte plurale, *könyv-ünk*, liber-nostri. Praestat vero, simpliciter, et clare loqui, etiamsi aliquanto fusius, vtraque vero nomine suo compellando: a' *bíratott*, possessum; *a' bíró*, possidens, possessor.

1. *Mind a' bíratott, mind a' bíró egyes.*
2. *A' bíratott egyes, a' bíró többes.*
3. *A' bíratott többes, a' bíró egyes.*
4. *Mind a' bíratott, mind a' bíró többes.*

H. NOMINA, AFFIXIS PRONOMINIBVS AVCTA, AMANT PRAEMISSA SIBI PRONOMINA ETIAM SEPARATA.

Nomina, solis pronominibus affixis aucta, iam sunt plene in statu possessiuo posita; quibus ad notificationem, seu demonstrationem leniorem, praemittitur saepe et articulus: ex. gr. *az inas-om*, ephebus-mei; *a' pénz-ed*, pecunia-tui; *a' ház-a*, domus-eius; *az inas-unk*, ephebus-nostri; *a' pénz-etek*, pecunia vestri; *a' haz-ok*, domus-eorum.

Genius tamen linguae nostrae admittit, imo exposcit frequentissime, per pleonasmum non ingratum, ad possessionem cum emphasi indicandam, etiam separata pronomina, praemissa nominibus affixorum accessione auctis, eiusdem et haec personae, et numeri; quae Latine, si aeque geminata reddantur, exprimi possunt ipsis possessiuis pronominibus in forma adiectiuorum: ex. gr. *az én inas-om*, meus ephebus-mei; *a' te pénz-ed*, tua pecunia-tui; *az ö ház-a*, sua domus-eius: *a' mí inas-unk*, noster ephebus-nostri; *a' tí pénz-etek*, vestra pecunia-vestri; *az ö haz-ok*, sua domus-eorum, eodem *ö* vsu antiquissimo et hic pluralem numerum praestante.

I. NOMINVM, AFFIXIS PRONOMINIBVS AVCTORVM INFLEXIO PER CASVS.

Nomina, affixis pronominibus aucta, sicuti composita alia, inflexionem per casus accipiunt postrema sui parte.

§. II. PARADIGMATA CVM AFFIXIONE POSSESSIVA.

Affixa pronomina, cum a vocali inchoent, nominibus adhaerescunt legibus prope iisdem: quibus vidimus ad ea adnecti formatiuum vocale casus accusatiui, et quam maxime formatiuum pluralis numeri, semper vocale. Sic nempe et haec distinguunt nomina alia in consonam desinentia, radice integra, vel contracta; alia vero vocali terminata, vel pura, vel halitu obscuro *v* in ea quie-

scente. Eadem itaque partitione quadruplici, qua dedimus nominum declinationes, exhibemus et possessiuam ad ea affixionem, exemplis copiosioribus, necessariisque obseruationibus et hic insertis. In his multum nos subleuat ratio ferme eadem accommodandi et ipsas affixorum vocales ad radicum vocales.

A. AFFIXIO POSSESSIVA AD NOMINA IN CONSONAM DESINENTIA RADICE INTEGRA.

1. PARADIGMATA.

a. PERSONAE TERTIAE AFFIXO PVRO.

1) NOMINA ABSOLVTA.

Singularia.

Szék.	*Kög.*	*Hal.*	*Nyom.*
Sedes.	Circulus.	Piscis.	Vestigium.

Pluralia
formatione antiqua status constructi.

Szék-i, et	*Kög-i*, et	*Hal-i*, et	*Nyom-i*, et
Szék-ei.	*Kög-ei.*	*Hal-ai.*	*Nyom-ai.*
Sedes.	Circuli.	Pisces.	Vestigia.

2) EADEM IN STATV AFFIXO.

a) Possessa singularia, item et Possessores.

Szék-em.	*Kög-öm.*	*Hal-am.*	*Nyom-om.*
Sedes-mei.	Circulus-mei.	Piscis-mei.	Vestigium-mei.
Szék-ed.	*Kög-öd.*	*Hal-ad.*	*Nyom-od.*
Sedes-tui.	Circulus-tui.	Piscis-tui.	Vestigium-tui.
Szék-e.	*Kög-e.*	*Hal-a.*	*Nyom-a.*
Sedes-eius.	Circulus-eius.	Piscis-eius.	Vestigium-eius.

b) Possessa singularia, Possessores plurales.

Szék-ünk.	*Kög-ünk.*	*Hal-unk.*	*Nyom-unk.*
Sedes-nostri.	Circulus-nostri.	Piscis-nostri.	Vestigium-nostri.
Szék-etek.	*Kög-ötök.*	*Hal-atok.*	*Nyom-otok.*
Sedes-vestri.	Circulus-vestri.	Piscis-vestri.	Vestigium-vestri.
Szék-ek.	*Kög-ök.*	*Hal-ok.*	*Nyom-ok.*
Sedes-eorum.	Circulus-eorum.	Piscis-eorum.	Vestigium-eorum.

c) Possessa pluralia, Possessores singulares.

Szék-ei-m.	*Kög-ei-m.*	*Hal-ai-m.*	*Nyom-ai-m.*
Sedes-mei.	Circuli-mei.	Pisces-mei.	Vestigia-mei.
Szék-ei-d.	*Kög-ei-d.*	*Hal-ai-d.*	*Nyom-ai-d.*
Sedes-tui.	Circuli-tui.	Pisces-tui.	Vestigia-tui.
Szék-ei.	*Kög-ei.*	*Hal-ai.*	*Nyom-ai.*
Sedes-eius.	Circuli-eius.	Pisces-eius.	Vestigia-eius.

d) Possessa pluralia, item et Possessores.

Szék-ei-nk.	*Kög-ei-nk.*	*Hal-ai-nk.*	*Nyom-ai-nk.*
Sedes-nostri.	Circuli-nostri.	Pisces-nostri.	Vestigia-nostri.
Szék-ei-tek.	*Kög-ei-tek.*	*Hal-ai-tok.*	*Nyom-ai-tok.*
Sedes-vestri.	Circuli-vestri.	Pisces-vestri.	Vestigia-vestri.
Szék-ei-k.	*Kög-ei-k.*	*Hal-ai-k.*	*Nyom-ai-k.*
Sedes-eorum.	Circuli-eorum.	Pisces-eorum.	Vestigia-eorum.

b. PERSONAE TERTIAE AFFIXO SVVM J RESVSCITANTE.

1) NOMINA ABSOLVTA.

Singularia.

Zseb.	*Rét.*	*Hab.*	*Bot.*
Loculus.	Pratum.	Fluctus.	Fustis.

Pluralia
formatione antiqua status constructi.

Zseb-i, et	*Rét-i*, et	*Hab-i*, et	*Bot-i*, et
Zseb-jei.	*Rét-jei.*	*Hab-jai.*	*Bot-jai.*
Loculi.	Prata.	Fluctus.	Fustes.

2) EADEM IN STATV AFFIXO.

a) Possessa singularia, item et Possessores.

Zseb-em.	*Rét-em.*	*Hab-om.*	*Bot-om.*
Loculus mei.	Pratum-mei.	Fluctus-mei.	Fustis-mei.
Zseb-ed.	*Rét-ed.*	*Hab-od.*	*Bot-od.*
Loculus-tui.	Pratum-tui.	Fluctus-tui.	Fustis-tui.
Zseb-je.	*Rét-je.*	*Hab-ja.*	*Bot-ja.*
Loculus-eius.	Pratum-eius.	Fluctus-eius.	Fustis-eius.

b) Possessa singularia, Possessores plurales.

Zseb-ünk.	*Rét-ünk.*	*Hab-unk.*	*Bot-unk.*
Loculus-nostri.	Pratum-nostri.	Fluctus-nostri.	Fustis-nostri.
Zseb-etek.	*Rét-etek.*	*Hab-otok.*	*Bot-otok.*
Loculus-vestri.	Pratum-vestri.	Fluctus-vestri.	Fustis-vestri.
Zseb-jek.	*Rét-jek.*	*Hab-jok.*	*Bot-jok.*
Loculus-eorum.	Pratum-eorum.	Fluctus-eorum.	Fustis-eorum.

c) Possessa pluralia, Possessores Singulares.

Zseb-jei-m.	*Rét-jei-m.*	*Hab-jai-m.*	*Bot-jai-m.*
Loculi-mei.	Prata-mei.	Fluctus-mei.	Fustes-mei.
Zseb-jei-d.	*Rét-jei-d.*	*Hab-jai-d.*	*Bot-jai-d.*
Loculi-tui.	Prata-tui.	Fluctus-tui.	Fustes-tui.
Zseb-jei.	*Rét-jei.*	*Hab-jai.*	*Bot-jai.*
Loculi-eius.	Prata-eius.	Fluctus-eius.	Fustes eius.

d) Possessa pluralia, item et Possessores.

Zseb-jei-nk.	*Rét-jei-nk.*	*Hab-jai-nk.*	*Bot-jai-nk.*
Loculi-nostri.	Prata-nostri.	Fluctus-nostri.	Fustes-nostri.

Zseb-jei-tek.	*Rét-jei-tek.*	*Hab-jai-tok.*	*Bot-jai-tok.*
Loculi-vestri.	Prata-vestri.	Fluctus-vestri.	Fustes-vestri.
Zseb-jei-k.	*Rét-jei-k.*	*Hab-jai-k.*	*Bot-jai-k.*
Loculi-eorum.	Prata-eorum.	Fluctus-eorum.	Fustes-eorum.

c. VOCALIVM ACVTARVM, PRAEMISSO ARTICVLO, ET PRONOMINE SEPARATO, PER CASVS INFLEXA.

1) POSSESSORIBVS PERSONAE PRIMAE.

a) Possessa singularia, item et Possessores.

Nom.	*Az én kints-em.*	*Az én nyil-am.*
	Thesaurus meus.	Sagitta mea.
Gen.	*Az én kints-em-é.*	*Az én nyil-am-é.*
	Thesauri mei.	Sagittae meae.
Dat.	*Az én kints-em-nek.*	*Az én nyil-am-nak.*
	Thesauro meo.	Sagittae meae.
Acc.	*Az én kints-em-et.*	*Az én nyil-am-at.*
	Thesaurum meum.	Sagittam meam.
Abl.	*Az én kints-em-töl.*	*Az én nyil-am-tól.*
	A thesauro meo.	A sagitta mea.

b) Possessa singularia, Possessores plurales.

Nom.	*A' mí kints-ünk.*	*A' mí nyil-unk.*
	Thesaurus noster.	Sagitta nostra.
Gen.	*A' mí kints-ünk-é.*	*A' mí nyil-unk-é.*
	Thesauri nostri.	Sagittae nostrae.
Dat.	*A' mí kints-ünk-nek.*	*A' mí nyil-unk-nak.*
	Thesauro nostro.	Sagittae nostrae.
Acc.	*A' mí kints-ünk-et.*	*A' mí nyil-unk-at.*
	Thesaurum nostrum.	Sagittam nostram.
Abl.	*A' mí kénts-ünk-töl.*	*A' mí nyil-unk-tól.*
	A thesauro nostro.	A sagitta nostra.

c) Possessa pluralia, Possessores singulares.

Nom.	*Az én kints-ei-m.*	*Az én nyil-ai-m.*
	Thesauri mei.	Sagittae meae.
Gen.	*Az én kints-ei-m-é.*	*Az én nyil-ai-m-é.*
	Thesaurorum meorum.	Sagittarum mearum.
Dat.	*Az én kints-ei-m-nek.*	*Az én nyil-ai-m-nak.*
	Thesauris meis.	Sagittis meis.
Acc.	*Az én kints-ei-m-et.*	*Az én nyil-ai-m-at.*
	Thesauros meos.	Sagittas meas.
Abl.	*Az én kints-ei-m-töl*	*Az én nyil-ai-m-töl.*
	A thesauris meis.	A sagittis meis.

d) Possessa pluralia, item et Possessores.

Nom.	*A' mi kints-ei-nk.*	*A' mi nyil-ai-nk.*
	Thesauri nostri.	Sagittae nostrae.
Gen.	*A' mi kints-ei-nk-é.*	*A' mi nyil-ai-nk-é.*
	Thesaurorum nostrorum.	Sagittarum nostrarum.
Dat.	*A' mi kints-ei-nk-nek.*	*A' mi nyil-ai-nk-nak.*
	Thesauris nostris.	Sagittis nostris.
Acc.	*A' mi kints-ei-nk-et.*	*A' mi nyil-ai-nk-at.*
	Thesauros nostros.	Sagittas nostras.
Abl.	*A' mi kints-ei-nk-töl.*	*A' mi nyil-ai-nk-töl.*
	A thesauris nostris.	A sagittis nostris.

2) POSSESSORIBVS PERSONAE SECVNDAE.

a) Possessa singularia, item et Possessores.

Nom.	*A' te kints-ed.*	*A' te nyil-ad.*
	Thesaurus tuus.	Sagitta tua.
Gen.	*A' te kints-ed-é.*	*A' te nyil-ad-é.*
	Thesauri tui.	Sagittae tuae.
Dat.	*A' te kints-ed-nek.*	*A' te nyil-ad-nak.*
	Thesauro tuo.	Sagittae tuae.
Acc.	*A' te kints-ed-et.*	*A' te nyil-ad-at.*
	Thesaurum tuum.	Sagittam tuam.
Abl.	*A' te kints-ed-töl.*	*A' te nyil-ad-töl.*
	A thesauro tuo.	A sagitta tua.

b) Possessa singularia, Possessores plurales.

Nom.	*A' tí kints-etek.*	*A' tí nyil-atok.*
	Thesaurus vester.	Sagitta vestra.
Gen.	*A' tí kints-etek-é.*	*A' tí nyil-atok-é.*
	Thesauri vestri.	Sagittae vestrae.
Dat.	*A' tí kints-etek-nek.*	*A' tí nyil-atok-nak.*
	Thesauro vestro.	Sagittae vestrae.
Acc.	*A' tí kints-etek-et.*	*A' tí nyil-atok-at.*
	Thesaurum vestrum.	Sagittam vestram.
Abl.	*A' tí kints-etek-től.*	*A' tí nyil-atok-tól.*
	A thesauro vestro.	A sagitta vestra.

c) Possessa pluralia, Possessores singulares.

Nom.	*A' te kints-ei-d.*	*A' te nyil-ai-d.*
	Thesauri tui.	Sagittae tuae.
Gen.	*A' te kints-ei-d-é.*	*A' te nyil-ai-d-é.*
	Thesaurorum tuorum.	Sagittarum tuarum.
Dat.	*A' te kints-ei-d-nek.*	*A' te nyil-ai-d-nak.*
	Thesauris tuis.	Sagittis tuis.
Acc.	*A' te kints-ei-d-et.*	*A' te nyil-ai-d-at.*
	Thesauros tuos.	Sagittas tuas.
Abl.	*A' te kints-ei-d-től.*	*A' te nyil-ai-d-tól.*
	A thesauris tuis.	A sagittis tuis.

d) Possessa pluralia, item et Possessores.

Nom.	*A' tí kints-ei-tek.*	*A' tí nyil-ai-tok.*
	Thesauri vestri.	Sagittae vestrae.
Gen.	*A' tí kints-ei-tek-é.*	*A' tí nyil-ai-tok-é.*
	Thesaurorum vestrorum.	Sagittarum vestrarum.
Dat.	*A' tí kints-ei-tek-nek.*	*A' tí nyil-ai-tok-nak.*
	Thesauris vestris.	Sagittis vestris.
Acc.	*A' tí kints-ei-tek-et.*	*A' tí nyil-ai-tok-at.*
	Thesauros vestros.	Sagittas vestras.

Abl.	*A' ti kints-ei-tek-től.*	*A' ti nyil-ai-tok-tól.*
	A thesauris vestris.	A sagistis vestris.

3) POSSESSORIBVS PERSONAE TERTIAE.

a) Possessa singularia, item et Possessores.

Nom.	*Az ő kints-e.*	*Az ő nyil-a.*
	Thesaurus suus, eius.	Sagitta sua, eius.
Gen.	*Az ő kints-é-jé.*	*Az ő nyil-á-jé.*
	Thesauri sui, eius.	Sagittae suae, eius.
Dat.	*Az ő kints-é-nek.*	*Az ő nyil-á-nak.*
	Thesauro suo, eius.	Sagittae suae, eius.
Acc.	*Az ő kints-é-t.*	*Az ő nyil-á-t.*
	Thesaurum suum, eius.	Sagittam suam, eius.
Abl.	*Az ő kints-é-től.*	*Az ő nyil-á-tól.*
	A thesauro suo, eius.	A sagitta sua, eius.

b) Possessa singularia, Possessores plurales.

Nom.	*Az ő kints-ek.*	*Az ő nyil-ok.*
	Thesaurus suus, eorum.	Sagitta sua, eorum.
Gen.	*Az ő kints-ek-é.*	*Az ő nyil-ok-é.*
	Thesauri sui, eorum.	Sagittae suae, eorum.
Dat.	*Az ő kints-ek-nek.*	*Az ő nyil-ok-nak.*
	Thesauro suo, eorum.	Sagittae suae, eorum.
Acc.	*Az ő kints-ek-et.*	*Az ő nyil-ok-at.*
	Thesaurum suum, eorum.	Sagittam suam, eorum.

Abl.	*Az ö kints-ek-töl.* A thesauro suo, eorum.	*Az ö nyil-ak-tól.* A sagitta sua, eorum.

c) Possessa pluralia, Possessores singulares.

Nom.	*Az ö kints-ei.* Thesauri sui, eius.	*Az ö nyil-ai.* Sagittae suae, eius.
Gen.	*Az ö kints-ei-jé.* Thesaurorum suorum, eius.	*Az ö nyil-ai-jé.* Sagittarum suarum, eius.
Dat.	*Az ö kints-ei-nek.* Thesauris suis, eius.	*Az ö nyil-ai-nak.* Sagittis suis, eius.
Acc.	*Az ö kints-ei-t.* Thesauros suos, eius.	*Az ö nyil-ai-t.* Sagittas suas, eius.
Abl.	*Az ö ktnts-ei-töl.* A thesauris suis, eius.	*Az ö nyil-ai-tól.* A sagittis suis, eius.

d) Possessa pluralia, item et Possessores.

Nom.	*Az ö kints-ei-k.* Thesauri sui, eorum.	*Az ö nyil-ai-k.* Sagittae suae, eorum.
Gen.	*Az ö kints-ei-k-é.* Thesaurorum suorum, eorum.	*Az ö nyil-ai-k-é.* Sagittarum suarum, eorum.
Dat.	*Az ö kints-ei-k-nek.* Thesauris suis, eorum.	*Az ö nyil-ai-k-nak.* Sagittis suis, eorum.
Acc.	*Az ö kints-ei-k-et.* Thesauros suos, eorum.	*Az ö nyil-ai-k-at.* Sagittas suas, eorum.

Abl.	*Az ő kints-ei-k-től.*	*Az ő nyil-ai-k-tól.*
	A thesauris suis, eorum.	A sagittis suis, eorum.

2. OBSERVATIONES.

a. DE AFFIXIS PRONOMINIBVS

1) PRIMAE, ET SECVNDAE PERSONAE, VTRIVSQVE NVMERI.

a) VOCALI CRASSA.

Affixa pronomina vocali crassa duplicia notauimus, quae sunt personae primae, et secundae, in numero singulari, *om*, *od*, *am*, *ad*; duplicia item, quae sunt personae secundae in numero plurali, *otok*, *atok*; vnicum personae primae in eodem numero *unk*.

Affixa *om*, *od*, *otok*, frequentissima sunt: cum adhaereant nominibus, non solum *o*, vel *u*, sed etiam *a* vocalem sonantibus, iis certe omnibus, quibus formatiuum plurale *ok* accedere diximus.

Altera vero *am*, *ad*, *atok*, non ita crebra, iis tantum nominibus adnectuntur: quae indicauimus amica esse formatiuo plurali *ak*; quorundam vocalibus longis, vt illic monuimus, propter incrementum, et hic correptis.

Affixum *unk*, quia eandem retinet vocalem crassam, idem vtrisque adiicitur.

Exempla priorum sunt: *dob*, tympanum; *kos*, aries; *ponty*, carpio; *homok*, arena; *konkoly*, lolium, etc. *gúzs*, vimen tortum; *húr*, chorda; *lúg*, lixiuium; *hurút*, tussis; *koldús*, mendicus, etc.

hab, fluctus; *kan*, verres; *szám*, numerus; *sas*, aquila; *bálvány*, idolum; *kaláts*, torta, etc. Haec ita augentur affixis: *dob-om*, *dob-od*, *dob-otok*, *dob-unk*, etc. *gúzs-om*, *gúzs-od*, *gúzs-otok*, *gúzs-unk*, etc. *hab-om*, *hab-od*, *hab-otok*, *hab-unk*, etc.

Posteriorum vero sequentia: *láb*, pes; *nád*, arundo; *ágy*, lectus; *nyúl*, lepus; *fonál*, filum; *agár*, vertagus, etc. Haec ita accipiunt affixa: *láb-am*, *láb-ad*, *láb-atok*, *láb-unk*, etc. *fonal-am*, *fonal-ad*, *fonal-atok*, *fonal-unk*, etc.

b) VOCALI TENVI.

Duplicia sunt data affixa vocali etiam tenui; quae sunt personae primae, et secundae; in numero singulari, *em*, *öm*, *ed*, *öd*; aeque duplicia personae secundae in numero plurali, *etek*, *ötök*; vnicum personae primae in eodem numero, *ünk*.

Affixa *em*, *ed*, *etek*, sunt vsus latissimi. Altera *öm*, *öd*, *ötök*, adnectuntur plerisque nominibus, *ö*, et *ü* vocalem sonantibus: quae praesertim formatiuum plurale accipiunt in *ök*. Affixum *ünk* idem vtrisque commune est. Non paucorum vocales longae, propter incrementum, et hic corripiuntur.

Primi generis exempla sunt: *seb*, vulnus; *kés*, culter; *kert*, hortus; *tengely*, axis; *rekesz*, recipula, etc. *ész*, mens; *levél*, folium; *kenyér*, panis, etc. His affixa sic iunguntur: *seb-em*, *seb-ed*, *seb-etek*, *seb-ünk*, etc. *esz-em*, *esz-ed*, *esz-etek*, *esz-ünk*, etc.

Exempla secundi generis: *bőr*, corium, pellis; *gyöp*, herbetum; *gőz*, vapor; *lőts*, subscus currus; *ös*, auus; *öz*, dama; *ſzőr*, pilus; *tök*, cucurbita; *föld*, terra; *gyöngy*, gemma; *ölyv*, accipiter, etc. *köldök*, vmbilicus; *pöröly*, malleus; *göröngy*, gleba; *gyümölts*, fructus, etc. *nyüg*, pedica; *tsür*, horreum; *büz*, foetor; *kürt*, buccina; *füst*, fumus; *ezüst*, argentum, etc. Haec affixis ita increscunt: *bőr-öm*, *bőr-öd*, *bőr-ötök*, *bőr-ünk*. etc. *nyüg-öm*, *nyüg-öd*, *nyüg-ötök*, *nyüg-ünk*. etc.

2) SECVNDAE TANTVM PERSONAE PLVRALIS NVMERI.

Secundae pluralis personae affixum pronomen hodie cum nominibus, consona terminatis, frequentius adhibemus integrum; vt affixionem habeamus vocaliorem. Sed veteribus non videbatur durior huiusmodi nexus, prima vocali absorpta, cum syllabarum compendio: *ſzem-tek*, *bün-tök*, *hal-tok*, *nyom-tok*, oculus-vestri, peccatum-vestri, piscis-vestri, vestigium-vestri; qualia apud illos exempla recurrunt quam plurima. Legitur certe in vetusta Allocutione Funebri *ſzöm-tök*. Ita et in Codice MS. Transl. Bibl. *bün-tök* (Amos V. 6.) In quo et alia reperinntur non pauca, praeter morem hodiernum: *tü hely-tek* (Amos VI. 6.), locus-vestri; *tü beſzéd-tek-re* (Iudith VIII. 21.), ad eloquium-vestri; *tü akarat-tok-ban* (Iudith VIII. 13.), in arbitrium-vestri; *tü fejedelm-tek* (Dan. X. 21.): princeps-vestri.

Sunt

Sunt vero et nobis, tametsi pleraque vocaliota amemus, quaedam consonae simplices huius contractionis patientes.

a) Nominibus quidem in *s* purum desinentibus, praesertim disyllabis, et his prolixioribus, pronomen coniunctum esse volumus prima vocali absorpta mutilum: *inas-tok*, ephebus-vestri; *fzokás-tok*, consuetudo-vestri; *fzakadás-tok*, ruptio-vestri: *köles-tek*, milium-vestri; *kérés-tek*, petitio-vestri; *fzenvedés-tek*, passio-vestri.

b) Adhaeret praeterea satis constanter truncatum hoc pronomen et aliis nominibus in *tz*, *ts*, *g*, *k*, *l*, *ly*, *n*, *ny*, *p*, et *r*, aeque purum exeuntibus, praesertim productioribus: *ketretz-tek*, saginarium-vestri; *kukatz-tok*, vermis-vestri: *követs-tek*, scrupulus-vestri; *tanáts-tok*, consilium-vestri; *süveg-tek*, pileus-vestri; *tsillag-tok*, stella-vestri; *tzövek-tek*, vallus-vestri; *ablak-tok*, fenestra-vestri; *kengyel-tek*, stapes-vestri; *király-tok*, rex-vestri; *gereben-tek*, carminatorium-vestri, *katlan-tok*, lebes-vestri; *sövény-tek*, sepes-vestri; *dolmány-tok*, tunica vestri; *nép-tek*, populus-vestri; *nap-tok*, dies-vestri; *vezér-tek*, dux-vestri; *határ-tok*, limes-vestri.

Quae tamen et vocalius exprimi audiuntur: *ketretz-etek*, *kukatz-otok*, *követs-etek*, *tanáts-otok*, *süveg-etek*, *tsillag-otok*, *tzövek-etek*, *ablak-otok*, *kengyel-etek*, *asztal-otok*, *fzemély-etek*, *király-otok*, *gereben-etek*, *katlan-otok*, *sövény-etek*, *dolmány-otok*, *nép-etek*, *nap-otok*, *vezér-etek*, *határ-otok*.

c) Nomina, in simplicem consonam desinentia, quae praeeuntem vocalem longam acceptis incrementis a vocali inchoantibus in breuem mutant, legem eandem seruant aucta et hoc affixo integro: ex. gr. *fonal-atok*, *agar-atok*, *level-etek*, *kenyer-etek;* sed eo mutilato vocalem longam retinent, sicuti cum affixis a consona inchoantibus: *fonál-tok*, *agár-tok*, *levél-tek*, *kenyér-tek.*

3) TERTIAE TANTVM PERSONAE NVMERI VTRIVSQVE.

a) AFFIXVM PVRVM.

Tertiae personae affixum pronomen purum in numero singulari est *a*, *e*, etiam *i*, de *ő* puro, primigenio halitu neglecto: in numero autem plurali *ok*, *ek*, *ök*, de eodem pronomine plurali *ők.*

Nomina, in consonam desinentia, partem maximam contenta sunt his affixis puris. Assumunt ea congruenter vocalibus suis; de quo planae sunt iam leges ex prioribus.

(1) Tertiae singularis personae affixum pronomen *e*, tenuium vocalium nominibus adhaerescens, hoc tamen habet peculiare: vt, soni vicinitate, qua sunt inter se *e* et *i* vocales, olim in *i* abiisse conspiciatur in multis veterum exemplis, seruato valore singulari.

Est vero hoc quam frequentissime factum cum substantiuis absolutis, terminatione in *et*, quae de verbis oriuntur: ex. gr. *esméret*, cognitio, ab *esmér*, cognoscit; *eredet*, origo, ab *ered*, oritur,

etc. Haec ipsa occurrunt apud Telegdium, vt alios praeteream, cum *i* affixo pro *e*. *Valahon Kriſztusnak esméreti vagyon* (Part. II. pag. 117.); Vbicunque est Christi cognitio-eius. *Minden bünnek eredeti a' kevélység* (Ibid. pag. 403.); Omnis peccati origo-eius est superbia.

Sunt praeterea et alia nomina, cumprimis monosyllaba, aucta hoc *i* affixo pro *e*. Habet rursum Telegdius: *Semmi se éreztessék, hanem az Evangyeliomnak ízi* (Part. II. pag. 37.); Nihil sentiatur, nisi Euangelii gustus-eius. Apud eundem Telegdium: item Pazmánum, Káldium, aliosque, reperies et haec, quae sequuntur: *kegyelem ſzéki*, gratiae sedes-eius; *fegyver éli*, gladii acies-eius; *kenyérnek ſzüki*, panis charitas-eius; *ſzöri*, pilus-eius; *bötsi*, pretium-eies; *böjti*, ieiunium-eius; *hiti*, fides-eius; *tiſzti*, officium-eius; *közi*, interstitium, intercapedo-eius; *ſzívem közepi*, cordis-mei medium-eius.

(2) Idem affixum *e* post nomina vocalium oris rotundi, *ö*, et *ü*, ex consuetudine affixorum vocales nominum vocalibus accommodandi, apud vetustiores legitur etiam in *ö* mutatum; primigeniae formae suae hoc pacto plene restitutum, excepta quantitate, quae hoc vsu breuis est. Sic saepe recurrit in Codice MS. Transl. Bibl. *bün-ö*, pro *bün-e*, peccatum eius; *könyv-ö*, pro *könyv-e*, liber-eius.

(3) Deinde affixum plurale *ek*, cum iis etiam nominibus, quibus conuenienter adhaeret, saepe

recte mutatur in *ök*, ad clariorem differentiam status affixi a vulgari eorundem nominum numero plurali: ex. gr. recta sunt haec: *az embereknek életek*, hominum vita-eorum; *a' vitézeknek érdemek*, militum meritum-eorum; sed ista certe clariora: *az embereknek életök, a' vitézeknek érdemök;* possidentibus etiam nominatiuo expressis, *az emberek életök, a' vitézek érdemök.*

b) AFFIXVM HALITV *J* RESVSCITATO.

Affixum pronomen personae tertiae halitum obscurum *j*, sibi proprium, vt vidimus in origine, passim iam neglectum, post vocales tamen, et nonnullas consonas, et hodie resuscitat; estque, eo resumto, in numero singulari *ja*, *je*; in plurali vero *jok*, *jek*, *jök*.

Sed hic de consonis agimus, quae resuscitandum poscunt hunc halitum. Numerantur tales decem, secundum diuisionem ab organis loquelae sumtam: quatuor labiales, *b*, *f*, *m*, *p*; tres linguales, *d*, *t*, *n*; duae palatinae, *g*, *k*; et vna ex dentalibus, *r*. Quae tamen singulae non sunt omni exceptione immunes. Nam, quod primum notandum est, sunt harum pleraeque halitui *j* magis amicae in nominibus crassarum vocalium: deinde aliquae et hic ad exilem nominum numerum extensae; multo copiosioribus hunc halitum renuentibus. Tanto itaque diligentius connotanda erunt ista inprimis nomina pauciora, et a reliquorum longe maiore copia accuratius secernenda.

(1) Consonae *b*, et *p*, eiusdem fere soni. Vtraque halitui *j* omnium amicissima, praesertim in nominibus crassarum vocalium; nam in tenuibus sunt et hic deflexiones.

Exempla primi generis in *b*. *Bab*, faba; *bab-ja*, faba-eius; *bab-jok*, faba-eorum. Sic et reliqua: *hab*, fluctus, vnda; *rab*, captiuus; *zab*, auena; *darab*, frustrum; *dob*, tympanum; *báb*, pupa; *búb*, gibbus, tuber; *hasáb*, fissum, fissile; *nyaláb*, fascis; *tzomb*, femur; *gomb*, nodus; *galamb*, columba. Item, cum *b* comparatiui est formatiuum: *tifztább*, purior; *tifztább-ja*, purior eius. Excipitur vnicum *láb*, pes: *láb-a*, pes-eius; *láb-ok*, pes-eorum.

Sed nomina tenuium vocalium pleraque variant: *zseb*, loculus; *seb*, vulnus; *küfzöb* limen; *zseb-je*, et *zseb-e*, etc. In comparatiuis tamen *j* magis viget: *fejérebb*, albior; *fejérebb-je*, albior-eius. Deinde ex substantiuis *geréb*, agger, et villicus, mavult *geréb-je*.

Similiter et secundi generis exempla in *p*. *Tsap*, epistomium; *nap*, dies, sol; *pap*, sacerdos; *kalap*, galerus; *ifzap*, limus; *komp*, epibades; *kolomp*, crepitaculum; habent affixum cum halitu *j*: *tsap-ja*, *tsap-jok*, etc. Excipitur *ofzlop*, columna; et *talp*, planta: quae purum recipiunt, *ofzlop-a*, *talp-a*.

Sed tenuia pleraque reiiciunt *j*: *kép*, imago; *nép*, populus; *gyöp*, herbetum; *tserép*, testa; *közép*, medium; *kep-e*, *nép-e*, *gyöp-e*, *tserep-e*, *közep-e*. Quaedam assumunt: vt *pép*, pulmentum;

zsilip, canalis ligneus, aquaeductus: *pép-je*, *zilip-je.*

(2) Consona *f* tria memini nomina finiri: *tsúf*, substantiue sumtum, ludibrium; *kanaf*, taenia; de quibus sunt: *tsúf-ja*, ludibrium-eius; *kanaf-ja*, taenia-eius: deinde *réf*, vlna; sed hoc dat *réf-e*, vlna-eius.

(3) Neque in *m* multa exeunt nomina, quae quidem huc pertineant.

Ex iis, quae crassis sunt vocalibus: *hám*, helcium; *vám*, telonium; *villám*, fulgur; *som*, cornu: *hám-ja*, *hám-jok*, etc. Sed *szám*, numerus; *nyom*, vestigium; habent affixum purum; *szám-a*, *nyom-a*. Sic et alia, non paruo numero, in *lom* desidentia, quae assumtis affixis contrahi amant, et loco proprio exponentur.

De alteris vocalium tenuium vix sunt his plura: *gém*, ardea; *kém*, explorator; *hím*, mas, masculus; *gém-je*, *gém-jek*, etc. Alia halitum non ferunt: *nem*, genus; *szem*, oculus; *terèm*, thalamus, triclinium, aula; *tetem*, os, ossis. Et plurima in *lem* exeuntia, quae in affixione contrahuntur, loco aptiore proferenda.

Vehem, equuleus, pullus equi, vel asini; commune nobis vocabulum cum Hebraeis, vicina significatione, et consonantium hac ipsa collocatione; dum affixum accipit, postremas consonas transponit, *vem-he*. Sed puto et rectum casum sic potius esse, *vemeh*; de quo pronior est accusatiuus casus apud Káldium, *vemhet* (Matth. XXI. 2.), certe per contractionem; sicuti de nomine *tereh*

idem casus est *terhet;* quod vulgo solet aeque tsanspositis literis vsurpari in casu recto *teher.*

(4) Consonae *d*, et *t*, eiusdem fere soni. Vtraque halitui *j* valde amica, praesertim in nominibus crassarum vocalium. Nam in iis, quae tenuium sunt vocalium, hoc viget: vt pleraque eum quidem saepe assumant, sed eo saepius tamen careant, cumprimis, quae in *t* exeunt.

Exempla prioris ordinis in *d.* Prima crassarum vocalium: *had*, bellum; *vad*, fera, *kád*, cadus; *nád*, arundo; *híd*, pons; *lúd*, anser, *rúd*, temo; *kard*, ensis; *bárd*, ascia; *gond*, cura; *hold*, luna; *galand*, taeniola; *ſzomſzéd*, vicinus: eadem in statu affixo, *had-ja*, *vad-ja*, *kádja*, etc. Ex his tamen *had*, *vad*, *híd*, audiuntur et cum puro affixo: *had-a*, *vad-a*, *híd-a*, *Bánhida*, *Móritzhida*, vicorum nomina vetustissima, a ponte, Dominorum nominibus adiecto, sic dicta: Bani pons-eius; Mauritii pons-eius.

Altera tenuium vocalium: *tseléd*, familia; *beſzéd*, sermo; *ebéd*, prandium; *segéd*, auxilium; *rend*, ordo, series; *gerend*, tignum; *gerezd*, segmentum, stria; *föld*, terra, etc. quae omnia promiscue vsurpantur: *tseléd-je*, et *tseléd-e*; *beſzéd-je*, et *beſzéd-e*, etc.

Exempla posterioris ordinis in *t.* Prima vocalibus crassis: *tsat*, fibula; *gát*, agger per fluuium *bot*, baculus; *kút*, puteus; *sajt*, caseus; *lant*, lyra; *pánt*, canthus: *part*, ripa; *harmat*, ros; *garat*, catillus, infundibulum; *paraſzt*, rusticus; *pa-*

lást, pallium, etc. deinde omnia substantiua absoluta iu *at*, a verbis deriuata, qualia sunt: *bánat*, poenitudo; *falat*, bolus; *akarat*, voluntas; *indúlat*, motus, affectio, etc. quaeque horum halitum constanter accipiunt: *tsap-ja*, etc. *bánat-ja*, etc.

Excipitur *hát*, dorsum, *hát-a*. Deinde *út*, Káldio, et vetustioribus, vt in Codice MS. Transl. Bibl. in statu affixo est *út-a* (Baruch III. 12.); Pázmánus tamen cum halitu adhibet, *út-ja*.

Altera tenuium vocalium; *kert*, hortus; *ſzent*, sanctus; *rét*, pratum; *tiſzt*, officium; *fürt*, fasciculus; *kürt*, buccina: assumunt *j*: *kert-je*, *kert-jek*, etc. Deflectit *test*, corpus, *test-e*. Alia vero: *liget*, nemus; *ſziget*, insula; et omnia substantiua absoluta in *et*, a verbis deriuata, vt sunt: *ſzünet*, cessatio; *tünet*, empusa, spectrum; *tekíntet*, adspectus; *ſzeretet*, amor, etc. accipiunt quidem et halitum *j*, sed eo neglecto sunt tamen vsitatiora; *liget-je*, *liget-e*, etc. *ſzünet-je*, *ſzünet-e*, etc.

(5) Contona *n* familiaris est halitui *j* aeque tantum in nominibus crassarum vocalium: *ſzán*, traha; *kín*, cruciatus; *tsin*, modus, et elegantia, munditíes; *hon*, domus, habitaculum; *ón*, plumbum; *kappan*, capo; *ſzappan*, smigma; *katlan*, lebes; *paplan*, culcitra; *ſzattyán*, corium ouillum; *rokon*, agnatus, cognatus, etc. *ſzán-ja*, *kín-ja*, etc.

In iis vero, quae tenuinum sunt vocalium, prorsus reiicit: *ſzén*, pruna, carbo; *ſzín*, color, facies; *tehén*, vacca; *ködmön*, pellicium; *öſztön*, stimulus, etc. *ſzen-e*, *ſzín-e*, etc.

(6) Consonae *g*, et *k*, eiusdem prope soni. Assumit quidem vtraque halitum *j*; sed non pauca sunt tamen nomina, non modo tenuium, verum etiam crassarum vocalium, in quibus purum poscit affixum.

Exempla prioris ordinis in *g*. Prima vocalibus crassis: *harag*, ira; *hasag*, rutabulum; *iſzalag*, viburnum; *balog*, sinister, laeuus; *gyalog*, pedes; *lovag*, eques; *hang*, sonus; *harang*, campana; *barlang*, antrum; *láng*, flamma; *katáng*, solsequium; *husáng*, virga longior, etc. quae halitum constanter assumunt: *harag-ja*; *hasag-ja*, etc.

Quaedam variant: *tag*, membrum; *aſztag*, aceruus; *madzag*, resticula, funiculus; *maſzlag*, esca venenata; *parlag*, solum derelictum; *tsillag*, stella; *vályog*, later non coctus; *nadrág*, caligae; *virág*, flos; *tag-ja*, et *tag-a*; *aſztag-ja*, et, *aſztag-a*, etc.

Alia vero purum amant affixum: *ág*, ramus; *ſzag*, odor; *bog*, frons, frondis; *fog*, dens; *húg*, soror natu minor; *világ*, lux, orbis: item, quae contrahuntur in affixione, *dolog*, labor; *horog*, hamus: deinde nomina omnia deriuata accessione particulae *ság*: *boldogság*, beatitudo; *tiſztaság*, puritas; *imádság*, oratio, etc. *ág-a*, etc. *dolg-a*, etc. *boldogság-a*, etc.

Nomen *mag*, semen, in hac affixione resumit suum halitum *v* de forma vetusta *magu*, *magv*, sicut *daru*, *darv*, grus.

Altera tenuium vocalium nomina, praesertim monosyllaba: *ſzeg*, clauus, et angulus; *vég*, finis; *tsög*, astragalus; *kög*, circulus, et circus, *nyüg*, pediça, etc. item deriuata omnia accessione particulae *ség*: *édesség*, dulcedo; *feketeség*, nigredo; *nyereség*, lucrum, etc. gaudent vnice affixo puro: *ſzeg-e*, etc. *édesség-e*, etc.

Alia productiora, etsi halitum accipere possint, sunt tamen eo neglecto vsitatiora: *hideg*, frigus, *meleg*, calor; *föveg*, capitium; *süveg*, pileus; *üveg*, vitrum; *üſzög*, titio, et aerugo segetum, etc. *hideg-je*, et *hideg-e*; *föveg-je*, et *föveg-e*, etc.

Exempla posterioris ordinis in *k*. Prima vocalibus crassis: *mak*, glans; *mák*, papauer; *zsák*, saccus; *gyík*, lacerta; *tsík*, lamperta; *sík*, planities, item aluta inaurata; *tok*, theca; *pók*, aranea; *fiók*, loculus mensae, vel arculae; *alak*, pupa; *salak*, scoria; *sisak*, galea; *fánk*, frixum; *palánk*, vallum; *baratzk*, persicum; *palatzk*, lagena; *taratzk*, colubrina; affixum accipiunt constanter cum halitu *j*: *mak-ja*, *mák-ja*, etc.

Accedunt his terminata in *ék*: *ajándék*, donum; *nyomdék*, vestigium; *ſzándék*, propositum, *ſzurdék*, angulus; *hajlék*, tabernaculum, casa; *tajték*, spuma; *ágyék*, femen, lumbi; *árnyék*, vmbra; *játék*, lusus; *fazék*, olla: quae nonnullorum vsu, assumunt halitum *j*; sed eo tamen neglecto frequentius audiuntur: *ajándék-ja*, *et ajándék-a*, etc. Et quaedam horum cum puro potius affixo

vsurpanda esse patet ex forma alia; in qua ea, *é* acuto in *o* vel *a* breue mutato, olim erant magis familiaria: *ajándok*, *nyomdok*, *ſzándok*, *ſzurdok*, *hajlak*, *fazak*; et eadem puro gaudebant affixo: *ajándok-a*, etc. *hajlak-a*, etc. Habet Telegdius: *A' mi elménknek ſzándoka* (Part. III. pag. 701.): Mentis nostrae intentio.

Omittunt halitum *j* et sequentia: *ablak*, fenestra; *abrak*, pabulum, demensum auenae; *ajak*, labium; *patak*, riuus; cumprimis duo haec monosyllaba: *ok*, caussa, ratio; et *fok*, dorsum cultri, specula, cauerna; deinde quae in affixione contrahuntur: *torok*, guttur; *ſzitok*, maledictum, etc. *ablak-a*, etc. *ok-a*, etc. *tork-a*, etc.

Altera tenuium vocalium affixum exigunt purum: *ék*, cuneus; *fék*, fraenum; *lék*, hiatus in glacie; *ſzék*, sedes; *tök*, cucurbita, et scrotum; *kerék*, rota; *érték*, vis, facultas etc. deinde quae in affixione contrahuntur: *lélek*, anima; *étek*, cibarium, etc. *ék-e*, etc. *lelk-e*, etc.

Aliis, praesertim productioribus, adiicitur saepe halitus *j*; sed eo neglecto sunt tamen et haec multo vsitatiora: *telek*, praedium, herbetum, campus incultus; *tsövek*, fistuca; *örök*, haereditaria possesio; *festék*, color, tinctura: *mellyék*, laterale; *környék*, tractus, vicinia, circuitus; *vidék*, districtus, vicinia; *düledék*, ruina; *pöffedék*, tuberculum; *főzelék*, edulium coctum, etc. *telek-je*, et *telek-e*, etc.

Sed *tzenk*, caniculus, catellus; *tzölönk*, trunculus; *hüvelyk*, pollex, hallus: exposcunt affixum cum halitu: *tzenk-je*, etc.

(7) Restat *r* consona, quae est in nominibus crassarum tantum vocalium, iisque admodum paucis, amica halitui *j*: *kar*, brachium, et chorus; *ár*, inundatio; *zár*, pessulus, vectis; *závár*, idem significans; *sír*, sepulchrum; *zsír*, pinguedo; *bíbor*, byssus; *húr*, chorda; *kar-ja*, *ár-ja*, etc.

In aliis purum poscit affixum: *kár*, damnum; *ár*, pretium; *var*, porrigo; *vár*, arx; *sár*, lutum; *szár*, crus, tibia; *szar*, merdum; *bor*, vinum; *por*, puluis; *sor*, series; *úr*, dominus; *udvar*, aula, curia; *pitvar*, atrium; *sátor*, tentorium; *tábor*, castra; *komondor*, molossus; deinde in iis, quae accepta affixione contrahuntur: *bokor*, rubetum; *kapor*, anetum, etc. *kár-a*, *ár-a*, *vár-a*, *var-a*, etc. *bokr-a*, etc.

In quibusdam disyllabis, praeeunte longa vocali, nonnullorum vsu assumit halitum, potiorum tamen negligit: *határ*, limes; *hansár*, machaera; *hínár*, alga; *kalmár*, mercator; *kantár*, habena; *kaptár*, aluearium; *polgár*, ciuis; *posár*, carpio, *vásár*, nundinae: *határ-ja*, et *határ-a*, etc.

Sequentia vero, affixo puro increscentia, etiam corripiuntur: *agár*, vertagus; *kosár*, corbis; *madár*, auis; *mozsár*, mortarium; *pohár*, poculum; *súdár*, vel *súgár*, radius; *szamár*, asinus: *agar-a*, *kosar-a*, etc.

At in nominibus tenuium vocalium fere omnibus *r* consona reiicit halitum : *per*, lis ; *ser*, cereuisia ; *ſzer*, ordo, series ; *bér*, merces, pensio ; *vér*, sanguis ; *hír*, fama, rumor ; *őr*, specula, vigiliae; *ſzőr*, pilus ; *tzímer*, crista, signum scutarium ; *mester*, magister ; *tenger*, mare ; *heveder*, cingula, laterales ; *tzégér* index, signum : *per-e*, *ser-e*, *ſzer-e*, etc.

In quibusdam affixo puro increscentibus longa vocalis postrema corripitur : *kenyér*, panis ; *ſzekér*, currus ; *tenyér*, palmus, etc. *kenyer-e*, etc.

Nomina *tőr*, mucro, et *tsűr*, horreum, amiciora sunt halitui : *tőr-je*, *tsűr-je* ; audiuntur vero etiam sine eo : *tőr-e*, *tsűr-e*.

Nomen *fűr*, vt vulgo dicitur, coturnix, in affixione *fűrj-e*, halitum non accipit ab affixo pronomine ; sed proprium, pronunciandi mollitie neglectum, resuscitat : nam hoc et in recto casu sic est *fűrj*, vti et *eperj*, fragum ; *ſzederj*, morum ; quae tamen, ob *j* literae sonum leniorem, sic vulgo efferuntur, *eper*, *ſzeder*.

(8) Consona *l* non est inter illas, quae sunt *j* halitui amicae : occurrunt duo tamen nomina, in eam desinentia, quae affixum assumunt cum halitu : *tzél*, scopus, meta ; et *atzél*, chalybs ; *tzél-ja*, *atzél-ja*.

Mollis consona *ly*, eiusdem indolis, cuius est *l* durum, halitum pariter reiicit : *király*, rex, *királya* ; *ſzemély*, conspectus, persona, *ſzemély-e*.

In huiusmodi nominibus, crassarum cumprimis vocalium, nonnulli tamen *l* iam dudum geminare consueuerunt, quod et Pereſzlényius adnotauit, *királlya*, *ſzeméllye*, halitu *j*, loquendi mollitie, in proximum *ly* mutato; hodie, nostro more, qui orthographiam sequimur ad etymologiae leges exactam, *király-ja*, *ſzemély-je*. Sed huic vsui idem Pereſzlényius illico opposuit, Pázmáni, et Káldii auctoritatem; qui idem facere abstinuerunt.

Adnotauit ille et hoc fieri a nonnullis; an vero bene, praxi auctorum rectius doceri: vt in nominibus, *ny* molli terminatis, *tartomány*, regio, *bárány*; agnus, *n* aeque geminetur, *tartománnya*, *báránnya*, halitu *j*, eadem loquendi mollitie, et hic in *ny* proximum mutato; quae nos hodie accuratius ita scriberemus, *tartomány-ja*, *bárány-ja*. Cum *n* durum, in nominibus crassarum vocalium, amicum sit affixo halitum suum resuscitanti: ab hoc quidem neque *ny* molle abhorrere videtur, eiusdem vtpote indolis. Purum tamen affixum familiarius est nominibus tenuium vocalium, procul dubio et iis, quae desinunt in molle *ny*. Horum itaque similitudine et ea, quae crassarum sunt vocalium, idem affixum accipient: vt habeant et hanc possessiuam affixionem aequalem; sicuti habent terminationem partem maximam omnino eandem, per idem nempe affixum formatiuum, vocali tantum propter euphoniam mutata, *mény*, *mány*, *vény*, *vány*; quibus se accomodant et reliqua, licet aliter formata. Ista sic potius dicuntur cum af-

fixione: *ſzülemény-e*, partus-eius; *költemény-e*, fictio-eius; deinde *kelevény-e*, vlcus-eius; *ſzökevény-e*, transfuga-eius; item alia, *remény-e*, spes-eius; *edénye*, vas-eius. Similiter et altera: *tartomány-a*, regio-eius; *tudomány-a*, scientia-eius; *irtovány-a*, exstirpatus ager-eius; *tanítvány-a*, discipulus-eius; *bárány-a*, agnus-eius; *leány-a*, puella-eius. Sic etiam cum affixo plurali: *ſzülemény-ek*, *kelevény-ek*, etc. *tartomány-ok*, *tudomány-ok*, etc. Leuiculi sunt nimio claritatis studio: qui haec, ad apertam eorum differentiam a pluralibus simplicibus, vltro vtique ex sensu capiendam, affixo altero aucta esse volunt: *ſzülemény-jek*, *kelevény-jek*, etc. *tartomány-jok*, *tudomány-jok*, etc.

Fit porro et hoc, vt literae etiam sibilantes geminentur, halitu *j* in eas abeunte: *város-sa*, ciuitas-eius; *nemes-se*, nobilis-eius; *kaláſz-ſza*, spica-eius; *füréſz-ſze*, serra-eius; *kaláts-tsa*, torta-eius; *méts-tse*, ellychnium-eius; *vadótz-tza*, lolium-eius, etc. quasi ita essent cum suis affixis coniuncta: *város-ja*, *nemes-je*, *kaláſz-ja*, *füréſz-je*, *kaláts-ja*, *méts-je*, *vadótz-ja*, etc. Cuiusmodi affixionis exempla occurrunt certe apud veteres. Chirographum Andreae Vér, datum anno 1473, habet *más-ja*, par-eius, copia-eius. Quod postea, halitu in sibilum mutato, abiit in *más-sa*. Simile est Tinódianum: *Váláſz-jok ö nekik tsak imez kezde lenni* (G. 4.); Responsio-eorum tantum ista esse coepit.

Sed literae sibilantes non omnes accipiunt promiscue halitum *j*, licet euphoniae studio in sibi similem mutandum; vt hoc quidem complura docent nomina in casu recto vocali longa, quae postea breuis fit accepto incremento, puro nempe affixo: *éſz*, mens; *méſz*, calx; *kéz*, manus; *réz*, cuprum, etc. *eſz-e*, *meſz-e*, *kez-e*, *rez-e*: deinde et alia vocali breui, iam in statu absoluto, pariter et in affixo: *has*, venter; *vas*, ferrum; *böts*, pretium, aestimatio; *tsöts*, mamma; *abajdotz*, promiscuum, farrago; *ketrett*, saginarium, etc. *has-a*, *vas-a*, *böts-e*, *tsöts-e*, *abajdotz-a*, *ketretz-e*. His nos exemplis inducimur: vt cuique nomini, in sibilum desinenti, affixum purum iungamus.

Veterum auctoritas non multum nos potest mouere. Hi enim potissimum *s* consonam, aspere sibilantem, vsu praepostero geminarunt in aliis etiam vocibus, in quibus id facere non debuerant: ex. gr. *essö*, pluuia; *édessen*, dulciter; *hamissan*, inique, etc. Orthographiae ratio, a Bohemis, et Slauis accepta, communis etiam Illyriis, quemadmodum ex Fausto Verantio discimus, olim haec fuerat: vt *s*, soni asperi, quem Germani per combinationem ſch exprimunt, nobis geminato *ss* indicaretur, simplici tamen valore. Sed haec scriptio serius et ipsam pronunciationem inuexit sonantiorem, atque vna errores non paucos, qui etymologica euolutione defendi non possunt. In affixione possessiua est tamen aliquid, quod opituletur: halitus *j* affixi pronominis pars, cum sibilantibus in

easdem

easdem mutabilis; quod abusum tanto magis roborauit. Nos vero, propter aequabilitatem, vt supra indicauimus, malumus in omnibus purum adhibere affixum, quod vtique adhibetur in plerisque.

b. DE SEPARATIS PRONOMINIBVS, REBVS POSSESSIS PER PLEONASMVM PRAEMISSIS.

Licet nomina, solis affixis pronominibus aucta, iam plene sint in statu possessionis; genium tamen linguae nostrae notauimus eum esse: vt huiusmodi nominibus, affixione possessiua auctis, pronomina etiam separata praemittat, per pleonasmum non ingratum, ad maiorem euidentiam.

Est hoc nobis commune cum nonnullis gentibus lingua affinibus.

Lappones certe habent hunc morem: nisi quod pro separatis possessiua praemittant, ipsos nempe separatorum genitiuos. Lubet Ganandri verba adducere, et ea quidem e locis duobus (Sect. II. §. 16. not. 5. deinde Sect. III. §. 2. not. 1.). Primus haec habet: „Nulla nomina deprehendi carere statu affixo; — et „statu affixo pronomen possessiuum absolute positum „vsitate satis praemitti solet: vt *lodtadz*, auicula; *mu* „*lodtatzjam*, auicula mea; *tu lodtatzjad*, auicula tua; „*su lodtatzjes*, auicula eius." Sed locus alter clarior est: „Possessiua absolute praemittere, et nihilominus „suffixa adiungere solent, qui genium linguae attendunt. Egregie sententiam absoluunt nomina cum solis suffixis, non item omisso suffixo, et solummodo „possessiuo absolute praemisso. Omnium in hac re „accuratissimus est Dom. Martinus Lund. Interim in „concursu pronominum, vbi posterior rem quasi digi-

„to demonstrat, Lappones affixum omittere obseruaui: „vt *muo thaat lå pådnag*, meus hic est canis, pro „*muo pådnagam.*" Et hoc exemplum nostri moris est: quem iam principio memorauimus loco secundo de vsu possessiuorum separato: *enyém ez a' kutya*, dictum certe demonstratiue; aliter *az én kutyám.*

Vsum prorsus eundem exponit et Meninszkyus apud Turcas (Part. III. Cap. III.): „Sunt autem alia pro„nomina possessiua affixa, quae nomini cuiuis adii„ciuntur inseparabiliter. Circa quod sciendum inpri„mis, non nisi a plebe adhiberi possessiua illa supe„riora cum suo substantiuo immutato, et dici: *benüm* „*baba*, meus pater; *senün ana*, tua mater; *anün de*„*de*, eius auus. Exigitur ergo praeterea adiectio affi„xorum: — *benün babam* (meus pater-mei); *senün* „*baban* (tuus pater-tui); *anün babasi* (suus pater-„eius.), etc. Vbi obseruandum, haec affixa sufficere „absque pronominibus ipsis *benüm*, *senün*, *anün*, etc. „ad exprimendam illorum integram significationem: „nam *babam* per se significat pater meus; *baban*, pa„ter tuus; *babasi*, pater eius, et suus, etc."

Recurrit saepe haec geminatio in ipsa adeo lingua Hebraea, sed collocatione illi propria. Audiamus Schroederum in sua Syntaxi loquentem (Sect. II. Reg. 37. c.): „In pronomine affixo quando posita est prae„cipua alicuius dicti vis, et emphasis, ei addi solet „pronomen separatum eiusdem personae, generis, et „numeri: פִּגְרֵיכֶם אַתֶּם (*pigrêkhem attem*); *cadauera*-„*vestri*, *vestri* inquam (Num. XIV. 32.): אָבַד זִכְרָם הֵמָּה „(*âbad zikhram hêmmâ*); *periit memoria-eorum*, *eo*„*rum* inquam (Psalm. IX. 7.): בִּי־אֲנִי הֶעָוֹן (*bi ani* „*heghâon*; *in me*, *me* inquam, *crimen* est (I. Sam. „XXV. 24.)." Quae nos more nostro sic reddimus: *cadauera-vestri vestra; periit memoria-eorum sua; in interiore-mei meo crimen est.* Eadem collocatione Hun-

garica: *a' ti holt testeitek*, vestra cadauera-vestri; *el veſzett az ö emlekezetek*, periit sua memoria-eorum; *én bennem vagyon a' vétek*, in meo interiore-mei est crimen.

Vsus Turcicus, vt nostro respondet praemisso pronomini separato, ita eidem congruit etiam affixorum adiectione: et affixum quidem primae singularis personae prorsus idem est; tertiae quoque singularis personae affixum *i*, post vocalem vero accepto sibilo *si*, conuenit cum *ö*, *hö*, *jö*, primigenio halitu *h*, vti apud Lappones, in sibilum abeunte, *sö*. Persarum affixa aeque conspirant cum Lapponicis, proinde et cum nostris: *peder-em*, pater-mei; *peder-et*, pater-tui; *peder-es*, pater-eius.

Vt plebs Turcica sensim degenerat ab vsu affixorum; et erronee, gentium intermixtarum consuetudine, sola possessiua adhibet cum substantiuis: ita Esthones, longo cum Suecis, et Russis, commercio iunctos, iam penitus desciuisse nullus dubito. Nam, cum aliae gentes affines, Fenni nempe, et Lappones, affixis vtantur: iis et hos olim pariter vsos fuisse in aperto est. Nunc vero de hoc vsu meus quidem Hupelius altum tacet; et alium memorat tantum possessiuorum, more prorsus Europaeo: *minno*, vel *mo jummal*, mein Gott, Deus meus; *ſinno*, vel *ſo jummal*, dein Gott, Deus tuus; *temma*, vel *ta jummal*, sein Gott, Deus eius: sic etiam pluralia, *meie*, *teie*, *nende*; unser, euer, ihr; noster, vester, eorum.

Vsus nobis familiaris, quo praemittimus pronomina separata nominibus affixorum adiectione auctis, eo induxit et Molnárum, tanto procliuius et Pereſzlényium, vt errorem docerent. Prior enim sic loquitur (Libr. I. de Etym. Cap. XII. pag. 57.): „In tales possessiuas terminationes abeunt ista pro„nomina: singularia *övé*, ipsius; *tied*, tuus, a,

„um; *enyím*, meus, a, um; pluralia *övék*, *tie-*
„*tek*, *miénk*: quarum vocularum primae syllabae
„eliduntur in affixione, vel nomini, cui affixa sunt,
„praemittuntur: postremo vero, in declinatione in
„*nak*, *é* in *a* mutant: vt *ő faja*, id est *fa-övé*,
„lignum-ipsius; *te fád*, id est *fa-tied*, lignum-
„tuum; *én fám*, pro *fa-enyím*, lignum-meum: *te*
„*faid*, fit a plurali *fa-tieid*, ligna-tua. In declina-
„tione in *nék* retinetur *é*: vt *ő füve*, pro *fü-övé*,
„herba-eius, etc.“ Posterior vero haec habet (Part.
II. Cap. III. §. 1.): „In constructione substantiui
„cum possessiuis pronominibus, *enyim*, *tied*, *övé*,
„*miénk*, *tietek*, *övék*, non vtuntur Vngari sic in-
„tegris; sed diuidunt ea interposito substantiuo,
„ita, vt inter personales syllabas, et finales lite-
„ras, medium locum teneat substantiuum: v. g.
„*meus liber*, male dices *enyim könyv*; sed inter
„*én*, et *m* finale, interpone substantiuum *könyv*,
„sic *én-könyv-em*.“ Addit his alia: *te-könyv-ed*,
ö-könyv-e. Ex eius mente compleo ego reliqua: *mi-*
könyv-ünk, *ti-könyv-etek*, *ö-könyv-ök*. Notat sub-
inde: „aduerti posse — in hac diuisione pronomi-
„nis possessiui medias literas aliquam mutationem
„pati — haec pronomina possessiua reipsa esse
„ipsos genitiuos primitiuorum.“

Si hoc reuera ita faceret lingua nostra: possessionem quamque necessario sic semper efferret. Hoc tamen fieri vltro experimur, sic prorsus et nostro vsu, vti Lapponico, et Turcico: vt ad exprimendam possessionis integram significationem sola

affixa sufficiant; praefixis, seu *personalibus syllabis*, vt Pereſzlényius vocat, omnino neglectis. Quare, quae hoc valore accedunt *finales literae*, et ipsae pronomina sunt, sed *vocalia*, ipsa certe primigenia, varie mutata, vt nos clare iam euoluimus. Separata, affixorum accessione sic aucta, vt nomina alia, ipsa nempe possessiua nostra, quomodo etiam genitiuos praestent primitiuorum, satis et hoc explanauimus loco suo. Illud certe restat, quod nos docemus; separata pronomina affixis praemissa, praesertim cum pronomine etiam demonstratiuo, esse ad maiorem euidentiam, per pleonasmum hoc pacto gratum, et significantem.

c, DE FORMA NVMERI PLVRALIS IN STATV AFFIXO.

Pluralis numeri formam alteram, apud nos in sola affixione possessiua superstitem, vocalem scilicet *i*, quam vulgo multitudinis notam dicunt, eandem et praemissa vocali congruente auctam, *ei*, *ai*, iam satis exposui loco suo in numerorum explanatione.

Quando auctior accedit nominibus, solet iis iungi per *j* literam connectentem, post consonas, quae sunt huic halitui amicae: ex. gr. *zseb-jei*, *rét-jei*, *hab-jai*, *bot-jai*, etc. Post alias vero nuda adiicitur: ex. gr. *ſzék-ei*, *kög-ei*, *hal-ai*, *nyom-ai*, etc. Amissa vocali socia vtrisque nominibus simplicissime adnectitur; *zseb-i*, *rét-i*, etc. *ſzék-i*, *kög-i*, etc.

Cum affixorum vocalibus coalescit, vt iam saepe diximus, satisque probauimus, praedominante sono suo, cui tamen nulla datur mora ex concretione, vt solet aliis dari.

Perspicuitatis nimii curatores, qui omnem mentem ita vagam, vel debilem putant, vt differentiam ex sensu capere non possit, pluralis numeri formam simpliciorem in hac affixione possessiua, praesertim in casu recto, vitandam suadent; ne confusio oriatur cum adiectiuis eadem terminatione finitis. Nam *zsebi*, *réti*, etc. hac finitione sunt etiam adiectiua, *locularis*, *pratensis*, etc. non tantum substantiua pluralia in statu affixo, *loculi-eius*, *prata-eius*, etc.

Iidem putant haec, cumprimis a monosyllabis deducta, non recte sonare, *zsebi*, *réti*; ne reliqua quidem aliis affixis aucta, *zsebik*, *rétik*; *zsebid*, *rétid*; *zsebitek*, *rétitek*; *zsebim*, *rétim*; *zsebink*, *rétink*. Perperam et hoc. Cur enim non recte sonent ea; quae sunt recta per ipsas linguae regulas?

Antiquitas nostra in his quidem, neque confusionem, neque sonum metuit non rectum. Codex MS. Transl. Bibl. habet similia in casu recto, omnino a monosyllabis deducta; *Urnak napi*, *és éji*; *Urnak jegi*, *és ködi*; *Urnak hegyi*, *és völgyi*; *Urnak minden barmi*, *és vadi*; *Urnak papi jól mondjatok Urnak ditsérettet*: *Királynak minden böltsi* (Dan. III. 70, 71, 81, 84, deinde V. 8.): Domini dies-eius, et noctes-eius; Domini glacies-eius, et nebulae-eius; Domini montes-eius, et valles-eius; Domini omnia pecora-eius, et ferae-eius; Domini sacerdotes-eius bene dicite Domino

laudem: Regis omnes sapientes-eius. Sic adhibet multa alia de polysyllabis: *Mennynek tsillagi; Urnak villámati, forrási, tengeri* (Dan. III. 63, 73, 77, 78.): Coeli stellae-eius; Domini fulgura-eius, fontes-eius, maria-eius. Frequentia sunt exempla in casibus obliquis, et assumtis postpositionum particulis, cum affixis etiam reliquis: *Ő levelit el rázjátok, és ő gyimöltsit el tékozljátok* (Dan. IV. 11.): Excutite folia-eius, et dispergite fructus-eius. *Mü papinknak, mü királyinknak* (Baruch I. 16.): Sacerdotibus-nostris, regibus-nostris. *Atyádnak napibán* (Dan. V. 11.): In diebus patris tui. *Mü büninknél kisebb gyötrelmek* (Iudith VIII. 27.): Peccatis nostris minora supplicia.

Produci possunt et alia exempla copiosissima Scriptorum recentiorum. De his nunc vnus nobis sufficiat Káldius. Ex eo sunt, quae profero: *az égnek tsillagi*, coeli stellae-eius; *az égnek oſzlopi*, coeli columnae-eius; *meg nyitná az ajakit*, aperiret labia-eius; *az angyalidban gonoſzságot találtál*, in angelis tuis inuenisti iniquitatem; *oldaliról le függ a' háj*, de lateribus-eius dependet aruina; *ki tette a' pénzt a' mí erſzényinkbe?* quis posuit pecuniam in marsupia nostra?

Pluralis forma mutilata status constructi superest in lingua Hebraea, eiusque sororibus, vsu latiore, in statu etiam affixo pronominum, nisi quod hic י (*jod*), nota multitudinis, saepe quiescat in praecedente vocali longa.

EXEMPLVM

Hebraicum.	Chaldaicum.	Arabicum.
דְּבָרִים	מַלְכִין	עַבְדוּן
(*debârim*)	(*malkhin*)	(*abduni*)
Verba.	Reges.	Serui.

דברי	מלכי	עבדי
(*debârai*)	(*malkhai*)	(*abdij*)
Verba-mei.	Reges-mei.	Serui-mei.
דבריך	מלכיך	עבדיך
(*debâreikhâ*)	(*malkhaikh*)	(*abdikh*)
Verba-tui.	Reges-tui.	Serui-tui.
דבריו	מלכוהי	עבדיה
(*debârâiv*)	(*malkhôhi*)	(*abdihu*)
Verba-eius.	Reges-eius.	Serui-eius.
דברינו	מלכנא	עבדינא
(*debârênu*)	(*malkhânâ*)	(*abdina*)
Verba-nostri.	Reges-nostri.	Serui-nostri.
דבריכם	מלכיכון	עבדיכון
(*dibrêkhem*)	(*malkhaikhon*)	(*abdikhun*)
Verba-vestri.	Reges-vestri.	Serui-vestri.
דבריהם	מלכיהון	עבדיהום
(*dibrêhem*)	(*malkhêhon*)	(*abdihum*)
Verba-eorum.	Reges eorum.	Serui-eorum.

In lingua Fennica, et Lapponica, status constructi forma pluralis assumit, vt iam vidimus, vel ipsa casuum formatiua, et reliquas particulas postpositiuas. Et cum affixa pronomina formatis casibus, natisque per adiectas particulas terminationibus aliis, prorsus a fine adiici soleant; manet hoc ipso eadem forma pluralis.

In lingua quidem Lapponica sic ista exhibent Lindahlius, et Oehrlingius. Conuenit cum his et Ganander. Sed quae de recto casu plurali notant: mihi certe vitia esse videntur, contracta ex lingua Suecica.

Simplex Pluralis.		Cum Affixis Pronominibus.		
Nom.	*Attjeh.* Patres.	*Mo ottjeh.* Patres mei.	*To attjeh.* Patres tui.	*Attjehse.* Patres eius.
Gen.	*Attji.* Patrum.	*Attjine.* Patrum meorum.	*Attjit.* Patrum tuorum.	*Attjis.* Patrum eorum.
Dat.	*Attjit.* Patribus.	*Attjitan.* Patribus meis.	*Attjitat.* Patribus tuis.	*Attjites.* Patribus eorum.
Acc.	*Attjit.* Patres.	*Attjitan.* Patres meos.	*Attjttat.* Patres tuos.	*Attjites.* Patres eorum.
Abl.	*Attjist.* A Patribus.	*Attjistan.* A Patribus meis.	*Attjistat.* A Patribus tuis.	*Attjistes.* A Patribus eorum.
Loc.	*Attjisne.* In Patribus.	*Attjisnan.* In Patribus meis.	*Attjisnat.* In Patribus tuis.	*Attjisnes.* In Patribus eorum.
Fact.	*Attjin.* In Patres.	*Attjinan.* In Patres meos.	*Attjinat.* In Patres tuos.	*Attjines.* In Patres eorum.

Haec affigendi ratio, si cum nostra comparetur, inuersa est. Nos enim nomini possesso adnectimus primum affixa pronomina, illi postea his aucto iungimus formatiua casuum, aliasque postpositiones; Lappones contra addunt prius casuum formatiua, et alias postpositiones, postea vero affixa pronomina. Sed hoc nihil nos impedit. Forma pluralis status constructi, de qua agimus, quaeque apud nos hodie in sola affixione possessiua superest, viget certe et hoc vsu tam apud Lappones, quam apud Hebraeos, aliosque.

B. AFFIXIO POSSESSIVA.

AD NOMINA IN CONSONAM DESINENTIA RADICE CONTRACTA.

1. PARADIGMATA.

a. NOMINA ABSOLVTA

Singularia.

Érzelem.	*Köröm.*	*Siralom.*	*Barom.*
Sensus.	Vnguis.	Fletus.	Pecus.

Eadem Contracta.

Érzelm.	*Körm.*	*Siralm.*	*Barm.*

Pluralia.

formatione antiqua status construeti.

Érzelm-i, et *Érzelm-ei.*	*Körm-i*, et *Körm-ei.*	*Siralm-i*, et *Siralm-ai.*	*Barm-i*, et *Barm-ai.*
Sensus.	Vngues.	Fletus.	Pecora.

b. EADEM IN STATV AFFIXO.

1) Possessa singularia, item et Possessores.

Érzelm-em.	*Körm-öm.*	*Siralm-am.*	*Barm-om.*
Sensus-mei.	Vnguis-mei.	Fletus-mei.	Pecus-mei.
Érzelm-ed.	*Körm-öd.*	*Siralm-ad.*	*Barm-od.*
Sensus-tui.	Vnguis-tui.	Fletus-tui.	Pecus-tui.
Érzelm-e.	*Körm-e.*	*Siralm-a.*	*Barm-a.*
Sensus-eius.	Vnguis-eius.	Fletus-eius.	Pecus-eius.

2) Possessa singularia, Possessores plurales.

Érzelm-ünk.	*Körm-ünk.*	*Siralm-unk.*	*Barm-unk.*
Sensus-nostri.	Vnguis-nostri.	Fletus-nostri.	Pecus-nostri.
Érzelm-etek.	*Körm-ötök.*	*Siralm-atok.*	*Barm-otok.*
Sensus-vestri.	Vnguis-vestri.	Fletus-vestri.	Pecus-vestri.
Érzelm-ek.	*Körm-ök.*	*Siralm-ok.*	*Barm-ok.*
Sensus-eorum.	Vnguis-eorum.	Fletus-eorum.	Pecus-eorum.

3) Possessiua pluralia, Possessores singulares.

Érzelm-i-m,	*Körm-i-m*,	*Siralm-i-m*,	*Barm-i-m*,
Érzelm-ei-m.	*Körm-ei-m.*	*Siralm-ai-m.*	*Barm-ai-m.*
Sensus-mei.	Vngues-mei.	Fletus-mei.	Pecora-mei.
Érzelm-id,	*Körm-i-d*,	*Siralm-i-d*,	*Barm-i-d*,
Érzelm-ei-d.	*Körm-ei-d.*	*Siralm-ai-d.*	*Barm-ai-d.*
Sensus-tui.	Vngues-tui.	Fletus-tui.	Pecora-tui.
Érzelm-i,	*Körm-i*,	*Siralm-i*,	*Barm-i*,
Érzelm-ei.	*Körm-ei.*	*Siralm-ai.*	*Barm-ai.*
Sensus-eius.	Vngues-eius.	Fletus-eius.	Pecora-eius.

4) Possessa pluralia, item et Possessores.

Érzelm-i-nk,	*Körm-i-nk*,	*Siralm-i-nk*,	*Barm-i-nk*,
Érzelm-ei-nk.	*Körm-ei-nk.*	*Siralm-ai-nk.*	*Barm-ai-nk.*
Sensus-nostri.	Vngues-nostri.	Fletus-nostri.	Pecora-nostri.
Érzelm-i-tek,	*Körm-i-tek*,	*Siralm-i-tok*,	*Barm-i-tok*,
Érzelm-ei-tek.	*Körm-ei-tek.*	*Siralm-ai-tok.*	*Barm-ai-tok.*
Sensus-vestri.	Vngues-vestri	Fletus-vestri.	Pecora-vestri.
Érzelm-i-k,	*Körm-i-k*,	*Siralm-i-k*,	*Barm-i-k*,
Érzelm-ei-k.	*Körm-ei-k.*	*Siralm-ai-k.*	*Barm-ai-k.*
Sensus-eorum.	Vngues-eorum.	Fletus-eorum.	Pecora-eorum.

2. OBSERVATIONES.

Nomina, quae contrahi amant, copiosius producta sunt in eorundem declinationibus: altera prolixiora; altera simpliciora. Quas illic vocales magis familiares habet formatiuum numeri pluralis; eaedem et hic redeunt in affixis pronominibus.

a. NOMINA PROLIXIORA.

Prolixiora scilicet nomina vocalium crassarum, duplici formatiuo *al-om* nata, affixa pronomina sin-

gularia constanter accipiunt cum *a* vocali, *am*, *ad*, *a*; sic etiam plurale personae secundae, *atok*; sed tertiae cum *o* vocali, *ok*.

Alia vero vocalium tenuium, per formatiuum *el-em*, assumunt affixa singula cum *e* vocali: *em*, *ed*, *e*, *etek*, *ek*.

b. NOMINA SIMPLICIORA:

Simpliciora nomina vocalium crassarum habent affixum pronomen singulare personae tertiae idem semper *a* purum; alia vero constanter cum *o* vocali: *om*, *od*, *otok*, *ok*.

Quae tenuium sunt vocalium, accipiunt et haec affixum pronomen singulare personae tertiae perpetuo idem *e* purum: sed reliquorum vocales suis vocalibus accommodant. Quae vocalem *e* sonant, eandem habent et in affixis, *em*, *ed*, *etek*, *ek*; quae vero *ö*, et *ü*, vocalibus gaudent, in affixis *ö* amant, *öm*, *öd*, *ötök*, *ök*.

Vtraque in paradigmatibus clare vidimus. Ad vberiorem afxionis exercitationem resumi possunt exempla data in nominum declinationibus.

C. AFFIXIO POSSESSIVA
AD NOMINA PVRA VOCALI TERMINATA.

1. PARADIGMATA.

a. VOCALIVM TENVIVM.

1) NOMINA ABSOLVTA.

Singularia.

Serge.	*Szérő*.	*Gyűrü*.	*Földi*.
Siparium.	Area.	Annulus.	Conterraneus.

Pluralia.

formatione antiqua status constructi.

Sergé-i.	*Szérö-i.*	*Gyürü-i.*	*Földi-i.*
Siparia.	Areae.	Annuli.	Conterranei.

2) EADEM IN STATV AFFIXO.

a) Possessa singularia, item et Possessores.

Sergé-m.	*Szérö-m.*	*Gyürü-m.*	*Földi-m.*
Siparium-mei.	Area-mei.	Annulus-mei.	Conterraneus-mei.
Sergé-d.	*Szérö-d.*	*Gyürü-d.*	*Földi-d.*
Siparium-tui.	Area-tui.	Annulus-tui.	Conterraneus-tui.
Sergéje.	*Szérö-je.*	*Gyürü-je.*	*Földi-je.*
Siparium-eius.	Area-eius.	Annulus-eius.	Conterraneus-eius.

b) Possessa singularia, Possessores plurales.

Sergé-nk.	*Szérö-nk.*	*Gyürü-nk.*	*Földi-nk!*
Siparium-nostri.	Area-nostri.	Annulus-nostri.	Conterraneus-nostri.
Sergé-tek.	*Szérö-tök.*	*Gyürü-tök.*	*Földi-tek.*
Siparium-vestri.	Area-vestri.	Annulus-vestri.	Conterraneus-vestri.
Sergé-jek.	*Szérö-jök.*	*Gyürü-jök.*	*Földi-jek.*
Siparium-eorum.	Area-eorum.	Annulus-eorum.	Conterraneus-eorum.

c) Possessa pluralia, Possessores singulares.

Sergé-i-m.	*Szérö-i-m.*	*Gyürü-i-m.*	*Földi-i-m.*
Siparia-mei.	Areae-mei.	Annuli-mei.	Conterranei-mei.
Sergé-i-d.	*Szérö-i-d.*	*Gyürü-i-d.*	*Földi-i-d.*
Siparia-tui.	Areae-tui.	Annuli-tui.	Conterranei-tui.

Sergé-i.	*Szérö-i.*	*Gyürü-i.*	*Földi-i.*
Siparia-eius.	Areae-eius.	Annuli-eius.	Conterranei-eius.

d) Possessa pluralia, item et Possessores.

Sergé-i-nk.	*Szérö-i-nk.*	*Gyürü-i-nk.*	*Földi i-nk.*
Siparia-nosri.	Areae-nostri.	Annuli-vestri.	Contarranei-nostri.
Sergé-i-tek.	*Szérö-i-tek.*	*Gyürü-i-tek.*	*Földi-i-tek.*
Siparia-vestri.	Areae-vestri.	Annuli-vestri.	Contarranei-vestri.
Sergé-i-k.	*Szérö-i-k.*	*Gyürü-i-k.*	*Földi-i-k.*
Siparia-eorum.	Areae-eorum.	Annuli-eorum.	Conterranei-eorum.

b. VOCALIVM CRASSARVM.

1) NOMINA ABSOLVTA.

Singularia.

Példa.	*Olló.*	*Tálgyú.*	*Kapzsi.*
Exemplum.	Forfex.	Struma.	Rapina.

Pluralia

formatione antiqua status constructi.

Példá-i.	*Olló-i.*	*Tálgyú-i.*	*Kapzsi-i.*
Exempla.	Forfices.	Strumae.	Rapinae.

2) EADEM IN STATV AFFIXO.

a) Possessa singularia, item et Possessores.

Példá-m.	*Olló-m.*	*Tálgyú-m.*	*Kapzsi-m.*
Exemplum-mei.	Forfex-mei.	Struma-mei.	Rapina-mei.
Példá-d.	*Olló-d*	*Tálgyú-d.*	*Kapzsi-d.*
Exemplum-tui.	Forfex-tui.	Struma-tui.	Rapina-tui.

Példá-ja.	*Olló-ja.*	*Tálgyú-ja.*	*Kapzsi-ja.*
Exemplum-eius.	Forfex-eius.	Struma-eius.	Rapina-eius.

b) Possessa singularia, Possessores plurales.

Példá-nk.	*Olló-nk.*	*Tálgyú-nk.*	*Kapzsi-nk.*
Exemplum-nostri.	Ferfex-nostri.	Struma-nostri.	Rapina-nostri
Példá-tok.	*Olló-tok.*	*Tálgyú-tok,*	*Kapzsi-tok.*
Exemplum-vestri.	Forfex-vestri.	Struma-vestri.	Rapina-vestri.
Példá-jok.	*Olló-jok.*	*Tálgyú-jok.*	*Kapzsi-jok.*
Exemplum-eorum.	Forfex-eorum.	Struma-eorum.	Rapina-eorum.

c) Possessa pluralia, Possessores singulares.

Példá-i-m.	*Olló-i-m.*	*Tálgyú-i-m.*	*Kapzsi-i-m.*
Exempla-mei.	Forfices-mei.	Strumae-mei.	Rapinae-mei.
Példá-i-d.	*Olló-i d.*	*Tálgyú-i-d.*	*Kapzsi-i-d.*
Exempla-tui.	Forfices-tui.	Strumae-tui.	Rapinae-tui.
Példá-i.	*Olló-i.*	*Tálgyú-i.*	*Kapzsi-i.*
Exempla-eius.	Forfices-eius.	Strumae-eius.	Rapinae-eius.

d) Possessa pluralia, item et Possessores.

Példá-i-nk.	*Olló-i-nk.*	*Tálgyú-i-nk.*	*Kapzsi-i-nk.*
Exempla-nostri.	Forfices-nostri.	Strumae-nostri.	Rapinae-nostri.
Példá-i-tok.	*Olló-i-tok.*	*Tálgyú-i-tok.*	*Kapzsi-i-tok.*
Exempla-vestri.	Forfices-vestri.	Strumae-vestri.	Rapinae-vestri.
Példá-i-k.	*Olló-i-k.*	*Tálgyú-i-k.*	*Kapzsi-i-k.*
Exempla-eorum.	Forfices-eorum.	Strumae-eorum.	Rapinae-eorum.

1. OBSERVATIONES.

a. DE CONCRETIONE VOCALIVM.

Legem illam, nobis iam saepe repetitam, et adhuc repetendam, praesertim in exacta personarum formatione, qua vocales affixorum coalescunt cum affixorum vocalibus, vberius vidimus in his exemplis.

Nam et affixa pronomina, personae certe primae, et secundae, sic accesserunt nominibus pura vocali terminatis: prima rudi affixione integra; deinde vocalibus accommodatis; his tandem concretis: *serge-em*, *sergé-m*; *példa-em*, *példa-am*, *példá-m*; *serge-ed*, *sergé-d*; *példa-ed*, *példa-ad*, *példá-d*; *serge-ünk*, *serge-enk*, *sergé-nk*; *példa-ünk*, *példa-unk*, *példa-ank*, *példá-nk*; *serge-etek*, *sergé-tek*; *példa-etek*, *példa-atok*, *példá-tok*. Sola affixa pronomina personae tertiae, et ea quidem nominibus adnexa numeri tantum singularis, resuscitant halitum primigenium; *sergé-je*, *sergé-jek*; *példá-ja*, *példá-jok*, etc. etiam post *i* vocalem: *föl-di-je*, *földi-jek*; *kapzsi-ja*, *kapzsi-jok*.

Sed et ista coniuncta cum nominibus numeri iam pluralis, qui hoc solo vsu formatur adiecta *i* vocali, nota multitudinis, neglecto halitu ipsam etiam vocalem, vt reliqua, accommodatam coalescere, vel absorberi, volunt. Certe *sergé-i*, *példá-i*, sunt contracta de prioribus *sergé-i-i*, *példá-i-i*, accommodata scilicet vocali pronominis, quod prima rudi affixione integrum fuit, *sergé-i-ö*, *példá i-ö*. Sic etiam *sergé-i-k*, *példá-i-k*, contracta de proximis

mis. *sergé-i-k*, *példá-i-k*; haec vero ita accommodata de primis omnium, *sergé-i-ök*, *példá-i-ök*. Simili modo sunt et reliqua chalita; *sergé-i-em*, *sergé-i-im*, *sergé-i-m*; *peldá-i-em*, *példá-i-im*, *példá-i-m*; *sergé-i-ed*, *sergé-i-id*, *sergé-i-d*; *példá-i-ed*, *példá-i-id*, *példá-i-d*; *sergé-i--ünk*, *sergé-i-ink*, *sergé-i-nk*: *peldá-i-unk*, *példá-i-ink*, *példá-i-nk*; *sergé-i-etek*, *sergé-i-itek*, *sergé-i-tek*; *példá-i-atok*, *példá-i-itok*, *példá-i-tok*.

b. DE AFFIXIONIBVS SINGVLARIBVS.

1) AD NOMINA IN *A*, ET *E*.

Quaedam cognationum nomina in *a*, et *e*, qua sunt terminatione et hodie, et olim erant: *atya* nempe, et *apa*, vtrumque pater; deinde *anya*, mater; *bátya*, frater natu maior; *ötse*, frater natu minor; *néne*, soror natu maior; aliquando regularem habebant affixionem pronominis personae tertiae. Legitur apud Komjáthium exemplum singulare: *a' válaſztás ſzerént ſzerelmetesek az ö atyájokért* (G. viij.): secundum electionem amabiles propter patrem-suum. Si ab *atya* recta affixione fuit *atyá-jok*, fuit certe et *atyá-ja*; sic et reliqua, *apá-a*, *apájok*; *anyá-ja*, *anyá-jok*; *bátyá-ja*, *bátyá-jok*; *ötsé-je*, *ötsé-jek*; *néné-je*, *néné-jek*. Sed haec, iam dudum vel per syncopen contracta dicuntur, expuncta nominum vocali posteriore: *aty-ja*, *aty-jok*; *ap-ja*, *ap-jok*; *any-ja*, *any-jok*; *báty-ja*, *báty-jok*; *öts-je*, et *j* in sibilum abeunte, *öts-tse*, *öts-tsök*; *nén-je*, *nén-jek*: vel supersunt a forma

alia simpliciore, olim promiscue vsitata, vocali in fine absorpta: *aty*, *ap*, *any*, *báty*, *öts*, *nén*. Sunt enim talia et hodie: *ip*, socer; *nap*, socrus; *húg*, soror minor natu: quibus, vsu quidem nostro, affixum pronomen purum accedit: *ip-a*, socer-eius; *nap-a*, socrus-eius; *húg-a* soror-eius. Videntur tamen et haec olim formam habuisse duplicem, etiam auctiorem alteram, adiecta in fine vocali, *ipa*, *napa*, *húga*. Nam ex vetustioribus Lucas Pétsius *socrum-eius* sic exprimit *napá-ja: midőn látná napáját hideglelésben fekünni* (pag. 77.): cum videret socrum-eius febri decumbentem. Item Telegdius *socerum-eius* dicit *ipá-ja* (Part. III. pag. 586.). Frequens est apud vulgum et sororis compellatio cum affixo primae personae pronomine, *húgá-m*! soror-mea! quod tamen pars potior *húg-om* dicit, a simpliciore *húg*. Audiuntur vero vel nostra aetate et alia quaedam nomina forma duplici: *méh* certe, apis, et *parázs*, pruna, fauilla, in quibusdam partibus est *méhe*, *parázsa*; eadem affixo pronomine increscentia, *méhé-je*, *parázsá-ja*.

2) AD NOMINA IN *Ó*.

De nominibus, quae in *ó* desinunt, et longiora sunt monosyllabis, duo memini notanda esse. *Bíró*, iudex, assumtis affixis, vocalem *ó* in *á* mutat: *bírá-m*, *bírá-d*, *bírá-ja*, etc. *Ajtó*, ianua, cum affixo tertiae tantum personae mutat *ó* in breue *a*: *ajtó-m*, *ajtó-d*; *ajta-ja*, etc.

3) AD NOMINA IN *Ő*.

Nomina *ő* vocali terminata, et longiora monosyllabis, assumtis tertiae personae affixis pronominibus, hoc suum *ő* longum partem maximam mutant in *e* breue: vt paucissima sint, quae id productum constanter retineant; aut, quae rariore vsu sic etiam proferuntur, gratius tamen sonant, mutata, et correpta vocali. Exempla sunt: *erő*, vis, robur; *ere-je*, vis eius; *ere-jek*, vis eorum; sic et reliqua: *erdő*, silua; *idő*, tempus; *tető*, apex, fastigium; *tüdő*, pulmo; *mező*, campus; *velő*, medulla; *veſzſző*, virga; *eſztendő*, annus; etiam *kettő*, duo; et *elő*, principium, primus, etc. Accedunt his et monosyllaba, tria tantum: *fő*, caput, princeps; *nő*, coniux; et *vő*, gener: quae his affixis eodem modo augentur; *fe-je*, *ne-je*, *ve-je*; *fe-jek*, *ne-jek*, *ve-jek*.

Sed probe notandum est, ad horum classem non venire participia, ne ea quidem, quae nominum valore sumuntur: ex. gr. *ſzerető*, amator; *kérő*, procus, etc. Nam his affixa semper integra vocali iunguntur: *ſzerető-je*, *kérő-je*, *ſzerető-jök*, *kérő-jök*, etc.

4) AD NOMINA IN *U*, ET *Ü*.

Sunt quaedam de nominibus in *u* desinentibus, quae suum hoc *u* in *v* mutant; vt *daru*, grus; *hamu*, cinis; *ſzaru*, cornu: *darv*, *hamv*, *ſzarv*. Istae horum formae accipiunt pronomina affixa: *darv-a*, *darv-ad*, *darv-am*, etc. Huc pertinet et *mag*, se-

men, antiqua forma *magu*, *magv*; vnde *magv-a*. Tale fuisse olim et *falu*, pagus, vicus, clare patet e compositis vicorum nominibus: *Benedekfalva*, *Aſzſzonyfalva*, etc. Benedicti vicus-eius, Dominae vicus-eius, etc. Ea est indole et *ü* in nomine *tetü*, pediculus; *tetv-e*, *tetv-ed*, *tetv-em*, etc.

In quibusdam vero *ú* vocalem absorbet affixorum pronominum vocalis *a* directe alternans, etiam *o* tertiae pluralis personae: vti *fiú*, filius, *fi-a*, *fi-ad*, *fi-am*, *fi-ok*, *fi-atok*, *fi-unk*; sic et alia: *fagygyú*, saebum; *fatytyú*, spurius; *gyapjú*, lana, vellus; *sarjú*, cordum. Putatur et *hoſzſzú*, longus, substantiue sumtum pro longitudine, affixum pronomen tertiae personae sic accipere, *hoſzſz-a*, longitudo-eius. Sed hoc est potius a monosyllabo *hoſzſz*, substantiuo iam exoleto, *hoſzſz-a*; vel certe ab *hoſz*, simplici *ſz*, cui affixum pronomen cum resuscitato halitu connectitur, *hoſz-ja*, quod post literas sibilantes aeque in sibilum abit, *hoſz-ſza*. *Boltsú*, indulgentia, olim pariter et monosyllabum *bults*, et *bolts*, in vsu fuisse docent vicorum nomina. Huic ergo accessit affixum pronomen purum, *bults-a*, *bolts-a*, vt est in Precum Libro MS. *Ez imádságnak ennyé boltsa vagyon*: Haec oratio tantam indulgentiam habet. Cui in eodem libro additur alibi et *j* resuscitatum, *bolts-ja*.

D. AFFIXIO POSSESSIVA AD NOMINA IN VOCALEM DESINENTIA HALITV *V* IN EA QVIESCENTE.

1. PARADIGMATA.

a NOMINA ABSOLVTA.

Singularia.

Ló.	*Szó.*	*Kő.*	*Mű.*
Equus.	Verbum.	Lapis.	Opus.
	veterum pronunciatione.		
Lov.	*Szó.v*	*Köv.*	*Müv.*

Pluralia.

formatione antiqua status constructi.

Lov-ai.	*Szav-ai.*	*Köv-ei.*	*Müv-ei.*
Equi.	Verba.	Lapides.	Opera.

b. EADEM IN STATV AFFIXO.

1) Possessa singularia, item et Possessores.

Lov-am.	*Szav-am.*	*Köv-em.*	*Müv-öm.*
Equus-mei.	Verbum-mei.	Lapis-mei.	Opus-mei.
Lov-ad.	*Szav-ad.*	*Köv-ed.*	*Müv-öd.*
Equus-tui.	Verbum-tui.	Lapis-tui.	Opus-tui.
Lov-a.	*Szav-a.*	*Köv-e.*	*Müv-e.*
Equus-eius.	Verbum-eius.	Lapis-eius.	Opus-eius.

2) Possessa singularia, Possessores plurales.

Lov-unk.	*Szav-unk.*	*Köv-ünk.*	*Müv ünk.*
Equus-nostri.	Verbum-nostri.	Lapis-nostri.	Opus-nostri.
Lov-atok.	*Szav-atok.*	*Köv-etek.*	*Müv-etek.*
Equus-vestri.	Verbum-vestri.	Lapis-vestri.	Opus-vestri.
Lov-ok.	*Szav-ok.*	*Köv-ök.*	*Müv ök.*
Equus-eorum.	Verbum-eorum.	Lapis-eorum.	Opus-eorum.

3) Possessa pluralia, Possessores singulares.

Lov-ai-m.	*Szav-ai-m.*	*Köv-ei-m.*	*Müv-ei-m.*
Equi-mei.	Verba mei.	Lapides-mei.	Opera-mei.
Lov-ai-d.	*Szav-ai-d.*	*Köv-ei-d.*	*Müv-ei-d.*
Equi-tui.	Verba-tui.	Lapides-tui.	Opera-tui.
Lov-ai.	*Szav-ai.*	*Köv-ei.*	*Müv-ei.*
Equi-eius.	Verba-eius.	Lapides-eius.	Opera-eius.

4) Possessa pluralia, item et Possessores.

Lov ai-nk.	*Szav-ai-nk.*	*Köv-ei-nk.*	*Müv-ei-nk.*
Equi-nostri.	Verba-nostri.	Lapides-nostri.	Opera-nostri.
Lov-ai-tok.	*Szav-ai-tok.*	*Köv-ei-tek.*	*Müv-ei-tek.*
Equi-vestri.	Verba-vestri.	Lapides-vestri.	Opera-vestri.
Lov-ai k.	*Szav-ai-k.*	*Köv-ei-k.*	*Müv-ei-k.*
Equi-eorum.	Verba-eorum.	Lapides-eorum.	Opera-eorum.

2. OBSERVATIO.

Nomina, vocali terminata, halitu *v*, etiam *h*, in ea quiescente, iam satis exposita sunt in declinationibus; nota et lex hunc halitum in motum ponens, sequentibus nempe affixis a vocali inchoantibus. Quare hoc loco suffecit tantum exempla dare, affixis pronominibus secundum eam legem aucta.

E. AFFIXIO POSSESSIVA AD PARTICVLAS, QVAE POSTPOSITIONES DICVNTVR.

1. OBSERVATIONES.

Particulas nostras, quae adiiciuntur nominibus ad indicandam horum ad alia relationem, iam

diximus nobis aptius vocari postpositiones: quod, in lingua nostra, ipsis quidem nominibus hoc vsu postponi soleant, aliae inseparabiliter affixae, aliae interuallo separatae. Sed eaedem, quando personarum relatio ad res alias exprimenda est, priore stant loco, vti nomina alia, cum et ipsae origine sua reuera nomina sint; et pronomina personarum, quarum explicant relationem ad alia, eadem affixionis lege, quae est ipsorum nominum, sibi adnecti poscunt.

Alterae nimirum, quae consona finiuntur, affixa pronomina accipiunt integra, seu syllabica; alterae vero, quae vocali terminantur, iisdem iunguntur per concretionem vocalium sese contingentium; in tertiis tamen personis, resuscitato pronominis halitu, ea itidem integra exigunt.

Vtraeque porro habent saepe et praemissum sibi pronomen separatum, per pleonasmum, vt in nexu nominum diximus, non ingratum; ad emphasim, ad relationis expressionem clariorem.

Pluralem tamen numerum, licet nomina sint, hoc vsu non admittunt. Vigent sola singulari notione. Affixa tantum pronomina accipiunt singularia, et pluralia: prout personarum indicant relationem ad res alias, vel singularium, vel pluralium.

Nominum formam primam pleraeque auctam habent accessionibus, per quas earum significatio prima, acceptis notionibus secundariis, ad vsum postpositionum distinctius accommodatur. Praecipuae sunt de his accessionibus, quae, earundem

radicum terminatione variata, triplicem excitant in ipsis notionem secundariam, motus ad locum, quietis in loco, et motus de loco. Affixa pronomina, quae alias ipsis nominibus adhaerent, ac postea admittunt alia relationum signa, et formatiua, hic, exceptis exemplis paucissimis, ordine inuerso postrema sunt.

Hanc legem vsu latiore adhuc superstitem vidimus apud Lappones: qui affixa pronomina, ad indicandam possessionem, ad nomina adiiciunt, casuum formatiuis, aliisque postpositionibus inseparabilibus, iam aucta.

2. PARADIGMATA.

Subiungimus et harum exempla quaedam: vt possessiuae affixionis ratio et in his tanto clarius pateat, ipsis adeo oculis proposita. Significationes genuinas, quae in his coacernatae sunt, Latine reddimus, praeter vulgarem expressionem simplicem, adiecta etiam circumscriptione; et ipsorum scilicet nominum, de quibus sunt postpositiones, valore proprio, et accessionum vi distincte explicata.

a. POSTPOSITIONES DE EADEM RADICE ACCEPTIS AVGMENTIS AD EXCITANDAM NOTIONEM

MOTVS AD LOCVM. QVIETIS IN LOCO. MOTVS DE LOCO.

1) VOCALIBVS CRASSIS.

Ala. Infra, sub. *Alatt.* Sub, subtus. *Albl.* De inferno. Ab eadem radice *al*, pars ima, imum, infernum.

Possessoribus Singularibus.

Alá-m,	*Alatt-am*,	*Alól-am*,
Sub me.	Sub me.	De sub me.
In imum mei.	In imo mei.	De imo mei.
Alá-d,	*Alatt-ad*,	*Alól-ad*,
Sub te.	Sub te.	De sub te.
In imum tui.	In imo tui.	De imo tui.
Alá-ja,	*Alatt-a*,	*Alól-a*,
Sub eum.	Sub eo.	De sub eo.
In imum eius.	In imo eius.	De imo eius.

Possessoribus Pluralibus.

Alá-nk,	*Alatt-unk*,	*Alól-unk*,
Sub nos.	Sub nobis.	De sub nobis.
In imum nostri.	In imo nostri.	De imo nostri.
Alá-tok,	*Alatt-atok*,	*Alól-atok*,
Sub vos.	Sub vobis.	De sub vobis.
In imum vestri.	In imo vestri.	De imo vestri.
Alá-jok,	*Alatt-ok*,	*Alól-ok*,
Sub eos.	Sub iis.	De sub iis.
In imum eorum.	In imo eorum.	De imo eorum.

SIC EXEMPLA ALIA.

Reá, Super, in, ad. *Rajt*. Super, *Ról*. Desuper, de.
Ab eadem radice *ra*, excelsum, altitudo.
et cetera.

2) VOCALIBVS TENVIBVS.

Bele. In, intro. *Benn*. In, intus. *Belől*. Ex intus, ex.
Ab eadem radice primigenia *be*, intimum.

Possessoribus Singularibus.

Belé-m,	*Benn-em*,	*Belől-em*,
In me.	In me.	Ex me.
In intimum mei.	In intimo mei.	Ex intimo mei.
Belé-d,	*Benn-ed*,	*Belől-ed*,
In te.	In te.	Ex te.
In intimum tui.	In intimo tui.	Ex intimo tui.

Belé-je,	*Benn-e*,	*Belől-e*,
In eum.	In eo.	Ex eo.
In intimum eius.	In intimo eius.	Ex intimo eius.

Possessoribus Pluralibus.

Belé-nk,	*Benn-ünk*,	*Belől-ünk*,
In nos.	In nobis.	Ex nobis.
In intimum nostri.	In intimo nostri.	Ex intimo nostri.
Belé-tek,	*Benn-etek*,	*Belől-etek*,
In vos.	In vobis.	Ex vobis.
In intimum vestri.	In intimo vestri.	Ex intimo vestri.
Belé-jek,	*Benn-ek*,	*Belől-ök*,
In eos.	In iis.	Ex iis.
In intimum eorum.	In intimo eorum.	Ex intimo eorum.

SIC EXEMPLA ALIA.

Közé. Inter.	*Között*. Inter.	*Közül*. Ex medio.

De eadem radice *köz*, medium, intercapedo.
et cetera.

Megé. Pone, post.	*Megett*. Pone, post	*Megül*. A tergo.

De eadem radice *meg*, tergum, posticum.
et cetera.

Mellé. Penes, iuxta.	*Mellett*. Penes, prope.	*Mellől*. A latere.

De eadem radice *mell*, pectus, latus.
et cetera.

EXCEPTIO.

Eleve. Prae, ante.	*Elött*. Ante, coram.	*Elől*. A fronte.

De eadem radice *elő*, incipiens, principium.

Sed *eleve*, etiam *elève*, *elöve*, cum notione motus ad locum, hodie tantum in compositione cum verbis vsurpatur. In affixione vero possessiua, amissa particula *ve*, quae motum indicat ad locum, ipsa radix *elő*, nominis valore aperte resum-

to, affixa pronomina prius accipit, postea particulam *be*, priori aequiualentem. Idem facit saepe et *köz*. Sed ista recurrent loco opportuniore. Nunc satis esto, affixionis hanc deflexionem indicasse in socia particula prima, cum reliquis duabus non conueniente.

Possessoribus Singularibus.

Elő-m-be,	*Elött-em*,	*Elöl-em*,
Ante me.	Coram me.	A fronte mei.
In principium mei.	In principio mei.	A principio mei.
Elő-d-be,	*Elött-ed*,	*Elöl-ed*.
Ante te.	Coram te.	A fronte tui.
In principium tui.	In principio tui.	A principio tui.
Ele-jé-be,	*Elött-e*,	*Elöl-e*,
Ante eum.	Coram eo.	A fronte eius.
In principium eius.	In principio eius.	A principio eius.

Possessoribus Pluralibus.

Elő-nk-be,	*Elött-ünk*,	*Elöl-ünk*,
Ante nos.	Coram nobis.	A fronte nostri.
In principium nostri.	In principio nostri.	A principio nostri.
Elő-tök-be,	*Elött-etek*,	*Elöl-etek*,
Ante vos.	Coram vobis.	A fronte vestri.
In principium vestri.	In principio vestri.	A principio vestri.
Ele-jek-be,	*Elött-ök*,	*Elöl-ök*.
Ante eos.	Coram iis.	A fronte eorum.
In principium eorum.	In principio eorum.	A principio eorum.

Tertiae personae affixio *ele-jé-be*, inualuit etiam sine halitu, *ele-é-be*. Quod apud antiquos occurrit saepissime. Ex hoc porro, acuti *é* prona in *i* mutatione, natum est *ele-i-be*. Legitur vtrumque vsu promiscuo in

Sacris Sermonibus MSS. de B. V. Maria: *eleében jöttenek a' mennyei angyelok;* obuiam illi venerunt coelestes angeli: *az teljes mennyei udvar eleiben kijöve;* tota coelestis aula ipsi obuiam iuit. Tolerabilis haec corruptio traxit post se aliam maiorem, *i* vocali in consonam *j* mutata, *ele-j-be.* Quam formam, licet vitiosam, adhibet vel ipse Faludius, certe versus necessitate: *Menjünk elejbe, bajnokim* (Oda IV.); Eamus ipsi obuiam, pugiles mei! Prorsus eadem est affixio ad nomina analoga, *erdő*, silua, *idő*, tempus: *menjünk a' város erdejébe;* eamus in siluam-eius, ciuitatis: *ha lehet, annak idejében;* si fieri potest, in eius tempore, id est, apto tempore. Si in his absurda est contractio, *erdejbe, idejbe;* quomodo potest placere in *elejbe?*

Oborta hinc verae originis ignoratio quibusdam falsam suasit euolutionem: vt, de *ele-j-be*, in-principium-eius, resecta postpositione *be*, quae per se clara est, residuum *ele-j* pro radice haberetur. Quasi vero in hoc *ele-j*, principium eius, non restaret adhuc notio possessiui pronominis, *eius*, latens in *j.* Quo pariter sublato remanet certe *ele*, restituto vocalis accentu *elé*, ipsum scilicet *elő.*

Irrepsit porro et iste error; vt ad corruptam hanc formam *elejbe* noua fieret affixio possessiua, ipsi vtique iam repugnans: *elejbé-je*, *elejbé-d*, *elejbé-m*; *elejbé-k*, etiam *elejbé-jek*, *elejbé-tek*, *elejbé-nk.* Est hoc vitium frequens in vulgi sermone quarundam partium. Si quid coniectura assequor, huius ortus est ex confusione formarum, quae diuersae inualuerunt: corruptae *elejbe* cum sinceris *eleve*, *elévé*, *elöve.* Illa, his par visa, accepit imitatione horum rectam olim affixionem possessiuam: *elevé-je*, *elevé-d*, *elevé-m*; *elevé-jek*, *elevé-tek*, *elevé-nk.* Analoga ista affixio aliquando certe vigere debuit: cum supersit par affixio similium postpositionum; quae eodem formatiuo increuerunt ad ex-

citandam notionem motus ad locum: ex. gr. *bele; be-lé-je, belé-d, belé-m; belé-jek, belé-tek, belé-nk.*

Si tamen postpositio *be*, pro particula *ve*, adnexa esset ipsi radici purae, ablata *j* litera, *elö*, vel *elé*; formae rectae, *elö-be, elé-be*, affixis pronominibus aucta, secundum legem Lapponicam, olim certe apud nos quoque latius vigentem, *elö-bé-je, elö-bé-d, elö-bé-m, elö-bé-jek, elö-bé-tek, elö-bé-nk*, haberi possent pro quibusdam reliquiis venerandae antiquitatis remotissimae. Sed radici purae adhaerens *j* apertam prodit corruptionem; vt ne ista quidem explanatione defendi queat affixio possessiua ad eam facta.

Vsu antiquissimo inualuit postpositio *után* cum affixione possessiua: *után-a, után-ad, után-am; után-am; után-ok, után-atok, után unk*; ad quam componendam participium *utó*, vestigium premens, nominis valore vestigium, accepit postpositionem *an*; *utó-an*, concretis vocalibus *utá-n*, proprie *in vestigio*, accommoda significatione *post*. Sic increuit et *köz*, medium, accepta eadem postpositione *an*, vocali congruenter mutata, *köz-ön*, in medio. Quae tamen lege eadem non pariter aucta est affixo pronomine. Funebris Allocutio, licet antiquissima, eam quidem iam sic habet, *köz-ök-ön*, in eorum medio, non autem *köz-ön-ök*. Nominis nempe valor in hac apertior nominum legem iam communem suasit seruandam. Quod fit tum etiam, cum postpositioni *an* substituitur aequiualens *be*: *köz-be*, in medio, in medium; inde *köz-ök-be*, in eorum medio, in eorum medium, non vero *köz-bé-jek*. Ita et *elö*, cum adhibetur cum notione motus ad locum, placet constructum resumto nominis valore: *ele-jek-be*, in eorum principium; *ele-jé-be*, in eius principium.

De *eleibe* habetur etiam plurale *eleikbe*. Vtroque sic vtitur et ipse Káldius: *Eleibe jövének az Isten angyali* (Gen. XXXII. 1.); Iuerunt ei obuiam angeli

Dei: *Felkele, és eleikbe méne* (Ibid. XIX. 1.); Surrexit, et iuit obuiam eis. Accuratiores tamen genuina adhibent. In his est Molnárus omnium constantissimus: *Könyörögvén elejébe ésdesnek* (De Summo Bono pag. 138.); Supplicantes coram ipso prosternuntur: *Kemény letzkét ád elejekbe* (Ibid. pag. 181.); Seueram lectionem coram ipsis depromit.

b. POSTPOSITIONES NON VARIANTES AD EXCITANDAM, MOTVS, VEL QVIETIS NOTIONEM.

1) VOCALIBVS CRASSIS.

Miatt. Propter, ob. *Nál.* Apud, penes. *Után.* Post.

Possessoribus Singularibus.

Miatt-am,	*Nál-am*,	*Után-am*,
Propter me.	Apud me.	Post me.
De caussa mei.	E regione mei.	In vestigio mei.
Miatt-ad,	*Nál-ad*,	*Után-ad*,
Propter te.	Apud te.	Post te.
De caussa tui.	E regione tui.	In vestigio tui.
Miatt-a,	*Nál a*,	*Után-a*,
Propter eum.	Apud eum.	Post eum.
De caussa eius.	E regione eius.	In vestigio eius.

Possessoribus Pluralibus.

Miatt-unk,	*Nál-unk*,	*Után-unk*,
Propter nos.	Apud nos.	Post nos.
De caussa nostri.	E regione nostri.	In vestigio nostri.
Miatt-atok,	*Nál-atok*,	*Után-atok*,
Propter vos.	Apud vos.	Post vos.
De caussa vestri.	E regione vestri.	In vestigio vestri.
Miatt-ok,	*Nál-ok*,	*Után-ok*,
Propter eos.	Apud eos.	Post eos.
De caussa eorum.	E regione eorum.	In vestigio eorum.

2) VOCALIBVS TENVIBVS.

Érett. Propter, pro.	*Vel.* Cum.	*Ellen.* Aduersus, contra.

Possessoribus Singularibus.

Érett-em,	*Vel-em.*	*Ellen-em,*
Propter me.	Mecum.	Contra me.
Ex pretio mei.	Comitatu mei.	Aduersum mihi.
Érett-ed,	*Vel-ed,*	*Ellen-ed,*
Propter te.	Tecum.	Contra te.
Ex pretio tui.	Comitatu tui.	Aduersum tibi.
Érett-e,	*Vel-e,*	*Ellen-e,*
Propter eum.	Cum eo.	Contra eum.
Ex pretio eius.	Comitatu eius.	Aduersum ei.

Possessoribus Pluralibus.

Érett-ünk,	*Vel-ünk,*	*Ellen-ünk,*
Propter nos.	Nobis cum.	Contra nos.
Ex pretio nostri.	Comitatu nostri.	Aduersum nobis.
Érett-etek,	*Vel-etek,*	*Ellen-etek,*
Propter vos.	Vobis cum.	Contra vos.
Ex pretio vestri.	Comitatu vestri.	Aduersum vobis.
Érett-ek,	*Vel-ek,*	*Ellen-ek,*
Propter eos.	Cum iis.	Contra eos.
Ex pretio eorum.	Comitatu eorum.	Aduersum iis.

Sic etiam Fennicarum gentium postpositiones, ortae de nominibus, vti nostrae, eadem lege accipiunt affixa pronomina. Exempla tantum de Lapponicis lubet proferre. Priora horum clare congruunt cum nostris: in quibus adsunt et augmenta ad excitandam notionem motus ad locum, quietis in loco, et motus de loco. Posteriora sunt de non variantibus. Sed hac parte propior horum comparatio cum nostris instituetur loco magis opportuno. Nunc solam affixionem videamus.

PRIORA.

Kaskai. Inter,	*Kaskan.*	*Kaskast.*
In medium.	In medio.	De medio.

Possessoribus Singularibus.

Kaskai-m.	*Kaskan-am.*	*Kaskast-am.*
In medium mei.	In medio mei.	De medio mei.
Kaskai-d.	*Kaskan-ad.*	*Kaskast-ad.*
In medium tui.	In medio tui.	De medio tui.
Kaskai-s.	*Kaskan-as.*	*Kaskast-as.*
In medium eius.	In medio eius.	De medio eius.

Possessoribus Pluralibus.

Kaskai-me.	*Kaskan-eme.*	*Kaskast-eme.*
Kaskai-mek.	*Kaskan-emek.*	*Kaskast-emek.*
In medium nostri.	In medio nostri.	De medio nostri.
Kaskai-de.	*Kaskan-ede.*	*Kaskast-ede.*
Kaskai-dek.	*Kaskan-edek.*	*Kaskast-edek.*
In medium vestri.	In medio vestri.	De medio vestri.
Kaskai-sa.	*Kaskan-asa.*	*Kaskast-asa.*
Kaskai-sek.	*Kaskan-esek.*	*Kaskast-esek.*
In medium eorum.	In medio eorum.	De medio eorum.

* * *

Mangai. Pone, post.	*Mangen.*	*Mangest.*
In tergum.	In tergo.	De tergo.

Possessoribus Singularibus.

Mangai-m.	*Mangen.am.*	*Mangest-am.*
Mangai-d.	*Mangen-ad.*	*Mangest-ad.*
Mangai-s.	*Mangen-as.*	*Mangest-as.*

Possessoribus Pluralibus.

Mangai-me.	*Mangen-eme.*	*Mangest-eme.*
Mangai-mek.	*Mangen-emek.*	*Mangest-emek.*
Mangai-de.	*Mangen-ede.*	*Mangest-ede.*

Mangai-dek.

Mangai-dek.	*Mangen-edek.*	*Mangest-edek.*
Mangai-sa.	*Mangen-asa.*	*Mangest-asa.*
Mangai-sek.	*Mangen-esek.*	*Mangest-esek.*

POSTERIORA.

Lusa. Ad.	*Pira.* Circa.	*Neiga.* Erga.

Possessoribus Singularibus.

Lusam.	*Piram.*	*Neigam.*
Ad me.	Circa me.	Erga me.
Lusad.	*Pirad.*	*Neigad.*
Ad te.	Circa te.	Erga te.
Lusas.	*Piras.*	*Neigas.*
Ad eum.	Circa eum.	Erga eum.

Possessoribus Pluralibus.

Lusame.	*Pirame.*	*Neigame.*
Lusamek.	*Piramek.*	*Neigamek.*
Ad nos.	Circa nos.	Erga nos.
Lusade.	*Pirade.*	*Neigade.*
Lusadek.	*Piradek.*	*Neigadek.*
Ad vos.	Circa vos.	Erga vos.
Lusasa.	*Pirasa.*	*Neigasa.*
Lusasek.	*Pirasek.*	*Neigasek.*
Ad eos.	Circa eos.	Erga eos.

F. GENITIVVS INFLEXVS.

1. OBSERVATIONES.

Genitiuus nominum, fit, vt vidimus, affixo tertiae personae pronomine *ő*, hoc vsu in acutum *é*, mutato; quo ortu suo in lingua nostra possessionem indicat tanto etiam clariorem: *úr-é*, *jobágy-é*, domini suum aliquid, serui suum aliquid, id nempe, quod in sermone memoratur. Satis praeterea euoluimus, genitiuum nostrum reipsa nomi-

natiuum esse: qui porro, per casus omnes inflecti, etiam postpositionibus aliis augeri soleat.

Recipit idem et numerum pluralem; cum id, quod affixo pronomine, ipso nimirum genitiui formatiuo, possideri indicatur, plurale est. Et hanc eius formam pluralem, quae sit propria, vsus docet, tam vetustus, Pereſzlényio teste, et interprete maxime idoneo; quam etiam hodiernus, aliquanto attentius obseruandus.

Vti *ö* habet plurale *ök*, ita et *é* dat *ék*. Exempla Pereſzlényiana singularium genitiuorum, seu rerum possessarum; *uram-é*, ille, qui spectat ad dominum meum; *uraim-é*, ille, qui spectat ad dominos meos; reuera sic fiunt pluralia rebus possessis iam pluralibus. „His genitiuis (Pereſzlényii verba „repetimus iam alibi adducta) eleganter additur „affixum *k*: vt *uram-ék*, *uraim-ék*. Et habent hunc „sensum: *uram-ék*, illi, qui spectant ad dominum „meum; *uraim-ék*, illi, qui spectant ad dominos „meos.“ Sic praeterea loquitur et vulgus: *Jánoséknál voltunk már, menjünk most Andráséknoz*: Fuimus iam apud illos, qui sunt Ioannis; eamus nunc ad eos, qui sunt Andreae. De genitiuis singularibus *János-é*, *András-é*, Ioannis-suus, Andreae-suus, pluralia sunt *János-ék*, *András-ék*, iis, qui sunt Ioannis, Andreae, iam pluralibus. Et horum quidem sensus genuinus iste est: licet vulgo possessor praecipue intelligatur, iis tamen, qui ad ipsum spectant, non exclusis: apud Ioanem, et familiam eius; ad Andream, et familiam eius.

Quae cum ita sint, vltro patet et huiusmodi interrogationes de rebus pluralibus, ex. gr. *cuius sunt equi isti?* per genitiuos poni debere pluraliter expressos: *kiék ezek a' lovak?* Quibus pariter est respondendum: *János-ék*, *András-ék*, proprie Ioannis-sui, Andreae-sui.

Porro et illud euidens est; in Grammatica Szentpáliana errorem doceri, huiusmodi pluralibus per vocalem *i*, multitudinis notam, expressis: *úréi*, *urakéi*; *emberéi*, *emberekéi* (pag. 35, et 46.). Vsus certe, quem exposuimus, aliud docet. Hunc vero iuuat et analogia. Obseruandum enim est, in ipsa etiam affixione possessiua, cuius hic similitudo arripitur, antiquam illam formam pluralem status constructi ad nomina pertinere, non vero ad affixa pronomina. Haec enim et illic affixum *k* habent pro formatiuo plurali: *ünk*, *etek*, *ők*. Est in his tertiae personae pronomen *ők*; idem ergo et in genitiuo esse debet, sed modo suo, de *é* singulari plurale *ék*.

Sicut affixio possessiua, ita et genitiuus, compositionem exhibet, inuersa tamen ratione. Illic res possessa nomen est, possessorem vero affixum pronomen indicat; hic autem possidens est nomen, et res possessa affixo pronomine innuitur. Quae compositio quadruplicem facit et hic numerorum variationem, in exemplis, ad claritatem, dissincte exprimendam. Accedit vero saepe et amplior compositio in genitiuis nominum iam possessorum: quae, ad personas relata, insuper et ad se aliquid pertinere indicant per genitiuum.

Haec, a nobis recte explanata, vt magis haereant: iam paradigmata proferimus vtriusque generis, per casus inflexa, genitiuis etiam pluraliter expressis; licet horum vsus rarior sit in casibus reliquis.

2. PARADIGMATA.

a. NOMINUM SIMPLICIUM.

1) VOCALI CRASSA.

a) Possidens singulare, item et Possessum.

Nom.	*Úr-é.* Domini suum, sua, suus.	Id, ea, is,	quod, vel quae, aut qui est domini.
Gen.	*Úr-é-jé.*	Eius,	
Dat.	*Úr-é-nak.*	Ei,	
Acc.	*Úr-é-t.*	Id, eam, eum.	
Abl.	*Úr-é-tól.*	Ab eo, ea, eo,	

b) Possidens singulare, Possessum plurale.

Nom.	*Úr-ék.* Domini sua, suae, sui.	Ea, eae, ii,	quae, aut qui sunt domini.
Gen.	*Úr-ék-é.*	Eorum, earum, eorum,	
Dat.	*Úr-ék-nak.*	Iis,	
Acc.	*Úr-ék-at.*	Ea, eas, eos,	
Abl.	*Úrék-tól.*	Ab iis.	

c) Possidens plurale, Possessum singulare.

Nom.	*Urak-é.* Dominorum suum, a, us.	Id, ea, is,	quod, vel quae, aut qui est dominorum.
Gen.	*Urak-é,jé.*	Eius,	
Dat.	*Urak-é-nak.*	Ei,	
Acc.	*Urak-é-t.*	Id, eam, eum,	
Abl.	*Urak-é-tól.*	Ab eo, ea, eo,	

d) Possidens plurale, item et Possessum.

Nom.	*Urak-ék.* Dominorum sua, ae, i.	Ea, eae, ii,	quae, aut qui sunt dominorum.
Gen.	*Urak-ék-é.*	Eorum, earum, eorum,	
Dat.	*Urak-ék-nak.*	Iis,	
Acc.	*Urak-ék-at.*	Ea, eas, eos,	
Abl.	*Urak-ék-tól.*	Ab iis,	

2) VOCALI TENVI.

a) Possidens singulare, item et Possessum.

Nom.	*Nép-é.*	Populi suum, sua, suus.	Id, ea, is,	quod, vel quae, aut qui est populi.
Gen.	*Nép-é-jé.*		Eius,	
Dat.	*Nép-é-nek.*		Ei,	
Acc.	*Nép-é-t.*		Id, eam, eum,	
Abl.	*Nép-é-től.*		Ab eo, ea, eo,	

b) Possidens singulare, Possessum plurale.

Nom.	*Nép-ék.*	Populi sua, suae, sui.	Ea, eae, ii,	quae, aut qui sunt populi.
Gen.	*Nép-ék-é.*		Eorum, earum,	
Dat.	*Nép-ék-nek.*		Iis,	
Acc.	*Nép-ék-et.*		Ea, eas, eos,	
Abl.	*Nép-ék-től.*		Ab iis,	

c) Possidens plurale, Possessum singulare.

Nom.	*Népek-é.*	Populorum suum, a, us.	Id, ea, is	quod, vel quae, aut qui est populorum.
Gen.	*Népek-é-jé.*		Eius,	
Dat.	*Népek-é-nek.*		Ei,	
Acc.	*Népek-é-t.*		Ea, eas, eos,	
Abl.	*Népek-é-től.*		Ab eo, ea, eo,	

d) Possidens plurale, item et Possessum.

Nom.	*Népek-ék.*	Populorum sua, ae, i.	Ea, eae, ii,	quae, aut qui sunt populorum.
Gen.	*Népek-ék-é.*		Eorum, earum, eorum,	
Dat.	*Népek-ék-nek.*		Iis,	
Acc.	*Népek-ék-et.*		Ea, eas, eos,	
Abl.	*Népek-ék-től.*		Ab iis,	

b. NOMINA POSSESSA.

1) A PERSONIS SINGVLARIBVS.

a) Possidens singulare, item et Possessum.

Nom.	*Uram-é.*	*Urad-é.*	*Urá-jé.*
	Domini mei,	Domini-tui,	Domini-eius,
	suum, sua, suus.		
	Id, ea, is; quod, vel quae, aut qui est,		
	domini-mei,	domini-tui,	domini-eius,
Gen.	*Uram-é-jé.*	*Urad-é-jé.*	*Urá-jé jé.*
Dat.	*Uram-é-nak.*	*Urad-é-nak.*	*Urá-jé-nak.*
Acc.	*Uram-é-t.*	*Urad-é-t.*	*Urá-jé-t.*
Abl.	*Uram-é-tól.*	*Urad-é-tól.*	*Urá-jé-tól.*

b) Possidens singulare, Possessum plurale.

Nom.	*Uram-ék.*	*Urad-ék.*	*Urá-jék.*
	Domini-mei,	Domini-tui,	Domini-eius.
	sua, suae, sui.		
	Ea, eae, ii; quae, aut qui sunt,		
	domini-mei,	domini-tui,	domini-eius.
Gen.	*Uram-ék-é.*	*Urad-ék-é.*	*Urá-jék-é.*
Dat	*Uram-ék-nak.*	*Urad-ék-nak.*	*Urá-jék-nak.*
Acc.	*Uram-ék-at.*	*Urad-ék at.*	*Urá-jék-at.*
Abl.	*Uram-ék-tól.*	*Urad-ék-tól.*	*Urá-jék-tól.*

c) Possidens plurale, Possessum singulare.

Nom.	*Uraim-é.*	*Uraid-é.*	*Urai-jé.*
	Dominorum-meorum,	Dominorum-tuorum,	Dominorum-eius,
	suum, sua, suus.		
	Id, ea, is; quod, vel quae, aut qui est,		
	dominorum-meorum,	dominorum-tuorum,	dominorum-eius.
Gen.	*Uraim-é-jé.*	*Uraid-é-jé.*	*Urai-jé-jé.*
Dat.	*Uraim-é-nak.*	*Uraid-é-nak.*	*Urai-jé-nak.*

Acc.	*Uraim-é-t.*	*Uraid-é-t.*	*Urai-jé-t.*
Abl.	*Uraim-é-tól.*	*Uraid-é-tól.*	*Urai-jé-tól.*

d) Possidens plurale, item et Possessum.

Nom.	*Uraim-ék.*	*Uraid-ék.*	*Urai-jék.*
	Dominorum-meorum,	Dominorum-tuorum,	Dominorum-eius,

sua, suae, sui.

Ea, eae, ii; quae, aut qui sunt,

	dominorum-meorum,	dominorum-tuorum,	dominorum-eius.
Gen.	*Uraim-ék-é.*	*Uraid-ék-é.*	*Urai-jék-é.*
Dat.	*Uraim-ék-nak.*	*Uraid-ék-nak.*	*Urai-jék-nak.*
Acc.	*Uraim-ék-at.*	*Uraid-ék-at.*	*Urai-jék-at.*
Abl.	*Uraim-ék-tól.*	*Uraid-ék-tól.*	*Urai-jék-tól.*

2) A PERSONIS PLVRALIBVS.

a) Possidens singulare, item et Possessum.

Nom.	*Urunk-é.*	*Uratok-é.*	*Urok-é.*
	Domini-nostri,	Domini-vestri,	Domini-eorum,

suum, sua, suus.

Id, ea, is; quod, vel quae, aut qui est,

	domini-nostri,	domini-vestri,	domini-eorum,
Gen.	*Urunk-é-jé.*	*Uratok-é-jé.*	*Urok-é-jé.*
Aat.	*Urunk-é-nak.*	*Uratok-é-nak.*	*Urok-é-nak.*
Acc-	*Urunk-é-t.*	*Uratok-é-t.*	*Urok-é-t.*
Abl.	*Urunk-é-tól.*	*Uratok-é-tól.*	*Urok-é-tól.*

b) Possidens singulare, Possessum plurale.

Nom.	*Urunk-ék.*	*Uratok-ék.*	*Urok-ék.*
	Domini-nostri,	Domini-vestri,	Domini-eorum.

sua, suae, sui.

Ea, eae, ii; quae, aut qui sunt,

domini-nostri, domini-vestri, domini-eorum.

Gen.	*Urunk-ék-é.*	*Uratok-ék-é.*	*Urok-ék-é.*
Dat.	*Urunk-ék-nak.*	*Uratok-ék-nak.*	*Urok-ék-nak.*
Acc.	*Urunk-ék-at.*	*Uratok-ék-at.*	*Urok-ék-at.*
Abl.	*Urunk-ék-tól.*	*Uratok-ék-tól.*	*Urok-ék-tól.*

c) Possidens plurale, Possessum singulare

Nom.	*Uraink-é.*	*Uraitok-é.*	*Uraik-é.*
	Dominorum-nostrorum,	Dominorum-vestrorum,	Dominorum-eorum.

suum, sua, suus.

Id, ea, is; quod, vel quae, aut qui est,

	dominorum-nostrorum.	dominorum-vestrorum.	dominorum-eorum.
Gen.	*Uraink-é-jé.*	*Uraitok-é-jé.*	*Uraik-é-jé.*
Dat.	*Uraink-é-nak.*	*Uraitok-é-nak.*	*Uraik-é-nak.*
Acc.	*Uraink-é-t.*	*Uraitok-é-t.*	*Uraik-é-t.*
Abl.	*Uraink-é-tól.*	*Uraitok-é-tól.*	*Uraik-é-tól.*

d) Possidens plurale, item et Possessum.

Nom.	*Uraink-ék*	*Uraitok-ék.*	*Uraik-ék.*
	Dominorum-nostrorum,	Dominorum-vestrorum,	Dominorum eorum,

sua, suae, sui.

Ea, eae, ii; quae, aut qui sunt,

	dominorum-nostrorum,	dominorum-vestrorum,	dominorum-eorum.
Gen.	*Uraink-ék-é.*	*Uraitok-ék-é.*	*Uraik-ék-é.*
Dat.	*Uraink-ék-nak.*	*Uraitok-ék-nak.*	*Uraik-ék-nak.*
Acc.	*Uraink-ék-at.*	*Uraitok-ék-at.*	*Uraik-ék-at.*
Abl.	*Uraink-ék-tól.*	*Uraitok-ék-tól.*	*Uraik-ék-tól.*

CONSPECTVS OPERIS,

ET INDEX RERVM,

QVAE

CONTINENTVR VOLVMINE PRIMO.

INTRODVCTIO.

GRAMMATICAE HVNGARICAE PARS PRIMA.

ORTHOEPIA.

SECTIO I.

DE NVMERO, FIGVRA, ET POTESTATE LITERARVM SECVNDVM DIVISIONES PRIMAS.

SECTIO II.
DE CONNEXIONE LITERARVM, SIVE DE SYLLABIS.

SECTIO III.
DE MVTATIONIBVS LITERARVM POTISSIMVM AB EVPHONIA PETITIS.

SECTIO IV.
DE ANTIQVA RATIONE LITERARVM HVNGARICARVM, ET PROBABILI EARVM COMPENDIO.

GRAMMATICAE HVNGARICAE PARS SECVNDA.

PROSODÍA.

GRAMMATICAE HVNGARICAE PARS TERTIA.

ORTHOGRAPHIA.

A.

SECTIO II.

DE INFLEXIONE PRONOMINVM.

Rogantur perhumane Lectores Beneuoli: vt typi errores, qui frequentes quidem, sed satis leues, irrepserunt, mitius accipiant. Grauissimum in anno non rite expresso, ne fidem diplomaticam violasse arguamur, ipsi corrigimus. Pag. 165. *Andreae Vér chirographus, anno* 1473 *exaratus.* Indicamus et in datiuo Esthonico signum separationis, contra mentem nostram, mutatum fuisse in accentum, praecedenti vocali inscriptum, pag. 208. *Jummal-a-l*, *Jummal-a-le*, Deo, *Jummalatt-e-l*, *Jummalatt-e-le*, Diis; *kattuss-e-l*, *katuss-e-le*, tecto. Deinde pag. 305. in datiuo possessiui pronominis personae secundae possessum plurale, vitiose neglectum, sic restitui cupimus, *tieiduek*.